# Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.


SOURCE DES IMAGES

Google Livres

# FLAVII JOSEPHI HEBRÆI SCRIPTORIS ANTIQUISSIMI DE BELLO JUDAICO, AC EXPUGNATA PER TITUM CÆSAREM HIEROSOLYMA LIBRI SEPTEM.

INTERPRETE RUFINO AQUILEJENSI.

Poſt complures Authoris editiones, noviſſime a reliquis ejusdem operibus ſeparatim, ob Hiſtoriæ dignitatem, typis dati.



TYRNAVIÆ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,
ANNO MDCC LV.

R6054.8

*DUM*

# ASSERTIONES

*EX*

## UNIVERSA

# THEOLOGIA,

*IN ALMA,*

AC CELEBERRIMA ARCHI-EPISCOPALI SOCIETATIS JESU UNIVERSITATE TYRNAVIENSI

*Anno Salutis MDCCLV. Menſe Julio die publice propugnaret*

PERILL. REVER. EXCELLENS, AC DOCTISS. DOMINUS

ADALBERTUS PRILESZKY DE PRILESZ, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, SS. Canonum Licentiatus Sacro-Sanctæ Theologiæ in quartum annum Auditor, ejusdemque Baccalaureus Formatus, nec non pro ſuprema ejusdem Laurea Candidatus; Coll. Gener. Cler. Regni Hungar. Alumnus Presbyter Diœceſis Nitrienſis.


*EX PRÆLECTIONIBUS*

R. P. JOANNIS BAPTISTÆ PRILESZKY, e Societate JESU, Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctoris ejusdemque Profeſſoris Ordinarii, nec non Inclytæ Facultatis Theol. DECANI Spectabilis.

ET

R. P. NICOLAI SCHMITTH, ex eadem Societate JESU SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Profeſſoris Ordinarii.

AUDITORIBUS OBLATI.



*SUB*

GRATIOSISSIMIS

AUSPICIIS

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI,

DOMINI COMITIS

# JOSEPHI

# ILLYESHAZY

DE EADEM,

Hæreditarii in Trenchin, ejusdemque nominis prout & Liptovienſis Comitatuum Perpetui Supremi Comitis, S. C. R. Majeſtatis Actualis Intimi, & Excelſi Conſilii Locumtenentialis Regii Hungarici Conſiliarii, Tabulæ Regiæ Septem-Viralis Aſſeſſoris, nec non Dapiferorum Regalium per Hungariam Magiſtri, &c. &c.

DOMINI,

ET

PATRONI

GRATIOSISSIMI

BENIGNISSIMI.

# EXCELLENTISSIME
## AC ILLUSTRISSIME
# DOMINE COMES,
## PATRONE
## GRATIOSISSIME,
## MÆCENAS
## MUNIFICENTISSIME!

BEnignitatis TUÆ *munus est, quod me ab ornamentis* TUIS *splendorem, ab autoritate præsidium mutuari jubeas, dum positiones meas* Theologicas TUO *inscribi nomini pateris* EXCELLENTISSIME DO-

MINE COMES! *Iſtud ego ut auderem, egregia* TUA *decora provocabant,* TU *ut admitteres, cum bonis omnibus ſemper æqua, tum mihi cumprimis meisque nunquam non propitia facilitas* TUA *abs* TE *poſtulabat. Neque eram neſcius, graviſſimis* TIBI *diſtento Regni negotiis, ſuperare nihilominus magni animi plurimum, quo nullo graviorum curarum diſpendio, ad minora hæc etiam adverteres,* TUAQUE *mihi de omni* Theologia *decertaturo auſpicia commodares; providebamque animo futurum, ut, ſi nihil ſive ingenium, ſive induſtria mea ad hoc genus pugnæ afferret ornamenti, vel inde ſat ſplendoris haberet, quod* TUO *ſub nomine ſubiret lucem, qui clariſſimam per ſeſe ſtirpem, quæque, ſi cætera abeſſent omnia ſatis eſſet ad ſplendorem, novis in dies* TIBIQUE *propriis amplius illuſtrare pergis ornamentis.*

*Vixdum intelligere per ætatem poteras, ea te natum Domo, in quam nihil, quod non pro meritorum magnitudine intuliſſet, magnifici muneris haberet Patria, quæque uno dudum ab Regibus ſecreta ſolio ad gerendos e dignitate Reipublicæ ampliſſimos Magiſtratus*

*nata*

*nata non evecta, illis innutrita, non præceptis aliorum formata semper est visa; vix audieras, quam utilem turbatis olim Patriæ rebus Regi Mathiæ præstiterit operam magni inter Majores* TUOS *nominis* STEPHANUS ILLYESHAZIUS, *dignus subinde visus, qui evagatos sex supra quadraginta annos Pro-Regum fasces ad summum secundum Regem honorem provectus, Regno restitueret; vix intellexeras, quid æstuante bello Hungaria* GEORGIUS LEOPOLDO, *quid noviſſime grata etiamnum bonorum omnium memoria celebris, Regni Cancellarii perfunctus munere* EXCELLENTISSIMUS GENITOR TUUS *Aulæ Regnoque sapientissimis consiliis commodi attulerit, cum illico Majorum omnium complexus laudes, ad ceras Avorum nascendi conditionem, ad excellentem* TUAM *virtutem atque Sapientiam propria referenda duxisti ornamenta, feciſtique subinde, ut Majores* TUI *in* TE *Magno non Illustris modo Sanguinis, sed Virtutum etiam Hærede grata atque perpetua posterorum viverent recordatione.*

*Ar-*

*Arcano certe Divini Numinis consilio Magnis Avis nihilo minor concessus es Nepos, ut quem supremo domesticoque stirpi* TUÆ *jure iis Provinciis præesse oporteret, quæ aut nullus, aut unus* TU *satis ab erroribus tutari, sectariorum consilia in herba succidere, atque alienas ab Romanis Sacris mentes si non exemplis ad saniora pertrahere, autoritate certe ab interitu posses absterrere. Hanc muneris* TUI *partem, si vulgi opinione æstimetur, postremam, si* TUO *judicio, præcipuam ita sustines, ut, cum* TE *totum Regni curæ deposcant, totum simul Religionis solicitudo occupet, nihil unquam seu causæ utriusque dignitate, seu magnitudine* TUA *non omnino dignum egisse videaris. Ita nempe Sectariorum consiliis obvias, ita nuncupatarum DEO Ædium splendori, ita Sacrorum Curionum commodis prospicis, ut graves, & quæ in dies sese offerunt, Patriæ curas abjecisse censeri possis; ita vicissim, sive in Amplissimo Septem-Virorum Senatu sedeas Arbiter, sive in Regio Procerum Tribunali sententiam dicas, Regni*

*agis*

ngis negotia, ut pene oblitus Religionis videaris.

Ut ne porro post fata etiam Reipublicæ deesses, concessit TIBI Supremum Numen ut morum venustate amabilem, ita ingenio ultra annos, prope ultra ingenium felicem, dignumque illustrium TUORUM decorum Hæredem Joannem, quem dum e moribus TUIS formari, ad maxima quæque domesticis deduci exemplis, pasci laboribus, & non alibi, quam in ipsis optimarum Artium studiis laxare animum audimus, cum bona omnia ominamur Patriæ, tum lentos illi ire annos, nostrasque spes morari, atque una ætate a summis in Republica muneribus cætera dignissimum arceri vix sustinemus. Neque fallet, quam nobis de illo excitarunt expectationem rara in Juvene admodum naturæ, gratiæ, & industriæ ornamenta; quanquam fallet hoc uno, quod superabit.

Verum quid istis immoror, tanquam hac libelli fronte tantas, tam multiplices Magnæ Domus laudes complecti possim? illud itaque, quod unum possum, assiduo faciam, Cœlum TE ut Patriæ, Religioni, Augustæ,

*meoque cumprimis ac ſtirpis meæ commodo & ornamento ſervet quam diutiſſime incolumem, vovere, ac precari non deſinam;* Tu *vero* EXCELLENTISSIME DOMINE COMES! *quo ſoles favore me conatusque meos porro etiam proſequere, fove.*

*Clientum infimum*

ADALBERTUM PRILESZKY.

# ASSERTIONES
## EX
## UNIVERSA
# THEOLOGIA,
## DE
# JURE, ET JUSTITIA.

### I.

CLerici Beneficiati habent dominium redituum, quos ex Beneficiis Eccleſiaſticis percipiunt, etiamſi hi ſuſtentationem congruam excedant. Obligantur tamen præcepto Eccleſiæ ad ſuperflua in pias cauſas eroganda; ſed ad reſtitutionem non tenentur, ſi quid in profanos uſus inſummant. Præſcriptio legitima transfert dominium in præſcribentem etiam pro foro conſcientiæ, ſi cum fide Theologice bona conjuncta ſit, ſecus autem ſi res aliena ſcienter poſſideatur. DEUS nec obligatur, nec obligari poteſt ulli creaturæ ex juſtitia ſtricta.

### II.

Homo eſt dominus ſuæ famæ & honoris, non item vitæ & membrorum. Hinc duellum auctoritate privatâ ex quacunque cauſa ineatur, ſemper eſt illicitum. Judex quoque non poteſt mortis, vel mutilationis ſententiam ferre adverſus eum, quem innocentem eſſe certo ſcit, quantumvis per teſtes, aliaque Juris adminicula probetur nocens. Teſtamentum non privilegiatum, ſi requiſitis a Jure ſolemnitatibus careat, non ſolum pro foro externo, ſed etiam interno eſt probabiliter invalidum.

### III.

Filius familias pubes circa bona profecticia, & adventitia
KY. invalide contrahit ſine conſenſu patris. Error & dolus ſi ver-

ſetur circa ſubſtantiam rei, pariter invalidum reddit contractum quemvis. Metus vero etiam gravis, ſed juſte incuſſus non invalidat ullum Contractum, injuſte contra & directe ad extorquendum contractum incuſſus, invalidos reddit contractus illos, qui reſcindi conſenſu mutuo non poſſunt.

I V.

Obligatio reſtituendi oritur ex injuſta acceptione, & ex re aliena accepta: ut tamen ex injuſta acceptione hæc obligatio reſultet, neceſſe eſt committi culpam Theologicam, & quidem contra juſtitiam. Unde ex culpa mere juridica non oritur in conſcientia obligatio compenſandi damnum, niſi poſt ſententiam Judicis. Officia & beneficia ex juſtitia diſtributiva conferenda ſunt iis, qui ſpectatis omnibus cæteris digniores videntur. Hinc non modo, qui indignum, ſed etiam qui dignum prætermiſſo digniore præſentat, eligit, vel proponit ad beneficium animarum curam, jurisdictionem, vel magni momenti functionem v.g. docendi, prædicandi &c. annexam habens, per ſe loquendo graviter peccat.

## DE
# DIVINI VERBI INCARNATIONE.

V.

MEſſias Judæis promiſſus erat, qui ſimul DEUS verus, & homo verus eſſet; eumque jam veniſſe, neque alium dici poſſe, quam JESUM Mariæ filium, ſub Auguſto natum, & ſub Tiberio crucifixum, contra Judæos cum ex aliis Veteris Teſtamenti locis, tum ex Jacobi Patriarchæ vaticinio Geneſis 49. & ex Danielis c. 9. invicte deducitur. Eundem JESUM eſſe DEUM verum, verumque [illegible], contra Cerinthianos, Marcionitas, Socinianos, aliosque hæreticos ex Novo Teſtamento, contra gentiles vero ex variis credibilitatis motivis legitime evincitur.

V I.

Ad decernendam Incarnationem DEUS nullatenus neceſſitatus fuit, niſi ex ſuppoſitione ipſi libera, quod hominem lapſum, per ſatisfactionem condignam reparare voluerit. Quamvis autem Chriſtus etiam ut Redemptor decerni potuerit, immediate poſt ſcientiam mediam de peccato Adæ conditione futuro ſub auxilio indifferente & ſufficiente; in moderna

derna tamen providentia, attentis Scripturæ & Patrum locutionibus, abſolute decretus videtur primum poſt ſcientiam viſionis de peccato illo abſolute futuro.

VII.

B. V. Maria meruit eſſe Mater Chriſti, eſtque & dici debet non Chriſtipara, ut volebat Neſtorius, ſed etiam Θεοτόκος ſeu Deipara. Concepit illum non de Joſeph, quod impie ſentiebat Ebion & Photinus, ſed de Spiritu Sancto, idque virginitate ſalva: quam etiam in partu, & poſt eum intemeratam perpetuo conſervavit. De fide eſt contra Neſtorium & Eutychen, Verbum Divinum ita aſſumpſiſſe humanitatem, ut una tantum ſit Perſona in Chriſto, duæ vero naturæ realiter diſtinctæ, inconfuſæ, & impermixtæ. Pariter contra Apollinariſtas & Monothelitas certum eſt duplicem in Chriſto intellectum, voluntatem & operationem eſſe, unam ſcilicet Divinæ, alteram humanæ naturæ propriam.

VIII.

Unio hypoſtatica formaliter conſiderata eſt relatio realis reſultans ex Verbo, humanitate, & decreto communi toti Trinitati, volenti, ut hæc natura humana a primo exiſtentiæ ſuæ inſtanti non ſubſiſtat in ſe, ſed in Perſona Verbi, cum eoque faciat unum ſuppoſitum, & principium quod, omnium actionum ac paſſionum DEOhomini convenientium. Hinc vi dictæ unionis recte quidem dicitur DEUS crucifixus, & hic homo omnipotens, non item Divinitas paſſa, aut corpus, vel humanitas Chriſti ubique eſſe: quod poſtremum Lutherus & Brentius aliquando admiſit.

IX.

Licet Chriſtus etiam qua homo ſit Filius DEI naturalis, & ſervus ſolum late talis, fuit tamen capax præcepti in conſcientia obligantis, habuitque defacto tale præceptum moriendi pro nobis, relicta tamen poteſtate petendi & infallibiliter obtinendi diſpenſationem illius. Unde moriendo perfectam obedientiam exercuit, ſalva immediata libertate. Mortuus eſt autem pro ſalute non ſolum electorum, ut ſentit Janſenius Iprenſis, ſed omnium prorſus nullo excepto hominum.

X.

Opera Chriſti in eſſe tam meriti, quam ſatisfactionis, ſunt valoris in actu primo ſimpliciter infiniti. Hinc ſatisfactio ab illo præſtita, fuit non modo condigna, ſed & ſuperabundans

pro peccatis totius mundi. Meritus autem est sibi, non incarnationem ipsam, sed duntaxat gloriam corporis, & exaltationem nominis; hominibus vero omnia dona gratiæ & gloriæ lapsum Adæ consequentia; Angelis nonnisi illustrationes quasdam, & gloriam accidentalem.

XI.

Humanitas Christi una eademque cum Verbo Divino, in quo subsistit, adoratione latriæ adoranda est. Sanctos vero cum Christo jam regnantes, & invocari utiliter, & religioso duliæ cultu licite ac laudabiliter coli; Imaginibus item DEI, Christi, & Sanctorum, Cruci denique, ac reliquiis beatorum Cœlitum, religiosum, sed respectivum tantum cultum recte ac pie impendi posse Ecclesia Catholica contra Hagiomachos & Iconoclastas tum veteres, tum in Calvinistis redivivos docet.

## DE
# SACRAMENTIS IN GENERE.

XII.

SAcramenta Legis Evangelicæ non duo, aut tria tantum, ut Lutheri, Calvini, & Socini sequaces volunt, sed septem sunt, nempe: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Omnia Christus immediate per se ipsum instituit; constantque singula rebus sensibilibus, tanquam materia, & verbis, non concionalibus, sed consecratoriis, tanquam forma. Causant ex opere operato sanctificantem gratiam, sed in genere causæ moralis tantum. Circumcisio contra, & alia Sacramenta vetera eam nonnisi ex opere operantis causabant.

XIII.

Gratia sanctificans videtur esse quid mere relativum, & moraliter inhærens animæ, nempe jus formale ad amorem DEI benevolum, & hæreditatem cælestem suo tempore obtinendam. Cui Sacramentum quodlibet addit insuper jus ad auxilia gratiæ fini cujusque proprio peculiariter accommodata. Baptismus vero, Confirmatio, & Ordo imprimunt præterea characterem indelebilem: qui pariter est mera habitudo animæ intrinseca resultans ex eadem anima, Sacramento in re suscepto, & decreto DEI volentis ejusmodi hominem perpetuo censeri inter oves, milites, vel ministros Christi.

XIV.

XIV.

Minister Sacramentorum est solus, non tamen omnis homo viator, etiam Christianus. In eo requiritur ad valorem intentio, eaque non ludicra, aut mere externa, sed vere interna & seria faciendi, quod Christus instituit, & facit Ecclesia. Fides contra necessaria non est ad perficiendum Sacramentum. Hinc erravit olim S. Cyprianus cum Aforum multis, & Firmilianus cum non paucis Asianis oppositum defendendo. Eos tamen idcirco non excommunicavit S. Stephanus Papa, nec rem hanc ceu dogma fide credendum id temporis definivit.

## DE
# SACRAMENTIS IN SPECIE.

XV.

MAteria remota Baptismi est sola aqua elementaris, proxima autem ablutio corporis, per immersionem, vel affusionem, aut aspersionem facta. Forma ejusdem sunt verba, quibus distincta trium Divinarum Personarum invocatio, subjectum, & actio Ministri exprimitur: nec unquam Baptismus aliter collatus valuit. Parvulis necessitate medii, adultis necessitate etiam præcepti necessarius est, suppleri tamen per actum charitatis vel contritionis perfectæ, & per martyrium cum attritione obitum potest. Filios infidelium invitis parentibus Christiano Domino serviliter non subjectis, extra instans mortis periculum baptizare non licet.

XVI.

Spectatis Scripturæ, & SS. Patrum, ac Conciliorum verbis, non videtur Christus determinasse materiam & formam Confirmationis in specie infima. Hinc quamvis in Ecclesia Latina adhiberi ex præcepto debeat simul impositio manuum Episcopi super confirmandum, & unctio Chrismatis cum oratione illi, & verbis huic respondentibus; probabiliter tamen ad valorem Sacramenti sufficeret etiam sola impositio manuum, aut sola Chrismatio cum forma competente. Minister ordinarius ejusdem Sacramenti jure Divino est solus Episcopus, extraordinarius vero etiam simplex Presbyter esse potest, & apud Græcos esse solet.

XVII.

## XVII.

Christus Dominus pridie mortis suæ, & luna XIV. mensis Nisan, Pascha Mosaicum una cum Judæis reliquis manducavit, & postea Eucharistiæ Sacramentum in pane azymo celebravit. Pro remota tamen hujus materia non instituit determinate azymum, sed tantum triticeum panem, & vinum de vite; quod modica aqua exemplo illius, & jubente sic Ecclesia misceri debet. Olim tam Orientales, quam Occidentales pane jam azymo, jam fermentato pro Eucharistia usi esse videntur: hodie vero hi solo azymo, illi fermentato uti tenentur ubi sui ritus Ecclesiam habent. Forma ejusdem Sacramenti sunt hæc, vel æquivalentia verba: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.*

## XVIII.

Corpus & Sanguis Christi, non figurate ut post Berengarium Zvinglius, & Calvinus voluit, sed vere realiter, & substantialiter præsens est in Eucharistia, una cum anima & Divinitate illius; non tamen cum aut in pane, ut Luthero visum est, sed ita, ut per verba consecrationis tota substantia panis in Corpus, & tota substantia Vini in Sanguinem, remanentibus duntaxat speciebus, convertatur. Communio sub utraque specie non est præcepta a Christo, ab Ecclesia vero usus Calicis non sacrificantibus juste prohibitus est. In Missa offertur DEO verum & proprie tale Novæ Legis Sacrificium: in quo rei oblatæ, seu hostiæ rationem habet solus Christus, ut existens sub speciebus panis & vini; actio vero sacrificandi est ipsa Consecratio Eucharistiæ.

## XIX.

Fide certum est contra Montanistas & Novatianos, Ecclesiam accepisse a Christo potestatem remittendi quævis peccata, nullumque omnino ante finem vitæ consummatum datur, quod remitti ab ea per Sacramentum Pœnitentiæ non possit. Constituitur hoc Sacramentum ex actibus pœnitentis, nempe ex contritione, confessione, satisfactione, tanquam ex materia, & ex Absolutione certis verbis a Sacerdote concepta, tanquam ex forma. Contritio non debet necessario esse charitate perfecta, sed sufficit etiam ex metu gehennæ, aut alio supernaturali motivo, fide prælucente orta, & cum spe veniæ conjuncta.

## XX.

## XX.

Distincta peccatorum confessio coram Sacerdote legitimo facienda, non est ab Innocentio III. inducta, ut ineptiebat Calvinus, sed a Christo ipso præcepta fidelibus, ita, ut mortalia omnia post Baptismum patrata, quorum post examen diligens recordantur, quoad numerum, & speciem infimam, omnesque circumstantias speciem mutantes declarare teneantur. Circumstantias tamen peccatum intra eandem speciem duntaxat aggravantes confitendi per se loquendo obligatio dari non videtur.

## XXI.

Satisfactio pro peccatis etiam quoad culpam remissis, non solum Ecclesiæ, sed & DEO præstari debet, quæ olim saltem ex parte Absolutioni præmitti regulariter solebat. Fidei dogma est dari Purgatorium, in quo justi pro culpis nondum plene expiatis debitas pœnas luunt, & viventium suffragiis juvari possunt. Indulgentias justa de causa largiendi potestatem habet Ecclesia, per easque non solum pœnæ Canonicæ sed etiam coram DEO debitæ relaxantur.

## XXII.

Mortalia omnia nunquam ex præcepto Pœnitentiæ publicæ subjecta erant, sed idololatria tantum, homicidium, & mœchia, cum nonnullis aliis in externo Ecclesiæ foro probatis, aut sponte confessis. Clerici vero majores ab agenda Pœnitentia publica exempti omnino fuerunt. Forma Absolutionis Sacramentalis sunt hæc, vel æquivalentia verba: *Absolvo te;* olim autem etiam verbis deprecativis concepta Absolutio, in usu fuisse, & apud Græcos hodiedum esse videtur, salva Sacramenti substantia.

## XXIII.

Extrema Unctio Marci 6. adumbrata tantum, & insinuata, post Resurrectionem vero a Christo instituta, & per Jacobum Apostolum fidelibus promulgata est. Materia illius est oleum olivæ, quod juxta leges Ecclesiæ Latinæ ab Episcopo benedici debet. Forma sunt hæc verba: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum*, &c. Olim indicativo etiam modo expressa compluribus Ecclesiis in usu fuisse legitur. Ad valorem Sacramenti sufficit unica unctio. Minister vero ejusdem est duntaxat Sacerdos rite ordinatus.

## XXIV.

Ordines, per quos in Ecclesia Latina ad Episcopatum ascenditur, sunt septem, nempe: Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii; ex quibus tres priores sacri & majores, cæteri minores dicuntur. Apud Græcos ex minoribus soli Lectores in usu esse videntur. Sacramenti ratio convenit Episcopatui, Presbyteratui, & Diaconatui: ex quibus Hierarchia Ecclesiastica a Christo instituta propriissime consurgit. Materia & forma essentialis Sacramenti Ordinis est impositio manuum Episcopi cum adjuncta oratione. Porrectio vero instrumentorum, cum verbis illi respondentibus in Occidente usitata, videtur esse materia & forma duntaxat integralis, & necessitate præcepti Ecclesiastici necessaria.

## XXV.

Ad essentiam contractus matrimonialis non pertinet ejus usus, seu copula carnalis, neque utendi propositum. Hinc inter B. V. Mariam, & S. Josephum non obstante voto Virginitatis perpetuæ verum consistere potuit matrimonium, & probabilius reipsa contractum est, cum pacto de non usu. In esse Sacramenti constituitur Matrimonium ex actibus illud contrahentium tanquam ex materia, & ex verbis Sacerdotis eos conjungentis tanquam ex forma. Hinc ut aliorum Sacramentorum, ita & hujus Minister videtur esse Sacerdos.

ET HÆC:

*O. A. M. D. G. B. V. S. L. C. E. SS. OO.*

*Honorem.*

DE

DE

# DEO UNO, ET TRINO.

## I.



Cientia, quam Sacræ Scripturæ DEO attribuunt, proprie illi convenit, cum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. Hæc pro diverſitate objectorum ſcibilium dividitur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, viſionis, & mediam inter utramque. Per ſimplicem intelligentiam DEUS ſeipſum cognoſcit, & quasvis creaturas poſſibiles. Per ſcientiam viſionis videt contingentia abſolute futura etiam libera. Per ſcientiam mediam cognoſcit actus creaturæ liberos ſub conditione indifferente, & conducente futuros absque decreto ſubjective abſoluto, objective conditionato.

## II.

Exercitium actuale liberum Divinæ voluntatis, præter volitionem DEI intrinſecam, eamque neceſſariam ac indefectibilem non importat entitatem quampiam DEO contingentem. Providentia DEI eſt omnium rerum creatarum per ideonea media ad ſuos fines ſapientiſſima ordinatio. Prædefinitio formalis & efficax actus, ſubſequens ſcientiam mediam ſtat cum libertate actus prædefiniti, non item ſcientiam mediam antevertens.

## III.

Prædeſtinatio electorum ad gloriam ut coronam probabilius in moderna providentia facta eſt dependenter a ſcientia media de meritis conditionate futuris. Reprobatio vero poſitiva impiorum ad pœnam æternam facta eſt primum poſt demerita abſolute prævisa. Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis conſiſtit in eo, quod in una ſingulari & individua natura Divina, dentur tres Perſonæ realiter diſtinctæ: nec alia in hoc myſterio datur diſtinctio, quam perſonalis mixta identitate eſſentiali. In hypotheſi Græcorum, ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, vi illationis formalis non diſtingueretur ab eodem realiter.

# DE
# ANGELIS, BEATITUDINE, ET ACTIBUS HUMANIS.

## IV.

ANgeli ſunt ſubſtantiæ creatæ pure ſpirituales, & immortales. Lucifer peccavit, unionem hypoſtaticam ſibi appetendo. Damnati Angeli puniuntur igne vero ſive corporeo, quatenus eidem impenetrabiliter & irreſiſtibiliter alligati, inſtar animæ in corpore uſtulato torquentur.

## V.

Finis ultimus creaturæ rationalis eſt ſolus DEUS, uti & Beatitudo objectiva ſupernaturalis. Primarium objectum hujus Beatitudinis eſt eſſentia Divina. Formalis Beatitudo eſſentialiter & adæquate in viſione intuitiva & amore DEI perpetuis habetur; cum hac nullum peccatum componi poteſt: potentia tamen proxima peccandi antecedens eodem inſtanti phyſico componibilis eſt cum Beatitudine.

## VI.

Actus humani neceſſario ſunt voluntarii. In potente humano modo operari tametſi admittamus non poſſe dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, ſaltem quoad principia primaria, admittimus tamen poſſe dari quoad illationes remotiores, & magis arduas, quæ ſecundum quod datur, effectum reddit involuntarium, & a peccato formali excuſat.

## VII.

Ad rationem meriti vel demeriti non ſufficit ſola libertas a coactione, verum neceſſaria præterea eſt libertas a neceſſitate. Hujus libertatis exiſtentia non ſolum eſt de fide, utpote a Scripturis enunciata, & a Conciliis, & Summis Pontificibus adverſus hæreticos libertatis oſores ſæpius definita, ſed etiam ex communi omnium nationum conſenſu, & evidentibus rationibus eſt manifeſte comprobata. Prima regula morum eſt Lex æterna DEI. In materia morum dum concurrunt duæ opiniones oppoſitæ, quarum utraque eſt certo practice probabilis, etſi una minus ſit probabilis & materialiter minus tuta quam altera, non datur obligatio in conſcientia ſequendi probabiliorem & tutiorem.

DE

# DE PECCATIS, LEGIBUS, GRATIA, ET MERITO.

## VIII.

PEccatum actuale Theologicum est libera transgressio legis Divinæ. Mortale nec in ratione malitiæ, nec aversionis, nec offensæ, aut demeriti est proprie, & simpliciter infinitum. Originale peccatum omnes puri homines, etiam fidelium proles, naturaliter ab Adamo descendentes contrahunt: ob quod parvuli sine Baptismo decedentes puniuntur privatione Beatitudinis æternæ; non item pœna ignis; quemadmodum docent plerique Doctores Scholastici post seculum XII. Lenem tamen quempiam dolorem & tristitiam percipient propter amissam Beatitudinem: neque aliud S. Augustinus hac in parte contra Pelagianos intendit, nisi ut isti veram rationem pœnæ in exclusione a visione beatifica agnoscerent.

## IX.

B. V. Maria in se peccatum originale nunquam contraxit, sed in primo instanti suæ Conceptionis seu infusionis animæ in corpus, fuit immaculata & ornata habituali gratia; immo a debito quoque proximo illud contrahendi immunis erat. Certitudo Theologico-moralis Piæ sententiæ, ut appellatur a Sede Apostolica, e locis Theologicis evincitur. Ejusdem B. Mariæ V. immaculatam Conceptionem etiam usque ad sanguinem tuendi votum, licitum, ac laudabile esse asserimus.

## X.

Lex naturalis non potest in se ipsa mutari, neque humana, neque divina potestas in ea proprie dispensare potest: patitur tamen improprie dictam dispensationem. Lex vetus sive Mosaica quamvis abrogata fuerit in Christi morte, non tamen illico exitiosa, & mortifera evasit; eamque Apostoli absque ulla simulatione, durante Judaicæ Reipublicæ statu, usurparunt; ut patet ex Epistolis Divi Augustini ad Sanctum Hieronymum datis.

## XI.

Principes tum Ecclesiastici, tum seculares habent potestatem condendi leges etiam in conscientia obligantes, ad

quarum obligationem neceſſaria quidem eſt ſolennis earum promulgatio, non tamen neceſſaria eſt populi acceptatio extra ſtatum Democraticum. Lex humana non ſemper obligat cum periculo vitæ, aut gravis incommodi.

XII.

Gratiæ ſupernæ actuale, & intrinſecum auxilium neceſſarium omnino eſt in præſenti providentia ad omnia & ſingula opera ſalutaria; ac proinde etiam ad fidem, ejusque initium, contra ac volebant Pelagiani & Maſſilienſes, ſive Semi-Pelagiani; quamvis ejusmodi gratia in ſupernaturali illuſtratione, & pia inſpiratione conſiſtens, non ſit principium phyſice effectivum operis ſalutaris, ſed moraliter tantum ad illud concurrat.

XIII.

De Fide eſt contra Janſenium, & Quesnellum, in ſtatu naturæ lapſæ dari auxilia gratiæ ſimpliciter ſufficientia, quæ per liberum voluntatis diſſenſum redduntur pure ſufficientia. Omnibus & ſingulis adultis ratione utentibus confert DEUS loco & tempore opportuno gratiam proxime, vel remote ſufficientem ad æternam ſalutem obtinendam, ne obduratis quidem, & excœcatis, atque infidelibus exceptis. Omnibus etiam parvulis, licet ſine Baptiſmo ex hac vita decedentibus, proviſum eſt a DEO de mediis ſufficientibus ad Baptiſmi ſuſceptionem.

XIV.

Efficacia gratiæ non conſiſtit in auxilio neceſſitante ſive ab intrinſeco efficaci, nec etiam in prædeterminante voluntatem ad conſenſum, aut in Decreto concomitante conſenſum: neque in delectatione Cœleſti ſeu ob majorem præ oppoſita concupiſcentia intenſionem, ſeu abſolute ratione ſui neceſſario victrice: neque illud ſyſtema de gratia efficaci fundamentum habet in doctrina Divi Auguſtini, ut falſo opinabatur Janſenius; immo ab ea quam maxime alienum eſſe clariſſimis textibus ejusdem Sancti Doctoris oſtenditur.

XV.

Itaque efficacia gratiæ in actu primo conſiderata eſt auxilium ita excitans voluntatem ad bonum, ut etiam repudiari, & cum actu malo componi poſſit, quod tamen hic & nunc infallibiliter, ac determinate cauſaturum eſt cum voluntate noſtra actum ſalutarem ob reſpectum, ſive connexionem reſultantem ex abſoluta auxilii illius exiſtentia, & conſenſus noſtri ſub illo futuritione.

XVI.

XVI.

In ratione ſpecialis beneficii gratia efficax importat ſcientiam mediam, prædefinitionem actus ſalutaris, & decretum collativum auxilii, ſub quo videtur voluntas creata conditionate conſenſura. Cauſa formalis unica noſtræ juſtificationis eſt gratia ſanctificans, quæ ut forma juſtitiæ noſtræ eſt metaphyſice incompoſſibilis cum omni peccato gravi.

XVII.

Hæc gratia ſanctificans probabilius eſt ipſa Perſona Spiritus Sancti peculiari modo inhabitans animam juſti. Ad meritum congruum coram DEO requiritur, ut habeatur actus poſitivus, & honeſtus, in ſtatu viæ dependenter a gratia ſuperna libere elicitus; ad condignum præterea neceſſarius eſt ſtatus gratiæ. Principium per ſe & determinate requiſitum ad meritum non poteſt eſſe præmium ejusdem meriti.

## DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

XVIII.

VIrtutes Theologicæ ſunt tres; nempe: Fides, Spes, & Charitas. In prima juſtificatione cuivis hominum a DEO infunduntur ſimul cum gratia ſanctificante, influuntque etiam in inſtanti urgentis præcepti ſalva formali & immediata libertate creata. Fidei objectum formale eſt authoritas DEI loquentis & ipſa revelatio, prout actum DEI internum & ſignum quodpiam externum complectitur. Hæc authoritas conſtituitur per infallibilem ſapientiam DEI in cognoſcendo, & indefectibilem veracitatem in loquendo.

XIX.

Revelatio univerſalis ſufficit ad credenda ſingularia ſub univerſali evidenter contenta. Quatuor ſunt Symbola Fidei: Apoſtolorum, Nicœnum, Conſtantinopolitanum, & vulgo S. Athanaſii. In Conſtantinopolitano recte eſt addita vox *Filioque*. Symbolum Athanaſio adſcriptum, utrum reipſa ſit ab eodem confectum? in utramque partem diſceptari, & defendi poteſt.

XX.

Fides in Chriſtum eſt neceſſaria ad ſalutem, ſola tamen, ut volunt Libertini, non ſufficit. Explicita fides in DEUM ut remuneratorem ſupernaturalem, cuivis adulto peccatori ſemper erat neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. Eadem pro-

ba-

babilius neceſſitate a promulgato Evangelio neceſſaria eſt fides explicita in myſterium SS. Trinitatis & Incarnationis.

XXI.

Illicitum eſt negare externe fidem, etſi ea animo retineatur, aut occultare per actiones vel veſtes falſæ Religioni omnino proprias. Non item univerſe fugere imminente perſecutione, ut contendit Tertullianus. Catholica Religio non ſolum abſolute in ſe, verum etiam reſpective ad quascunque ſectas eſt evidenter credibilis & credenda, ita ut in comparatione illius, quævis altera ſecta ſit incredibilis.

XXII.

Libri omnes veteris, & novi Teſtamenti tum Proto, tum Deutero-Canonici a DEO ſunt inſpirati quoad res & ſententias. Sola Scriptura ſacra non eſt ſufficiens regula fidei, etiam ſumpta cum privato ſpiritu Lutheranorum & Calvinianorum. Traditiones Divinæ & Apoſtolicæ neceſſario admittendæ, eandem, quam Scriptura, habent authoritatem.

XXIII.

D. Petrus accepit a *Chriſto in totam* Eccleſiam primatum honoris & poteſtatis. In hoc, jure Divino ei ſuccedit Romanus Pontifex; eſtque caput Eccleſiæ etiam in Synodo generali congregatæ, & ſupra Concilium. Credibile eſt fide Divina Romanum Pontificem, hodie Benedictum XIV. Eſſe verum Chriſti in terris Vicarium.

XXIV.

Eccleſiæ Chriſti notæ recenſentur in Symbolo Conſtantinopolitano: Credo in *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apoſtolicam* Eccleſiam, quæ conveniunt Romanæ Eccleſiæ per totum orbem terrarum diffuſæ. Hæc infallibilem auctoritatem habet quæſtiones fidei controverſas decidendi. Nequit errare in damnatione propoſitionum continentium aliquod dogma; item in Canonizatione Sanctorum, & approbatione ordinum Religioſorum.

XXV.

Hanc eandem infallibilitatem habet Romanus Pontifex etiam extra Concilium, dum quidpiam definit tanquam Eccleſiæ caput; Concilium quoque Oecumenicum a Romano Pontifice approbatum eadem authoritate eſt præditum. Objectum formale Spei Theologicæ eſt bonitas reſpectiva DEI, ſimulque DEUS ut auxiliator. Charitatis Theologicæ objectum formale eſt bonitas DEI abſoluta. Adultus ſaltem ſingulis annis ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis obſtrictus eſt.

O. *A.* *M.* *D.* *G.*

# FLAVII JOSEPHI
## DE BELLO JUDAICO
## LIBRI VII.

### INTERPRETE RUFINO AQUILEJENSI, ad Græcum collati, & emendati per Sigismundum Gelenium.

### PROLOGUS.

*CUm bellum, quod cum populo Romano gessere Judæi, omnium maximum, quæ nostra ætas vidit, quæque auditu percepimus, civitates cum civitatibus, gentesve commisisse cum gentibus: quidam, non quod rebus interfuerint, sed vana & incongrua narrantium sermones auribus colligentes, oratorum more perscribant: qui vero præsto fuerunt, aut Romanorum obsequio, aut odio Judæorum contra fidem rerum falsa confirment: scriptis autem eorum partim accusatio, partim laudatio contineatur: nusquam vero exacta fides reperiatur historiæ: idcirco statui, quæ retro Barbaris antea missi, patria lingua digesta, Græca nunc his, qui Romano imperio reguntur, exponere, ego Josephus Matathiæ filius Hebræus genere, sacerdos ex Hierosolymis: qui & initio cum Romanis conflixi, posteaque gestis, quia necessitas exegit, interfui. Nam cum hoc, ut dixi, bellum gravissimum exortum est, Romanorum*

Historiographi officium. & qua ratione res gestæ conscribendæ.

Josephus ipse bello Judaico interfuit.

*quidem populum domeſticus motus habebat: Judæorum autem, qui ætate validi, & ingenio turbulenti erant, manu ſimul ac pecunia vigentes, adeo temporibus inſolenter abuſi ſunt, ut pro tumultus magnitudine, bos poſſidendarum ſpes, illos amittendarum partium Orientis metus invaderet. Quoniam Judæi quidem cunctos etiam, qui trans Euphratem eſſent, gentiles ſuos, ſecum rebellaturos eſſe crediderant. Romanos autem & finitimi Galli irritabant: nec Germani quieſcebant: diſſenſionumque plena erant omnia poſt Neronem: & multi quidem temporum occaſione Imperium affectabant: lucri autem cupidine exercitus rerum novandarum cupidi erant. Itaque indignum eſſe duxi, errantem in tantis rebus diſſimulari veritatem: & Parthos quidem, ac Babylonios, Arabumque remotiſſimos, & ultra Euphratem gentis noſtræ incolas, itemque Adjabenos, mea diligentia vere cognoſcere, unde cœpiſſet bellum, quantisque cladibus conſtitiſſet, quove modo deſiiſſet: Græcos vero & Romanorum aliquos, qui militiam ſecuti non eſſent, figmentis ſive adulationibus captos, iſta neſcire. At qui hiſtorias audent eas inſcribere, qui præter hoc (ut mihi quidem videtur) quod nihil ſani referunt, etiam de propoſito decidunt. Nam dum Romanos volunt magnos oſtendere, Judæorum res extenuant, & in humilitatem dejiciunt. Non autem intelligo, quonam pacto magni eſſe videantur, qui parva ſuperaverint. Et neque longi temporis eos pudet, quo bellum tractum eſt: neque multitudinis Romanorum, quam in ea militia labor exercuit: neque ducum magnitudinis: quorum profecto gloria minuitur, ſi, cum multum pro Hieroſolymis deſudaverint, rebus per eos proſpere geſtis aliquid derogetur. Nec tamen ego contentione Romanas res extollentium, gentiles meos amplificare decrevi: ſed facta quidem utrorumque ſine ullo mendacio proſequar: dicta vero de factis reponam, dolori atque affectioni meæ in deſendis patriæ cladibus indulgens. Nam quod*

Poſt Neronem diſſenſionum omnia plena.

Joſephus hiſtoriam hanc in Hebraica lingua antea conſcripſit.

Romanorum gloria minuitur, ſi quantum pro Hieroſolymis deſudaverint aliquid derogetur.

do-

*domeſticis diſſenſionibus eſt everſa, & in templum ſacroſanctum invitas Romanorum manus atque ignem Judæorum tyranni traxere, teſtis eſt, qui eam vaſtavit, ipſe Cæſar Titus: per omne bellum miſeratus quidem populum, quod a ſeditioſis cuſtodiretur: ſæpe autem conſulto differri paſſus civitatis excidium, protracto obſidionis ſpacio, dummodo belli pœniteret autores. Quod ſi quis me adverſus tyrannos, eorumque latrocinium accuſatorie loqui putet, vel patriæ miſeriis ingementem calumniari præter legem hiſtoriæ, dolori veniam tribuat. Ex omnibus enim, quæ Romano imperio parent, ſolam noſtram civitatem contigit ad ſummum felicitatis faſtigium evadere, eandemque in extremum miſeriæ dejici. Denique omnium poſt condita ſecula res adverſas, ſi cum Judæorum calamitatibus conferantur, ſuperatum iri non ambigo. Et horum autor nullus externus eſt: unde nec fieri poteſt, ut a queſtibus temperetur. Si quis autem durior miſericordiæ ſit judex, res quidem tribuat hiſtoriæ, lamenta vero ſcriptori: quanquam merito Græcorum diſertos increpaverim, qui tantis rebus ſua memoria geſtis, quarum comparatione præterita olim bella exigua redduntur, judices reſident aliorum facundiæ detrahentes: quorum etſi doctrinam ſuperant, propoſito vincuntur. Ipſi vero Aſſyriorum & Medorum geſta perſcribunt, veluti minus recte a ſcriptoribus antiquis fuerint expoſita: cum in ſcribendo tantum eorum viribus cedant, quantum ſententiæ. Erat enim unicuique ſtudium, quæ vidiſſet facta, conſcribere: quoniam & interfuiſſet rebus geſtis, & efficaciter quod promittebat, impleret: mentirique apud ſcientes inhoneſtum eſſe videretur. Eninvero nova quidem neque ante cognita memoriæ tradere, ſuique temporis res commendare poſteris laude ac teſtimonio dignum eſt. Induſtrius autem habetur, non qui alienam diſpoſitionem atque ordinem transfert, ſed qui nova dicendo etiam corpus proprium conficit hiſtoriæ.*

Titi erga populum miſericordia.

Calamitates omnium a mundo condito, cum Judæorum collatæ, ſuperantur.

Hiſtoriographi Græci bellum Judaicum ſilentio præterierunt.

Historiographus qui dicendus.

*Sed ego quidem sumptu ac labore maximo, qui cum sim alienigena, Græcis simul & Romanis gestarum rerum memoriam repono. Ipsis autem indigenis, ad quæstum quidem ac lites, ora patent, linguæque solutæ sunt. Ad historiam vero, in qua verum dicendum est, summaque ope negotia colligenda sunt, obmutescunt: concessa infirmioribus neque scientibus licentia scribendi res a principibus gestas. Honoratur itaque apud nos historiæ veritas, quæ a Græcis negligitur. Ab origine quidem Judæos repetere, qui fuerint, quove pacto ab Aegyptiis discesserint, quasque regiones errando peragraverint, & quas vel quoties incoluerint, & quemadmodum inde migraverint, neque hujus esse temporis, & præterea supervacaneum existimavi: quoniam multi ante me Judæorum de majoribus hujus gentis verissima composuerunt: & non nulli Græcorum, quæ illi scripserant, patria voce prosecuti, non multum a veritate deviarunt: ex eo autem historiæ principium summam, quo scriptores eorum & Prophetæ nostri desierunt. Et bellum quidem meis temporibus gestum, latius quaque potuero diligentia referam: quæ vero ætate mea sunt antiquiora, summatim breviterque percurram: Quomodo Antiochus cognomento Epiphanes, devicta penitus Hierosolyma, cum triennium sexque menses eam tenuisset, ab Asamonei filiis expulsus est. Deinde quod eorum posteri de regno dissentientes, ad res suas occupandas populum Romanum Pompejumque traxerunt: quomodoque Herodes Antipatri filius, eorum potentiæ finem fecerit, auxilio Sossii. Tum, quomodo Herode mortuo, plebis in eos orta seditio est, Augusto quidem imperante Romanis, Quintilio autem Varo provinciam obtinente. Quodque bellum anno duodecimo imperii Neronis eruperit: quamque multa per Cestium acciderint: quantaque ad primos impetus armis Judæi persuaserint: quoquo modo accolas permunierint: & quod Nero propter acceptas Cestii ductu clades summæ rei metuens,*

Historiæ veritas a Græcis negligitur.

Antiochus Epiphanes belli Judaici fons & autor.

Epitome belli Judaici.

Ves-

*Vespasianum bello præposuerit: & quod is cum maximo filiorum Judæam intraverit, quantumque Romanorum exercitum ducens: quantaque manus auxiliorum per omnem cæsa fuerit Galilæam: & quod ejus civitatum quasdam vi ceperit, alias deditione. Ubi etiam Romanorum in bello disciplinam, curamque rerum, & utriusque Galilææ spacia, & naturam, finesque Judææ, nec non & peculiarem terræ qualitatem, lacusque & fontes, captarumque civitatum mala, cum fide, sicut vidi, aut pertuli, expediam. Nec etiam miserias meas celaverim, cum scientibus eas relaturus sim. Deinde, quod jam fessis rebus Judæorum, Nero quidem mortem obierit: Vespasianus autem in Hierosolymam properans, imperii causa retractus sit: quæque signa de hoc ei contigerint, Romæque mutationes: & quod invitus a militibus Imperator declaratus sit: & quod eo disponendæ reipublicæ gratia in Aegyptum digresso, Judæorum status seditionibus agitatus sit: quoque modo tyrannis succubuerint, eorumque inter se discordias moverint. Et quod ex Aegypto Titus reversus, bis Judæorum fines ingressus sit: quoque modo exercitum, & quo in loco congregaverit: vel qualiter, & quoties civitatem affecerit ipso præsente seditio. Aggressus quoque numerosos, & quantos erexerit aggeres: triumque murorum ambitum & magnitudinem, sive mensuram, & munitionem civitatis, & fani templique dispositionem: ad hæc aræ spacium, mensuramque verissime dicam: festorum quoque dierum mores aliquos, septemque lustrationes, & munia sacerdotum. Itemque pontificis vestes, sancta. que templi cujusmodi fuerint, sine aliqua dissimulatione vel adjectione memorabo. Narrabo deinde tyrannorum in suos gentiles crudelitatem, Romanorumque in alienigenas humanitatem: quotiesque Titus, civitatem simul ac templum servare cupiens, ad concordiæ fœdera dissidentes provocavit. Disseram vero populi vulnera & calamitates: quamque*

Signa & mutationes post obitum Neronis.

Hierosolymâ Titus obsidet.

Judæorum mores & lustrationes.

Romanorum in Judæos humanitas.

*que multa mala nunc bello, nunc seditionibus, nunc fame perpessi, postea capti sint. Nec vero aut perfugarum clades, aut captivorum supplicia*

Incendiū templi ac civitatis excidium.

*prætermittam: vel quemadmodum templum invito Cæsare conflagraverit: quamque multæ opes sacræ flamma raptæ sint: ac totius, quæ reliqua erat, civitatis excidium: & quæ præcesserant portenta, atque prodigia, vel tyrannorum captivitatem, vel qui servitio abducti sunt, multitudinem: aut cui quisque fortunæ sit distributus: & quod Romani*

Romanorum de Judæis triumphus.

*quidem belli reliquias persecuti sunt, devictorumque munimina funditus eruerunt: Titus vero peragrata regione cuncta restituit: ejusdemque reditum in Italiam, ac triumphum. Hæc omnia septem libris comprehensa, adnixus, ne vituperationem a rerum scientibus, & qui bello interfuerunt, sustineam, studiosis veritatis magis quam voluptatis perscripsi. Narrandi autem initium faciam hoc ordine, quo capitula sunt digesta.*

Historiæ hujus conscribendæ causa.

FLA-

# FLAVII JOSEPHI
# DE BELLO JUDAICO
# LIBER I.

## SUMMA CAPITUM LIBRI I.
de bello Judaico.

1. *De vastatione Hierosolymæ ab Antiocho.*
2. *De successionibus Principum a Jonatha usque ad Aristobulum.*
3. *De Aristobulo, Antigono, Juda Essæo, Alexandro, Theodoro & Demetrio.*
4. *De bello Alexandri cum Antiocho & Areta, deque Alexandra & Hyrcano.*
5. *De bello Hyrcani cum Arabibus & expugnatione Hierosolymæ.*
6. *De bello Alexandri cum Hyrcano & Aristobulo.*
7. *De Aristobuli morte & bello Antipatri contra Mithridatem.*
8. *De accusatione Antipatri apud Cæsarem, de pontificatu Hyrcani & Herode bellum movente.*
9. *De Romanorum dissidiis post mortem Cæsaris, & insidiis Malichi.*
10. *De Herode accusato & vindicato.*
11. *De bello Partborum contra Judæos, & fuga Herodis ac fortuna.*
12. *De bello Herodis e Roma redeuntis pro Hierosolyma, & contra latrones.*
13. *De morte Josephi & obsidione Hierosolymæ per Herodem, & Antigono occiso.*
14. *De insidiis Cleopatræ in Herodem, & Herodis prælio contra Arabes & ingenti terræ motu.*
15. *Herodes exaltatus in regnum.*
16. *De urbibus & ædificiis instauratis & conditis ab Herode, deque munificentia qua usus est erga extra gentes, ejusque felicitate.*

17. *De dissidio Herodis cum filiis Alexandro*
*stobulo.*
18. *De conspiratione Antipatri contra pat*
19. *De veneno Herodi parato, & quomodo*
*tum sit.*
20. *De Antipatri in Herodem malignis stu*
*prehensis & ultis.*
21. *De aquila aurea, morteque Antipatri*
*rodis.*

ANNO MUNDI 3802. ANTE CHRISTUM NATUM 162.

## CAPUT I.

*De vastatione Hierosolymæ ab Antio*

CUm potentes Judæorum
dissiderent eo tempore,
tota Syria cum Ptolemæo
Antiochus, qui Epiphanes
est, ambigebat (erat autem illis conte
potentia, quod honoratus quisque g
ferret similibus subjugari) Onias qu
Pontificibus postquam prævaluit, Th
lios expulit civitate. Illi autem supp
Antiochum confugerunt, petentes,
ducibus inJudæam irrumperet. Idqu
persuasum est, jam pridem sic animat
re cum magnis militum copiis egressu
vitatem fortiter expugnatam capit, &
mam eorum multitudinem, quibus Pto
charior erat, interfecit. Dataque pa
litibus prædandi licentia, ipse & templ
liavit, & quotidianæ religionis assiduita
annos tres sexque menses inhibuit.
autem Onias effugit ad Ptolemæum:
que ab eo in Heliopolitana præfectur
ibi oppidum condidit Hierosolymis

Ant. lib. 12. cap. 6. Antiochus a Thobiæ filiis motus cũ exercituin Judæam irrumpit, ac Hierosolymam devincit.

Ant. lib. 15. cap. 4.

Onias Pontifex ad Ptolemæum effugit.

templumque ædificavit: de quibus iterum opportune referemus. Verumtamen Antiocho neque præter ſpem devicta civitas, neque populatio, neque tantæ cædes ſatis fuere: ſed intemperantia vitiorum, eorumque memoria, quæ in obſidione pertulerat, Judæos cogere cœpit, ut abrogato more patrio, nec infantes ſuos circumciderent, porcoſque ſuper aram immolarent; quibus omnes quidem adverſabantur, optimus vero quiſque propterea trucidabatur. Et Bachides præſidiis ab Antiocho præpoſitus, ad naturalem crudelitatem ſuam præceptis impiis obſecundans, omnimodam iniquitatem exceſſit: cum & ſingulatim viros honorabiles verberaret, & communiter quotidie ſpeciem captæ urbis exhiberet: donec eos atrocitate incommodorum, qui ea patiebantur; ad vindictæ audaciam irritavit. Denique * Matathias Aſamonæi filius, unus ex ſacerdotibus, ex vico, cui nomen Modin eſt, cum manu domeſtica (nam quinque filios habebat) ſicis armatus, Bachidem occidit: & ſtatim quidem præſidiorum multitudinem veritus, in montes refugit. Multis vero ex populo ſibi ſociatis, recepta fiducia deſcendit: commiſſoque prælio, ſuperatos duces Antiochi ex Judææ finibus exegit. Secundis autem rebus potentiam nactus, ſuiſque volentibus, quod ab alienigenis eos liberaſſet, imperans, moritur relicto Judæ principatu, qui filiorum ſuorum natu maximus erat. Ille autem (nec enim ceſſaturum exiſtimabat Antiochum) & indigenarum conflavit exercitum, & cum Romanis primus amicitiam pepigit: Antiochumque Epiphanem iterum in fines ſuos

A. M. 3802. A.C.N. 162.

Ant. lib. 12. cap. 7. Antiochus mores Judaicos abrogat.

Bachidis in Judæos crudelitas, Ant. libr. 1. cap. 7. 8.

*In Græco textu eſt Matthias.

Matathias multis ſibi ſociatis Antiocho bellum infert

Antiochus moritur, & principatum Antiocho filio relinquit.

A. M. 3802. A.C.N. 162. ingredientem vehementiſſima percuſſum plaga repreſſit. Adhuc autem fervente victoria, in præſidia civitatis impetum fecit: nec dum enim cæſa fuerant: habitoque conflictu, milites de ſuperiori civitate, quæ pars ſacra dicitur, ad inferiorem compellit. Fano autem potitus, & locum purgavit omnem, muroque cinxit: & vaſa nova divinis rebus curandis fabricata, in templum intulit, veluti prioribus profanatis: aramque aliam ædificavit, & religionibus dedit initium. Sacro autem ritu vix civitati reddito, moritur Antiochus. Regni autem ejus, & in Judæos odii filius Antiochus hæres exſtitit; quare coactis peditum millibus L. equitum autem prope V. millibus, LXXX. vero elephantis, montana Judææ partes aggreditur. & Bethſuram quidem oppidum capit: in loco vero cui Bethzachariæ nomen eſt, qua tranſitus erat anguſtior, Judas cum ſuis copiis occurrit: & prius quam congrederentur agmina, Eleazarus frater ejus, perſpecto præter alios excelſo elephante, turrique maxima & munimentis aureis ornato, illic Antiochum eſſe ratus a ſuis procul excurrit: ruptaque hoſtili acie ad elephantum uſque pervenit. Sed illum quidem, quem Regem eſſe opinabatur, contingere, quod multum ſuperemineret, minime potuit, belluam vero in aluo percuſſam ſuper ſe dejecit, & obtritus interiit: nulla alia re geſta, niſi quod magnum opus agreſſus, vitam gloriæ poſthabuit. Qui tamen regebat elephantum, privatus erat. & ſi caſu in eo fuiſſet Antiochus, nihil plus Eleazaro præſtitiſſet audacia, quam ut ſola ſpe præclari facinoris mortem videretur optaſſe. Hoc autem

Antiochus poſt patris obitum cum numeroſo exercitu Judæorũ fines ingreditur.

Ant. libr. 12. cap. 14. 15.

Eleazarus ab Elephanto oppreſſus moritur.

Eleazarus vitam gloriæ poſthabet.

autem fratri ejus totius prælii præſagium fuit. nam fortiter quidem Judæi diuque decertarunt: ſed a Regiis ſecunda fortuna uſis, numeroque præſtantibus ſuperati ſunt: multiſque interfectis Judas cum cæteris in Gophoniticam toparchiam refugit. Antiochus autem Hieroſolymam profectus, ibique dies paucos commoratus, penuria utenſilium abſtitit: relicto quidem ibi præſidio, quantum ſatis eſſe arbitrabatur: cætera vero multitudine ad hyemandum deducta in Syriam. Diſceſſu autem Regis Judas non quieſcebat: ſed acceſſione multorum ſuæ gentis animatus, aggregatis etiã, quos ex prælio receperat, apud vicum Adaſa cum Antiochi ducibus congreditur: factiſque fortibus in prælio cognitus, multis hoſtibus interfectis occubuit, & in diebus paucis frater ejus Joannes occiditur, inſidiis eorum captus, qui cum Antiocho ſentiebant.

A. M. 3802. A.C.N. 162.

Antiochus ad Hieroſolymam proficiſcitur, præſidium que ibi relinquit. Ant. libr. 12. cap. 18.

Judas cũ Antiochi ducibus congreditur & occiditur.

## CAPUT II.

### *De ſucceſſionibus principum a Jonatha uſque ad Ariſtobulum.*

Cum autem ſucceſſiſſet ei frater Jonathas, & in aliis, quæ ad indigenas pertinerent, cautius ſe ageret, ſuamque potentiam Romanorum amicitia corroboraret, Antiochi quidem filio reconciliatur, non tamen horum ei quicquam profuit ad depellendum periculum. Namque Triphon tyrannus, Antiochi quidem filii tutor, ſed inſidiis eum captans, & præter hoc amicis nudare cupiens, Jonathan, cum ad Antiochum paucis comitatus Ptolemaida veniſſet, dolo comprehendit, eoque vincto con-

Ant. libr. 13. cap. 1.

A. M. 3805. A.C.N. 159.

tra Judæam movit exercitum, unde repulsus a Simone Jonathæ fratre, quodque ab eo superatus esset, iratus eundem Jonathan interfecit. Simon autem fortiter regendis rebus intentus, Zara quidem & Joppen, & Jamniam capit. Evertit autem & Accaron subactis præsidiis: adversusque Tryphonem Antiocho auxilium præbuit, qui Doram ante expeditionem, quam in Medos fecit, obsidebat. Sed Regis aviditatem satiare non potuit, quamvis

Jonathas a Tryphone per insidias captus, interficitur.

Ant. lib. 13. cap. 9.

---

A. M. 3823. A.C.N. 141.

neci Tryphonis suam quoque operam adhibuisset. Non enim multo post Antiochus Cendebeum ex ducibus suis ad vastandam Judæam opprimendumque Servitio Simonem cum exercitu misit. Ille autem quanquam senior erat, bellum tamen juveniliter administrabat: & filios quidem suos cum validissimis præmisit, parte vero multitudinis comitatus alio latere aggreditur: multisque per multa loca insidiis etiam in montana dispositis, in omnibus superat, clarissimaque potitus victoria, Pontifex declaratur: & ducentos septuaginta post annos Judæos liberat a dominatione Macedonum: sed & ipse periit in convivio, captus insidiis Ptolemæi generi sui: qui ejus conjuge duobusque filiis in custodiam conclusis, certos misit, ut Joannem tertium, cui etiam Hyrcanus nomen fuit, interficerent. Cognito autem impetu qui parabatur, adolescens ad civitatem properabat, multo populo fretus, & propter memoriam paternæ virtutis, & quod iniquitas Ptolemæi cunctis esset invisa. Voluit autem Ptolemæus etiam alia porta ingredi civitatem, sed a populo rejectus est, qui maturius Hircanum susceperat: & is quidem statim recessit in

Simon eum Cendebeo cōgreditur, eumque vincit.

Ant. libr. 13. cap. 14.

Simon insidiis Ptolemæi generi sui captus & interfectus.

Joannes qui & Hircanus Simonis filius.

quod-

quoddam ultra Hierichunta caſtellum, quod Dagon vocatur. Hyrcanus autem paternum honorem Pontificis aſſecutus, poſtquam Deo ſacrificia reddidit, velociter Ptolemæum petit, & matri ſimul & fratribus adjumento futurus: caſtellumque aggreſſus, aliis quidem rebus ſuperior erat, juſto autem dolori cedebat. Ptolemæus enim quoties premeretur, matrem ejus fratresque in murum productos, palam ut poſſent conſpici, verberabat: eoſdemque præcipitandos, niſi quamprimum recederet, minabatur. Unde Hyrcanum quidem plus timor ac miſericordia, quam iracundia commovebat. Mater vero ejus nihil plagis aut intentata nece perterrita, manus protendens, filium precabatur, ne vel ſuis fractus injuriis, parceret impio: ſiquidem ipſa ſibi mortem a Ptolemæo propoſitam immortalitate duceret meliorem, dummodo ille pœnas eorum, quæ in domum ſuam contra fas admiſiſſet, expenderet. Joannes autem nunc obſtinationem matris cogitans, ac preces ejus audiens, ad irruendum impellebatur: modo verberari eam, lacerarique conſpiciens, effœminabatur: totusque plenus doloris erat. Ob hæc autem diu tracta obſidione, feriatus annus advenit: quem ſeptimo quoque circuitu redeuntem, apud Judæos ceſſare moris eſt, exemplo ſeptimorum dierum. Et in hoc Ptolemæus obſidionis requiem nactus, fratribus Joannis una cum matre occiſis, ad Zenonem confugit, qui Cotylas cognominatus eſt, Philadelphiæ tyrannum. Antiochus autem ob ea, quæ per Simonem paſſus fuerat, iratus, in Judæam ducit exercitum: ibique aſſidens Hieroſolymis, Hyrcanum obſidebat. Ille autem

A. M. 3831. A.C.N. 133.

Hyrcanus paternum honorem Pontificis aſſequitur

Ptolemæi erga Hyrcani matrem ac fratres crudelitas

A. M. 3839. A.C.N. 125.

Ptolemæus fratres Joannis una cum matre occidit.

A. M. 3839. A.C.N. 125. autem patefacto ſepulchro David, qui Regum ditiſſimus fuerat, ablatisque inde pecuniæ plus quam tribus millibus talentorum, & Antiocho perſuaſit, datis ei trecentis talentis ab obſidione diſcedere, primusque Judæorum privatis opibus alere peregrina cœpit auxilia. Rurſuſque tamen, quando Antiochus contra Medos bello ſuſcepto tempus ei vindictæ præbuit, confeſtim adverſus civitates Syriæ perrexit, vacuas propugnatoribus eſſe ratus: quod & verum fuit. Medabam quidem & Samæam cum proximis, nec non & Sichimam, & Garizim ipſe cepit, & ſuper his Chuthæorum gentem, adjacentia fano loca incolentium, exemplo ejus, quod eſt Hieroſolymis, ædificato. Cepit autem & Idumææ non paucas alias civitates, & præterea Doreon, & Mariſan. In Samariam vero uſque progreſſus, ubi nunc eſt Sebaſte civitas ab Herode Rege condita, ex omni eam parte concludit filiosque ſuos Ariſtobulum & Antigonum obſidioni præfecit. Quibus nihil remittentibus, ad hoc famis penuria, qui erant intra civitatem, venerunt, ut etiam inſuetam carnem cogerentur attingere. Igitur Antiochum adjutorem ſibi advocant, Spondium cognominatum. qui cum prompta eis voluntate paruiſſet, ab Ariſtobulo & Antigono ſuperatur: & ille quidem ad Scythopolim uſque, perſequentibus eum memoratis fratribus, effugit: hi vero in Samariam reverſi, & multitudinem iterum intra murum concludunt, & expugnata civitate ipſam diruunt: & habitatores ejus captos abducunt. Proſpere autem geſtis ita cedentibus, alacritatem refrigeſcere non ſinebant: ſed cum exercitu Scythopolim uſque pro-

Ant. lib. 13. cap. 15. Antiochus acceptis ab Hyrcano trecentis talentis ab obſidione diſcedit.

Ant. lib. 13. cap. 16. 17. Sebaſten civitatem Ariſtobulus & Antigonus obſidione cingunt.

Sebaſte expugnata, diruta, ejusque habitatores abducti.

progressi, & ipsam pervaserunt, & agros intra Carmelum omnes inter se partiti sunt. A. M. 3839. A.C.N. 125.

## CAPUT III.

### *De Aristobulo, Antigono, Juda Essæo, Alexandro, Theodoro & Demetrio.*

SEcundarum autem rerum Joannis & filiorum ejus invidia seditionem gentilium concitavit, multique adversus eos collecti non quiescebant, donec aperto bello devicti sunt; reliquum vero tempus Joannes cum fortunatissime viveret, & optime rebus per annos triginta & tres administratis, & quinque filiis relictis moritur: vir plane beatissimus, & qui nullam dedisset occasionem, cur ejus causa de fortuna quispiam quereretur. Denique tria vel maxime præcipua solus habebat, nam & gentis Princeps, & Pontifex erat, & præterea Propheta: cum quo Deus ita colloquebatur, ut futurorum nihil penitus ignoraret, quin etiam de duobus majoribus filiis suis, quod rerum domini permansuri non essent, prævidit atque prædixit. Quorum vitæ quis fuerit exitus, narrare non indignum videtur, quantumque a paterna felicitate diverterint. Patre namque mortuo natu major Aristobulus translato in regnum principatu, diadema sibi primus imposuit: quadringentis & octoginta uno annis ac tribus mensibus, postquam populus in eam terram devenit, servitio, quod apud Babylonios sustinuit, liberatus. Fratrem vero a se secundum Antigonum (namque illum diligere videbatur) in honore pari producebat: alios autem vinctos custodiæ tradidit: Matremque iti-

Seditiosi bello devicti.

Joannes Hircanus optime rebus per annos triginta tres administratis moritur.

A. M. 3861. A.C.N. 103.

Ant. lib. 13. cap. 18.

A. M. 3861. A.C.N. 103. itidem colligavit, auſam aliquid de poteſtate contendere; namque hanc rerum dominam Joannes reliquerat, eoque crudelitatis proceſſit, ut vinctam fame necaret. Horum autem facinorum pœnas Antigoni fratris morte perſolvit, quem plurimum amabat, quemque regni participem habebat, nam & hunc interemit, adductus criminationibus per malevolos regni compoſitis. Itaque primo quidem Ariſtobulus dictis fidem non habebat, qui & fratrem magni penderet, & pleraque livore fingi arbitraretur. Sed cum Antigonus ex militia clarus rediiſſet, feſtis diebus, quos tabernaculis poſitis Deo celebrare mos patrius exigebat, evenit eodem tempore, ut adverſa valetudo Ariſtobulum corriperet. Antigonus vero circa feſtorum ſolemniorum finem armatis comitatus templum ad orandum quam maxime petivit, plusque in honorem fratris aſcendit ornatus. Tumque delatores nequiſſimi Regem adeuntes, & armatorum pompam, & Antigoni arrogantiam privata fortuna majorem eſſe criminabantur, quodque maxima caterva ſtipatus, & illum interficere eo veniſſet: nec enim perpeti honorem ſolum ex regno habere, cui regnum ipſum liceat obtinere. His paulatim quamvis invitus tamen credidit Ariſtobulus. Ac ne vel ſuſpicari quicquam videretur, proſpiciens, & ut incerta præcaveret, ſuos quidem ſatellites in quendam ſubterraneum & tenebroſum locum tranſire jubet. Ipſe autem jacebat in caſtello, Bari ante, poſt autem Antonia cognominato: & ut inermi quidem parcerent, occiderent autem Antigonum, præcepit, ſi cum armis adiret: nec non & ipſi Antigono qui præciperent miſit, ut

Ariſtobulus matrem vinctam fame necat.

Ariſtobulus fratrem Antigonum plurimum amat.

Antigonus in honorem fratris in templum aſcendit.

Antigonus apud Ariſtobulum falſo accuſatur.

Ariſtobulus ſatellitibus ut Antigonum, ſi cum armis adiret, occiderent, præcipit.

ut inermis veniret. Ad hæc regina ſatis callidum cum inſidiatoribus conſilium capit, namque his qui ad eum miſſi fuerant perſuadet, ut mandata quidem Regis taceant, dicant vero Antigono, quod frater audiſſet, arma ſibi eum pulcherrima in Galilæa, ornatumque bellicum fabricaſſe: quæ ne ſingilatim inſpiceret, morbo impeditum fuiſſe: nunc autem, præſertim cum alio diſceſſurus ſit, libenter eum videret armatum. His auditis, Antigonus (ne quid enim mali ſuſpicaretur, fratris ſuadebat affectus) cum armis velut oſtentatum ſe veniens, properabat. Sed ubi ad obſcurum tranſitum, qui Stratonis pyrgus vocabatur, acceſſit, a ſatellitibus interemptus eſt: certumque documentum præbuit, omnem benevolentiam, jusque naturæ calumniis cedere, nullamque optimarum affectionum tantum valere, ut invidiæ perpetuo poſſit obſiſtere. In hoc autem etiam Judam quis non recte miretur? Eſſæus erat genere, qui nunquam divinando aberravit, neque mentitus eſt. Is Antigono tranſeunte per templum, mox ut eum vidit, ad notos, qui aderant, exclamavit (non paucos autem diſcipulos ſive conſultores habebat) Pape, nunc mihi pulchrum eſt mori, quando ante me veritas interiit, mearumque prædictionum aliquod mendacium deprehenſum eſt. Vivit enim iſte Antigonus, qui hodie deberet occidi. Locus autem neci ejus apud Stratonis pyrgum fato fuerat deſtinatus; & ille quidem ſexcentorum ab hinc ſtadiorum intervallo diſtat. Horæ vero diei ſunt quatuor: ſed & vaticinationem tempus effugit. Hæc locutus ſenior, mœſto vultu & mente ſolicita ſecum multa reputabat:

A. M. 3861. A.C.N. 103.

Reginæ callidum contra Antigonum conſilium.

Antigonus de fratre nihil mali ſuſpicatur.

Antigonus interficitur.

Judas Propheta Antigoni necem prædicit.

A. M. 3861. A.C.N. 103. & paulo post interfectus Antigonus nunciatur, in loco subterraneo, qui eodem nomine, quo maritima Cæsarea, Stratonis pyrgus appellabatur: & hoc fuit, quod vatem fefellit. At vero Aristobulo confestim sceleris pœnitudine morbus ingravescit: semperque facinoris cogitatione solicitus, perturbato animo tabescebat, donec mœroris acerbitate viscеribus laceratis subito sanguinem vomeret. Hunc ergo unus e servulis ejus ministerio destinatus foras efferens, providentia numinis erravit: & ubi Antigonus erat occisus, super extantes adhuc cædis maculas cruorem interfectoris effudit. Ululatu autem eorum, qui id conspexerant, continuo sublato, tanquam puer de industria sanguinem illic libasset, clamor ad aures Regis pervenit: causamque requirebat: & cum eam prodere nullus auderet, ad resciendum magis ardebat. Ad extremum vero minitanti, vimque adhibenti, verum, quod erat, indicaverunt: atque ille cum lachrymis oppleſſet oculos, quantumque poterat, ingemuisset, hæc dixit: Sperandum certe non erat, ut maximum Dei lumen facta mea nefaria laterent: nam cito me ultrix cognatæ cædis justitia persequitur. Quam diu o corpus improbum! fratri matrique damnatam animam detinebis? quam diu paulatim illis libabo sanguinem meum? simul totum accipiant: neque jam meorum viscerum inferias fortuna derideat. His dictis illico moritur, cum non plus anno regnasset. Uxor vero fratrem ejus vinculis dissolutis Regem constituit Alexandrum, qui ætate major erat, & modestia præstare videbatur. Sed ille potestatem adeptus, fratrem qui-

Aristobulo fratricidii pœnitudine morbus ingravescit.

A. M. 3862. A.C.N. 102.

Servus in eo loco ubi Antigonus erat occisus interfectoris cruorem effundit.

Maximũ Dei lumẽ nefaria facta non latent. Ant. lib. 13. cap. 19.

Aristobulus misere moritur.

Alexandrum, Aristobuli fratrem Reginа Regẽ constituit, qui eveſtigio crudeliter agit.

quidem alterum regnum appetentem occidit: alterum autem privata vita contentum ablatis rebus ſecum habebat. Prælium etiam cum Ptolemæo cognomento Lathyro committit: qui oppidum Aſochim ceperat, & multos quidem peremit hoſtium, ſed victoria in Ptolemæi partes propenſior fuit. Poſtea vero quam ipſe pulſus a matre Cleopatra diſceſſit in Ægyptum, & Gadaram obſidione capit Alexander, & caſtellum Amathuntis, omnium maximum, quæ trans Jordanem ſita erant, ubi precioſiſſima quæque bonorum Theodori filii Zenonis habebantur. At Theodorus repente ſuperveniens, & proprias res recipit, & ſarcinas Regis aufert, Judæorumque fere decem millia interficit. Verum Alexander receptis poſt cladem viribus, aggreſſus maritimas regiones Raphiam capit & Gazam, itemque Anthedonem, quæ poſtea a Rege Herode Agrippas nominata eſt. His autem ſervitio domitis, concitatur in eum feſto die populus Judæorum. Nam plerumque epulæ ſeditiones accendunt. Nec videbatur inſidias poſſe comprimere, niſi conductitios haberet auxilio Piſidas & Cilicas: nam Syros mercenarios reſpuebat, propter ingenitam cum Judæorum gente diſcordiam. Cæſis autem ſupra octo millibus ex turba rebellium, Arabiæ bellum intulit. Ibique Galaaditis ac Moabitis ſubactis, tributoque his impoſito, ad Amathunta regreſſus eſt. Cumque Theodorum metus ejus ſecundis ſucceſſibus perculiſſet, caſtellum ſine præſidio repertum funditus eruit. Mox autem congreſſus cum Oboda Rege Arabum, qui locum fraudi opportunum in Galaadenſi

A. M. 3862. A.C.N. 102.

Alexander victoriam ab Theodoro amittit.

Judæorū contra Alexandrū in feſto die ſeditio.

Alexander Arabiæ & Amathunti caſtello bellum infertilludq; captum funditus eruit.

A. M. 3862. A.C.N. 102. regione occupaverat, captus insidiis totum amisit exercitum in vallem altissimam compulsum, atque obtritum multitudine camelorum. Ipse vero elapsus in Hierosolymam, olim sibi gentem infensam ad novarum rerum motus magnitudine cladis accendit. Fit autem etiam tunc superior, crebrisque præliis non minus quinquaginta millibus Judæorum per sex annos interfecit: nequaquam tamen victoriis lætabatur, quoniam regni sui vires consummeret. Unde armis omissis, sermone placido cum subjectis redire in gratiam conabatur. Illi autem inconstantiam ejus, morumque varietatem in tantum oderant, ut percontanti, quonam pacto eos sedare posset, dicerent, si moreretur: nam vix etiam mortuo daturos veniam, qui tam multa scelerate fecisset: simul etiam Demetrii auxilium, cui cognomen Acæro, accersiverunt; qui cum his majorum præmiorum spe facile paruisset, venissetque cum exercitu, miscentur auxiliis ejus Judæi circa Sichimam. Utrosque tamen Alexander mille quidem equitibus, sex autem peditum mercenariorum millibus excepit, cum haberet ex Judæis quoque prope ad decem millia bene sibi cupientium, adversæ autem partis essent equitum tria millia, peditumque millia quadraginta. Et priusquam veniretur ad manus, intercedentibus nunciis & præconibus, Reges transfugia tentabant: Demetrius quidem Alexandri mercenarios, Alexander autem Judæos, qui Demetrium sequerentur, obtemperaturos sibi sperantes. Sed cum neque Judæi sacramenta, neque fidem Græci contemnerent, armis jam cominus decernebant. Superatque præ-

Demetrius Judæis in auxilium venit.

Demetrii & Alexandri pugna, qua Demetrius superat.

prælio Demetrius, quamvis Alexandri mercenarii multa & animoſe & fortiter geſſiſſent. Eventus autem pugnæ præter ſpem cedit utrique; nam neque hi, qui Demetrium acciverant, in partibus victoris permanſerunt: & immutatæ fortunæ miſericordia, ſex Judæorum millia ſe ad Alexandrum, qui in montes effugerat, contulerunt. Hujus inclinationis momentum Demetrius ferre non potuit: ſed Alexandrum jam quidem collectis viribus prælio ſufficere ratus, omnem vero gentem ad eum tranſire exiſtimans, mox inde digreſſus eſt: non tamen reliqua multitudo ob abſceſſum auxiliorum ſimultates depoſuit: bello autem aſſiduo tamdiu cum Alexandro decertabat, donec pleriſque interfectis cæteros in Bemeſelim civitatem compulit, eaque ſubacta in Hieroſolymam captivos abduxit. Verum immoderata fecit iracundia, ut crudelitas ejus ad impietatem uſque procederet. Octingentis enim captivorum in media civitate crucifixis, mulieres earumque filios in conſpectu matrum necavit: atque hæc potans, & cum ſuis concubinis recubans, proſpectabat. Tantus autem populum terror invaſit, ut etiam diverſæ partis ſtudioſi proxima nocte octo millia hominum extra totam Judæam profugerent, quorum exilii, mors Alexandri, finis fuit. Cum ejusmodi factis tandem ægreque regni otium quæſiſſet, ab armis requievit.

A. M. 3862. A.C.N. 102.

Ant. lib. 13. cap. 20.

Judæi a Demetrio victore deficiunt.

Iracundia & crudelitas Alexandri immoderata, qui octingentos captivorum crucifigit.

Alexander ab armis requieſcit.

CA-

A. M. 3862.

## CAPUT IV.

A.C.N. 102. *De bello Alexandri cum Antiocho & Areta, deque Alexandra & Hyrcano.*

RUrsus autem fit ei turbarum initium Antiochus, qui etiam Dionysius dictus est, Demetrii quidem frater, sed eorum novissimus, qui Seleucum generis autorem habebant. Antiochū Demetrii fratrem Alexander timet. Hunc enim timens qui Arabas parato bello pulsarat, totum quidem super Antripatrida montibus proximum, & inter Joppes littora spacium, fossa altissima diremit: ante fossam vero murum ædificavit excelsum, turresque ligneas, ut faciles aditus obstrueret, fabricavit: nec tamen Antiochum arcere valuit. Exustis enim turribus, fossisque repletis, cum suis copiis transgressus est. Vindictaque posthabita, qua deberet eum, a quo prohibitus est, ulcisci, protinus contendit in Arabas. Rex Arabum Antiochi milites ex improviso invadit. Horum autem Rex in loca suæ nationi commodiora cedens, mox ad pugnam cum equitatu reversus (habebat autem numerum decem millium) imparatos ex improviso Antiochi milites invadit. Valido autem prælio commisso, quamdiu quidem supererat Antiochus, durabat ejus exercitus, quamvis eum passim Arabes trucidarent. Ubi vero procubuit (succurrendo enim victis semper in periculis aderat) omnes terga dederunt: maximaque pars eorum cum Alexandri copias Arabum Rex in fugam vertit, maximamque partem trucidat. in acie, tum in fuga absummitur. Reliquos autem in vicum Cana delapsos, alimentorum penuria perire contigit, præter admodum paucos. Damasceni & Aretas contra Alexandrum. Hinc Damasceni Ptolemæo Minnæi filio infensi Aretam sibi sociant: Syriæque cœles Regem constituunt: qui bello illato Judææ, postquam

quam pugna vicit Alexandrum, pactione di- A. M. 3862. A.C.N. 102.
ſceſſit. Alexander autem Pella capta Geraſam petivit rurſus opum Theodori avidus: triplicique ambitu circumdatis defenſoribus, locum expugnavit. Nec non & Gaulanen & Seleuciam, & eam, quæ Antiochi Pharanx dicitur, ſub jugum mittit. Ad hæc autem capto Gamala caſtello validiſſimo, ejusque Præfecto Demetrio multis criminibus involuto, in Judæam regreditur, expleto in militia triennio: lætusque a gentilibus ob res proſpere geſtas excipitur. Belli autem requiem ſecutum eſt morbi principium. Et quoniam quartano febrium recurſu fatigabatur, depulſum iri valetudinem credens, ſi rurſus animum negotiis occupaſſet, intempeſtivæ militiæ ſeſe dedit: & ultra vires corpus laboribus vexans, inter ipſos tumultus trigeſimo & ſeptimo regni anno moritur: idque Alexandræ conjugi ſuæ reliquit: Judæos ejus vel maxime dicto obedientes fore non dubitans: quod longe ab ejus crudelitate diſcrepans, & iniquitati reſiſtens, benevolentiam ſibi populi comparaſſet. Neque ſpes eum fefellit. Namque opinione pietatis obtinuit muliercula principatum. Quippe quæ morem gentis patrium probe norat, & qui ſacras leges temeraſſent, ab initio deteſtabatur. Cum autem duos filios Alexandro genitos haberet, natu quidem maximum Hyrcanum, & propter ætatem declarat Pontificem, & quod propterea ſegnior eſſet, quam ut poteſtate regia moleſtus cuiquam videretur, Regem conſtituit: minorem autem Ariſtobulum, privatum vivere maluit, quod ferventioris eſſet ingenii. Jungit autem ſe ejusdem mulieris do-

Alexander quartano febrium recurſu fatigatur. Ant. lib. 13. cap. 22.

Alexandra, Alexandri conjux pietatis opinione principatum obtinet.

Hyrcanus Alexandri filius natu maximus, Pontifex declaratur, poſt ad regiam dignitatē evehitur.

A. M. 3862. A.C.N. 102.

minationi quædam Judæorum factio, Pharisæi: qui præter alios pietatem colere putarentur, & peritius leges interpretari: ob eamque causam magis eos suspiciebat Alexandra, divinæ religioni superstitioseſe deserviens. Illi autem paulatim fœminæ simplici insinuati, quosvis pro sua libidine summovendo deponendo, itemque vinciendo, ac solvendo, jam procuratores habebantur: prorsus ut ipsi quidem regiis commodis fruerentur, expensas vero ac difficultates Alexandra perferret. Sed eadem mire callebat res administrare majores: itaque augendis copiis semper intenta, duplicem conflavit exercitum: neque pauca mercenaria paravit auxilia, quibus non modo statum suæ gentis roboravit, sed etiam metuendam se reddidit externæ potentiæ. Imperabat autem aliis, verum Pharisæis ipsa ultro parebat. Denique Diogenem quendam insignem virum, qui Alexandro fuerat amicissimus, interficiunt, ejus factum consilio criminati, ut octingenti (quos supra memoravi) Regis jussu tollerentur in crucem: nihilominus autem Alexandræ suadebant, ut & alios, quibus autoribus Alexander in eos fuisset concitatus, occideret. Cumque his nimia superstitione nihil abnuendum putaret, quos sibi libuisset, ea specie trucidabant, donec optimus quisque periclitantium ad Aristobulum confugeret, atque ille matri persuasit, ut his propter dignitatem parceret, civitate autem pelleret, quos nocentes existimaret. Igitur illi quidem data sibi copia per regionem dispersi sunt. Alexandra vero in Damascum misso exercitu, quoniam Ptolemæus sine intermissione civitatem

Pharisæi Alexandræ Reginæ insinuati paulatim procuratores habentur, cunctisque regiis commodis fruuntur.

Alexandra Pharisæis ultro paret.

Pharisæorum invidia & accusatione temeraria multi boni trucidati.

Aristobuli apud matrem deprecatio.

tem premebat, illam quidem nulla re memorabili gesta cepit. Regem autem Armeniorum Tigranem, qui admoto Ptolemaidi milite, Cleopatram circumsedebat, pactionibus donisque solicitat. Sed illum domesticarum turbarum metus, ingresso in Armeniam Lucullo, jamdudum inde retraxerat. Inter hæc Alexandra morbo laborante, minor ejus filius Aristobulus, cum famulis suis, quos multos habebat, omnesque pro ætatis favore fidissimos, universa castella obtinuit, & pecunia, quam ibi reperit, conductis auxiliis Regem se declaravit. Ob hæc miserata querelas Hyrcani mater, conjugem Aristobuli cum filiis includit apud castellum, quod a septemtrione fano adjacens, Baris antea vocabatur ut diximus, postea vero Antonia cognominata est, imperante Antonio, quemadmodum de Augusti & Agrippæ nomine Sebaste, & Agrippias aliæ civitates appellatæ sunt. Ante tamen Alexandra moritur, quam in Aristobulum fratris ejus Hyrcani contumelias vindicaret: quem dejici regno curaverat, quod ipsa novem annos administravit. Et hæres quidem omnium fit Hyrcanus, cui regnum etiam viva commiserat. Verum Aristobulus viribus atque autoritate præstabat. Habito autem inter eos circa Hierichunta de rerum summa conflictu, plerique Hyrcano relicto transeunt ad Aristobulum. Hyrcanus autem cum reliquis fuga pervenit in castellum Antoniam: ibique salutis obsides nactus (erat enim ibi in custodia, ut præmisimus, conjux Aristobuli cum filiis) prius, quam gravius aliquid accideret, ea lege in concordiam rediit, ut regnum quidem Aristo-

A. M. 3873. A.C.N. 95.

Aristobulus seipsū Regem declarat.

Alexandra conjugem Aristobuli cū filiis carceri includit.

Alexandra moritur, & Hyrcanum regni successorem constituit.

Ant. lib. 14. cap. 1.

Fratres ob regnū decertantes, certis conditionibus in concordiā redeunt

A. M. 3873. A.C.N. 95. bulus haberet, ipſe vero cederet, quaſi frater Regis aliis honoribus contentus. Hoc modo in fano reconciliati, cum in conſpectu circumſtantis populi benigniſſime alter alterum complexus eſſet, domus permutant: & Ariſtobulus quidem diſcedit in Regiam, Hyrcanus autem in Ariſtobuli domum.

## CAPUT V.

*De bello Hyrcani cum Arabibus & expugnatione Hieroſolymæ.*

Ant. lib 14.c.2.3.4

Hyrcanũ Antipater ut ad Aretam Regẽ Arabiæ confugeret, ejuſq; auxilio regnum repete et, hortatur.

METus vero & alios ejus inimicos præter ſpem dominantis occupat, & maxime Antipatrum jamdudum Ariſtobulo inviſum. Erat autem genere Idumæus, & nobilitate ac opibus gentis ſuæ princeps. Is igitur & Hyrcanum ut ad Aretam Regem Arabiæ confugeret, ejusque auxilio Regnum repeteret, hortabatur, & ipſi Aretæ, ut Hyrcanum ſuſciperet, atque in regnum deduceret, ſuadebat, multum obtrectans Ariſtobuli moribus, multisque Hyrcanum laudibus prædicans: ſimulque admonebat, quod eum deceret regno clariſſimo præſidentem, iniquitate oppreſſis manum porrigere: Hyrcanum autem injuriam pati, qui principatu jure ſucceſſionis ſibi debito excidiſſet. Sic inſtructis & præparatis ambobus, nocte cum Hyrcano ex civitate profugit: citatoque curſu in oppidum quod Petra dicitur ſaluus evaſit: ea eſt Arabiæ regia. Ibi poſtquam Hyrcanum in manum Regis Aretæ tradidit, multis dictis multisque muneribus ut auxilium præberet, quo in regnum deduceretur, effecit. Erant autem peditum equitumque mil-

Antipater nocte cũ Hyrcano ex civitate profugit, & ad Aretam Arabiæ Regẽ pervenit.

Aretas Hyrcano 50000. militum tradit.

millia quinquaginta, quibus nequaquam reſtitit Ariſtobulus: ſed primo impetu ſuperatus, in Hyeroſolymam fugere cogitur: atque omnino captus eſſet, niſi dux Romanorum Scaurus adverſis horum temporibus imminens ſolviſſet obſidionem: namque is ex Armenia quidem in Syriam miſſus erat a Pompejo Magno, qui cum Tigrane bellum gerebat. Sed ubi Damaſcum venit, recens a Metello & Lollio captam reperit: his inde ſubmotis, cognitoque in Judæa quid ageretur, illuc velut ad quæſtum cucurrit. Denique mox ut fines ingreſſus eſt, Judæorum legati ad eum veniunt a fratribus, utriſque, ut ſibi potius adjumento eſſent, orantibus. Sed trecentis talentis, quæ Ariſtobulus ei miſerat, juſtitia poſthabita eſt. Tot enim acceptis Scaurus ad Hyrcanum, & Arabes legatos mittit, Romanorum eis & Pompeji nomen intentans, niſi ab obſidione deſiſterent. Itaque & Areta ex Judæa in Philadelphiam recedit metu perculſus, & Scaurus Damaſcum redit. Ariſtobulus autem quod captus non eſſet, ſatis ſibi eſſe non credidit: ſed omnibus, quas haberet, copiis collectis, perſequebatur hoſtes: & circa locum, quem Papyrona vocant, prælio commiſſo, ſupra ſex eorum millia cædit: in quibus erat & Cephalon frater Antipatri. Hyrcanus vero & Antipater Arabum privati auxilio, ſpem in adverſarios tranſtulerunt. Et cum Pompejus Syriam ingreſſus Damaſcum perveniſſet, ad ipſum confugiunt, multisque muneribus ei datis, eadem illa, quibus apud Aretam uſi fuerant, allegantes, magnopere precabantur, ut Ariſtobuli violentia damnata, regno Hyrcanum reſtitueret, cui

A. M. 3899. A. C N. 65.

Scaurus Romanorum Dux.

Scaurus trecentis talentis ab Ariſtobulo acceptis, Hyrcanū & Arabes regione excedere jubet.

Hyrcanus & Antipater Pompeji auxilium implorant.

A. M. 3899 A.C.N. 65. tam ætate quam moribus deberetur. Sed nec Ariſtobulus ſibi defuit, corruptione Scauri fretus. Venerat autem quantum potuit ornatus cultu regio: deinde offenſus obſequiis, neque ferendum exiſtimans abjectius, quam Regem deceret, utilitati ſervire, a Dioſpoli regrediebatur. Ob hoc iratus Pompejus, etiam Hyrcano ejusque ſociis hoc precantibus, Ariſtobulum petit, & Romano ſimul exercitu & Syrorum inſtructus auxiliis. Cum vero Pellam & Scythopolim prætergreſſus Coreas veniſſet, unde Judæorum fines incipiunt per mediterranea loca ſubeuntibus: cognito Ariſtobulum in Alexandrium confugiſſe (caſtellum eſt magnifice ſtructum, in monte præcelſo ſitum) mittit, per quos eum juberet inde deſcendere. Ille autem decreverat, quia pro imperio vocaretur, periclitari potius quam parere. Sed populum videbat horreſcere: & amici monebant, ut Romanam vim cogitaret, quam ſuſtinere non poſſet. Itaque horum conſiliis obediens, deſcendit ad Pompejum: quodque juſte regnaret multis pro ſe dictis, in caſtellum rediit: & cum iterum deſcendiſſet provocatus a fratre, ac de ſuo jure cum eo diſceptaſſet, denuo regreditur, non prohibente Pompejo. Erat autem inter ſpem timoremque medius, & veniebat quidem velut exoraturus Pompejum, ut ſibi cuncta permitteret, ad montem vero revertebatur, ne quid regiæ dignitati derogare videretur. Quia tamen caſtellis eum Pompejo cedere placebat, hisque præpoſitos monere literis, ut decederent, quibus præceperat, ut non niſi manu ſua ſcriptis epiſtolis obtemperarent: juſſa quidem facit; ſed in Hieroſolymam

Ant. l. 14. cap. 6. 7.

Pompejus Romano ſimul exercitu & Syrorum inſtructus Ariſtobulum petit.

Ariſtobulum Pompejus deſcendere provocat.

Ariſtobulus ad Pompejum deſcendit.

lymam cum indignatione discessit: belloque jam congredi cum Pompejo cogitabat. Ille autem, nec enim tempus apparatui dandum putavit, statim eum insequitur: multum quippe alacritati ejus addiderat, circa Hierichuntem Mithridatis mors nunciata. Ubi pinguissima * Judææ regio & palmarum plurimum ac balsamum nutrit: cujus inciso lapidibus acutis robore stillantem lachrymam ex vulneribus colligunt. Cumque illic pernoctasset, mane in Hyerosolymam properabat. Itaque hoc ejus impetu perterritus Aristobulus, supplex occurrit, pecuniamque pollicitus, quodque semetipsum ei cum civitate permitteret, Pompejum mitigat sævientem. Nec tamen quicquam eorum quæ promisit, effectum est. Gabinium, qui ad suscipiendam pecuniam missus fuerat, ne in oppidum quidem Aristobuli socii receperunt. His commotus Pompejus, Aristobulum in custodiam collocat: ad civitatem vero profectus, explorabat, qua ex parte facilior esset accessus; nam & murorum ejus firmitatem oppugnari posse facile non videbat: vallemque pro mœnibus horribilem, fanumque illic cernebat proximum, adeo tutissima munitione circumdatum, ut etiam si civitas caperetur, secundum esset hostibus in eo refugium. Hoc autem diu quid faceret hæsitante, seditio intra civitatem orta est: Aristobuli quidem sociis bellum geri potius, Regemque liberari dignum esse censentibus: qui vero cum Hyrcano sentirent, Pompejo portas aperiri. Metus autem hos plures faciebat, Romanorum constantiam reputantes. Denique victa pars Aristobuli concessit in templum: & ponte

A. M. 3899. A.C.N. 65.

Aristobulus bello congedi cum Pompejo cogitat.

* Hed. Idumæa.

A. M. 3903. A.C.N. 61.

Pompejus Hierosolymã obsidione cingit.

Aristobulus Pompejo supplex occurrit.

Ant. l. 14. cap. 7. 8.

Pompejus urbe qua ex parte facilior esset accessus explorat.

Seditio in urbe inter Aristobuli & Hyrcani socios.

Pompejus in urbem venit, eiqs Regia domus traditur: Aristobulus cum suis

A. M. 3903. A.C.N. 61.

te, qui ab eo civitati jungebatur, abſciſſo, ut ad ultimum uſque reſiſteret, inſtruebatur. Cum autem alii Romanos recepiſſent in civitatem, hisque domum Regiam tradidiſſent, ad hæc obtinenda Pompejus unum e ducibus ſuis Piſonem cum militibus intromittit, iſque præſidiis in civitate diſpoſitis, quia nemini eorum, qui in templum confugerant, pacem perſuadere poterat, omnia quæ circum erant oppugnationi parabat: Hyrcano ejuſque amicis ad conſilia conferenda, & ad efficienda, quæ juberet, alacriter animatis. Ipſe vero ad partes ſeptentrionales foſſamque vallemque replebat omni genere materiæ per milites comportato, cum per ſe opus eſſet difficillimum propter immenſam altitudinem, & præterea Judæi modis omnibus deſuper obſiſterent: manſiſſetque labor imperfectus, niſi Pompejus obſervatis diebus ſeptimis, quibus Judæos religio ab omni opere manus abſtinere compellit, per eos aggerem cumulare præcepiſſet, inhibitis a prælio militibus. Pro ſolo enim corpore Judæis etiam per Sabbata pugnare licet. Igitur jam valle repleta, & impoſitis aggeri turribus, admotisque machinis Tyro allatis, mœnia tentabat. Deſuper obſtantes lapidibus repellebantur, cum diu turres obſidentium magnitudine ſimul & pulchritudine præſtantes, vim repugnantium ſuſtinerent. Verumtamen Romanis tunc plurimum defatigatis, Pompejus Judæorum tolerantiam, & in aliis admiratus eſt: & præcipue, quod nihil ceremoniarum inter media tela verſantes intermiſerunt: ſed velut in alta pace civitas ageret, quotidie ſacrificia & victimas, omnemque Dei cultum dili-

in templū concedit.

Pompejus foſſamque vallemq; replet, ac diem ſeptimum obſervat.

Pompejus aggeri turres imponit.

Judæi inter media tela verſantes nihil ceremoniarū intermittunt.

diligentiſſime celebrarunt, nec vel in ipſo excidio, cum ad aram in dies ſingulos trucidarentur, legitimis religionis ſuæ muneribus abſtinuerunt. Menſe igitur obſidionis tertio vix una turre dejecta, in fanum irruptum eſt. Primus autem murum tranſcendere auſus eſt Syllæ filius Fauſtus Cornelius, & poſt eum centuriones duo Furius & Fabius cum ſuis cohortibus: & circumſepto undique fano, alios alio confugientes, vel etiam pauliſper repugnantes interficiunt. Ubi plurimi Sacerdotum, quanquam hoſtes ſtrictis gladiis irruentes videbant, intrepidi tamen in peragendis rebus divinis perſeverabant: & in ipſo libandi templumque adolendi miniſterio mactabantur, ſaluti quoque præferentes religionis obſequium. Multos autem ſui gentiles adverſæ partis ſtudioſi trucidabant, plurimi ſeſe in rupes præcipitabant: nonnulli furibundi cunctis, quæ circa murum erant, in deſperatione ſuccenſis, pariter conflagrabant. Itaque Judæorum quidem millia duodecim occubuerunt, Romanorum vero perpauci: ſed plures fauciati ſunt. Nihil autem gravius in illa clade Judæorum genti viſum eſt, quam ſanctum illud arcanum, neque cuiquam prius viſum, alienis eſſe detectum. Denique Pompejus una cum ſuis comitibus templum ingreſſus, ubi neminem præter Pontificem adeſſe fas erat, quæ intus erant candelabra cum lychnis & menſis, in quibus libare atque adolere moris eſt, & vaſcula ex auro cuncta ſpectavit: congeſtamque pigmentorum molem, ſacræque pecuniæ ad duo millia talentorum. Nec tamen vel hæc vel aliud quicquam de ſacroſanctis opibus ſive inſtrumentis attigit: ſed poſtero die poſt excidium purgare

A. M. 3903. A.C.N. 61.

Duodecim Judæorum millia in templo occũbunt.

Pompejus una cum ſuis comitibus Sanctum ſanctorũ ingreditur.

Pompeji continentia.

templum ædituos jussit, & solennia sacra celebrare. Ipse autem Hyrcanum Pontificem declaravit: quod se & in aliis rebus alacrem obsidionis tempore præbuisset, promptamque ad bellum agrestium multitudinem ab Aristobulo revocasset: per quæ sicut imperatorem bonum decuit, benevolentia potius quam timore plebem sibi conciliavit. Inter captivos etiam comprehensus Aristobuli socer idemque patruus tenebatur. Et illos quidem qui maxime belli causa fuissent, securi percussit. Faustum vero, & qui una fortiter operam navaverant, præclaris præmiis donat, & Hierosolymis tributum indicit. Ablatas autem genti etiam, quas in Cœlesyria ceperant civitates, Romano, qui tunc erat, Præsidi parere jussit: propriisque tantum finibus circumcluſit. Instauravit autem in gratiam cujusdam ex libertis suis Demetrii Gadarensis, etiam Gadaram, quam Judæi subverterant. Mediterraneas præterea civitates ab eorum imperio liberavit, quas præventi non exciderant, Hippon & Scythopolim & Pellam & Samariam & Marisam: itemque Azotum & Jamniam & Arethusam: nec non & maritimas, Gazam & Joppen & Doram, & quæ pridem Stratonis pyrgus vocabatur, post autem ab Herode Rege claritsimis ædificiis transformata, Cæsarea nominata est: easque omnes indigenis civibus redditas provinciæ Syriæ conjunxit. Hujus autem & Judææ, cunctorumque administratione ad Ægypti usque fines & flumen Euphratem cum duabus legionibus Scauro permissa, Romam ipse per Ciliciam properavit, captivum ducens Aristobulum cum familia. Erant autem filiæ duæ totidemque filii: quorum unus Alexander ex

A. M. 3903. A C.N. 61.

Hyrcanus Pontifex declaratur.

Pompejus illos, qui maxime belli causa fuissent, securi percussit.

Pompejus multas præclaras civitates ab Imperio Judæorum liberat.

Aristobulus cum familia Romam vectus.

iti-

A. M. 3903. A.C.N. 61.

itinere fugit: minor autem Antigonus cum sororibus Romam vectus est.

## CAPUT VI.

*De bello Alexandri cum Hyrcano & Aristobulo.*

INterea Scaurus in Arabiam ingressus, ad Petram quidem regionum asperitate prohibebatur accedere: quæ autem circum erant, omnia vastabat, multis & in hoc malis afflictus; nam exercitum fames premebat: cui tamen Hyrcanus per Antipatrum victui necessaria suppeditabat: quem velut Aretæ familiarem etiam Scaurus ad eum legavit, ut bellum pactione deponeret. Itaque persuasum est Arabi, ut CCC. talenta daret: atque ita Scaurus ex Arabia transduxit exercitum. Alexander autem Aristobuli filius, qui Pompejum fugerat, magna manu medio tempore congregata, Hyrcano gravis imminebat, Judæamque depopulabatur. Quem quidem mature debellare posse credebat: quoniam disturbatum quoque a Pompejo murum Hierosolymis renovatum esse confidebat, nisi Gabinius in Syriam missus, qui Scauro successerat, qvum in aliis fortem se præbuisset, tum etiam in Alexandrum movisset exercitum. Hujus autem ille impetum veritus, & amplio-rem militum manum congregabat: donec facta sunt decem millia peditum, & mille quingenti equites: locaque opportuna muris, hoc est Alexandrium & Hyrcanium, & Machærunta non longe ab Arabiæ montibus, muniebat. Igitur Gabinius cum parte copiarum præmisso M. Antonio, ipse cum toto exercitu sequebatur. Lecti autem Antipatri comites, aliaque

Ant. l. 14. cap. 9. Arabs Scauro reconciliatur.

Ant. l. 14. cap. 10. Alexander Aristobuli filius, contra Hyrcanum magnam manum congregat.

A. M. 3904. A.C.N. 60.

Alexander 10000. peditum & 1500. equitum congregat.

A. M. 3904. A. C. N. 60.

Judæorum multitudo, quorum Malichus & Pitholaus principes erant: junctis cum M. Antonio viribus ſuis, Alexandro obviam proceſſerunt: neque ita multo poſt aderat cum ſuis copiis Gabinius. Alexander autem quod tum in unum confertam hoſtium multitudinem ſuſtinere non poterat, abſceſſit. Cumque Hieroſolymis appropinquaſſet, coactus prælio decertavit: amiſſisque ſex millibus, quorum tria viva capta ſunt, tria vero proſtrata, cum reliquis effugit. Gabinius autem ubi Alexandrium caſtellum venit, quia multos deſeruiſſe caſtra cognovit, promiſſa delictorum venia conabatur eos ante prælium ſibi conjungere. Cum autem illi nihil mediocre cogitarent, pleriſque interfectis reliquos in caſtellum concludit. In hoc prælio dux M. Antonius multa præclare geſſit: & quamvis ſemper & ubique vir fortis apparuiſſet, tamen tunc etiam ſuum vicit exemplum. Gabinius autem relictis, qui caſtellum expugnarent, ipſe civitates adire, & intactas quidem confirmare, ſubverſas autem erigere curabat. Denique juſſu ejus & Scythopolis habitari cœpit, & Samaria, & Anthedon, & Apollonia, & Jamnia, & Raphia, & Mariſa, & Dora, & Gadara, & Azotus, aliæque multæ, lætis civibus atque incolis ad eas concurrentibus. His autem recte diſpoſitis regreſſus Alexandrium, vehementius urgebat obſidium. Qua re territus Alexander, omnibus deſperatis, legatos ad eum miſit, & ignoſci delictis orans, & quæ ſibi parerent caſtella Machærunta & Hyrcanium tradere non dubitans: quin etiam Alexandrium ejuſdem poteſtati permiſit. Quæ quidem Gabinius omnia conſilio matris Alexandri funditus eruit,

Antipater cum copiis Alexandro obviam procedit.

Alexander cum hoſtibus prælio decertat, & ſex millia militum amittit.

M. Antonius Dux

Quas urbes Judæi receperint inhabitandas.

Ant. l. 14. cap. 11. Gabinium materAlexandri beneficiis lenire ſtudet.

eruit, ne rursus belli alterius receptaculum fierent. Aderat autem, quo suis Gabinium pal- A. M. 3904. A.C.N. 60.
paret obsequiis, viro suo cæterisque captivis metuens, qui Romam fuerant abducti. Post hæc ergo Gabinius Hyrcano Hierosolymam deducto, eique fani cura mandata, cæteris reipublicæ partibus optimates præfecit. Omnemque Iudæorum gentem in conventus quinque divisit: uno Hierosolymis, altero Doris, itemque tertio, ut apud Amathunta respondeat, destinatis: quarto Hierico, & quinto Sephoris Galilææ civitas attributa est. Singulari autem unius dominatione Judæi liberati, libenter ab optimatibus regebantur. Verumtamen non multo post evenit, ut turbarum his fieret initium elapsus Roma Aristobulus: qui magna iterum Judæorum manu conflata, partim cupida mutationis, partim quibus olim dilectus erat, primum occupat Alexandrium: idque recingere muro tentabat. Deinde cognito, quod Gabinius Sisennam & Antonium & Servilium duces contra se cum exercitu misit, in Machærunta concedit: vulgique imbellis onere depositio, solos armatos prope ad octo millia militum secum duxit: inter quos & Pitholaus erat secundarum partium rector cum mille viris ex Hierosolymis profugus. Romani autem sequebantur, habitoque conflictu, aliquandiu cum suis Aristobulus fortiter dimicando perseverabat, donec vi Romanorum subacti, cæsa sunt virorum V. M. prope vero ad duo millia in quendam tumulum confugerunt: cæterique mille cum Aristobulo, perrupta Romanorum acie, in Machærunta coacti sunt. Ubi Rex cum in ruinis prima vespera tetendisset, sperabat quidem aliam se manum per inducias

Judæorū Reipublicæ mutatio.

Ant. l. 14. cap. 12.

Aristobulus elapsus Roma iterum turbas cōcitat.

Aristobulus cum Romanis dimicat.

A. M. 3904. A.C.N. 60.

belli posse contrahere, castellumque bene munire. Impetum autem Romanorum supra quam poterat, per biduum remoratus postremo capitur: & cum Antigono filio, qui Romæ secum fuerat vinctus, ad Gabinium atque inde Romam perductus est. Sed illum quidem senatus carceri incluſit: filios autem ejus in Judæam transmisit, quia Gabinius scripserat per epistolas, id pro traditione castellorum conjugi Aristobuli spopondisse. Parato autem Gabinio bellum Parthis inferre, Ptolemæus impedimento fuit. Qui reversus ab Euphrate, petebat Ægyptum, Hyrcano & Antipatro amicis usus ad omnia, quæ militiæ necessitas exigebat: nam & pecuniis & armis eum, & frumento Antipater & auxiliis adjuvit. Et Judæis in ea parte vias, quæ Pelusium ducerent, observantibus, transmittere Gabinium persuasit: alia vero Syria discessu Gabinii commota, & Judæos iterum Alexander Aristobuli filius ad defectionem reduxit: & maxima multitudine conflata, Romanos omnes, qui per eam terram degerent, obtruncare decreverat. Quam rem Gabinius metuens (jam enim ex Ægypto redierat) hoc tumultu instante, nonnullis diffidentium præmisso Antipatro concordiam persuasit. Cum Alexandro autem millia triginta remansérant, & ille ad bellum promptus erat. Itaque ad pugnam egreditur. Occurrunt autem Judæi, & circa montem Itaburium congressi, decem millia sternuntur: cæteram vero multitudinem fuga dispersit. Et Gabinius ad Hierosolymam reversus (id enim Antipater voluit) rempublicam ejus composuit: deinde hinc profectus, Nabathæos pugna superat, & Mithridatem & Orsanem a Parthis perfugas clam dimittit:

Romani vincunt, & Aristobulum cũ filio Romã perducũt.

Alexander Aristobuli filius ad defectionem Judæos iterum reducit.

Judæi ab Romanis victi.

Gabinius Nabathæos pugna superat.

tit: eoſque militibus auſugiſſe dixit. Interea Craſſus ei ſucceſſor datus Syriam ſuſcepit. Is in Parthicæ militiæ ſumptum, & omne aliud aurum templi, quod Hieroſolymis erat, abſtulit, & a quibus Pompejus temperaverat, duo millia talentorum. Euphratem vero tranſgreſſus & ipſe perit & exercitus ejus: de quibus non eſt hujus temporis commemorare. Poſt Craſſum autem Parthos in Syriam properantes irruere Caſſius inhibuit, receptus in provinciam. Ejus autem favore quæſito, in Judæam feſtinabat: captisque Taricheis, prope ad tria millia Judæorum abducit in ſervitium. Occidit autem etiam Pitholaum, ſeditioſos Ariſtobuli colligentem, cujus necis ſuaſor erat Antipater. Huic autem nupta fuit ex Arabia nobilis fœmina, nomine Cypris: unde filios quatuor, Phaſaelum, & Regem Herodem, & Joſephum, & Pheroram, & Salomen filiam habebat. Cum autem omnium, qui ubique potentes eſſent, amicitiam hoſpitiis familiaritateque conquireret, præcipue Regem Arabum per affinitatem ſibi ſociavit: ejusque fidei commendans filios ſuos ad eum miſit: quoniam bellum cum Ariſtobulo gerendum ſuſceperat. Caſſius autem compulſo ad otium per conditiones Alexandro, ad Euphratem reverſus eſt, Parthos tranſitu prohibiturus, de quibus alio loco referemus.

A. M. 3904. A.C.N. 60.

Ant. l. 14. cap. 13.

Marcus Craſſus reliquum templi auri aufert.

Caſſius ad tria millia Judæorū in ſervitiū abducit.

Antipatri conjux nobilis ex Arabia fœmina.

## CAPUT VII.

*De Ariſtobuli morte & bello Antipatri contra Mithridatem.*

CÆſar autem poſt ſenatus & Pompeji fugam trans mare Jonium, rebus omnibus Roma-

A. M. 3917. A.C.N. 47.

maque potitus, ſolutum vinculis Ariſtobulum cum duabus cohortibus velociter ad Syriam miſit, & hanc facillime, & cuncta Judææ proxima per illum ſubjici poſſe ratus, verum & ſpem Cæſaris & Ariſtobuli alacritatem prævenit invidia. Nam veneno peremptus a Pompeji ſtudioſis, aliquandiu etiam ſepultura in patrio ſolo carebat, corpuſque mortui ſervabatur melle conditum, donec ab Antonio Judæis miſſum eſt in monumentis regalibus ſepeliendum. Occiditur autem Alexander quoque filius ejus, a Scipione ſecuri percuſſus Antiochiæ, ſecundum Pompeji literas, accuſatione ejus pro tribunali prius habita ſuper his, quæ in Romanos admiſerat. Ptolemæus autem Minnæi filius, qui Chalcidem ſub Libano tenebat, captis ejus fratribus, filium ſuum Philippionem, qui eos arceſſeret, mittit Aſcalonem: atque ille abſtractum ab Ariſtobuli conjuge Antigonum, ejuſque ſorores adducit ad patrem. Amore autem captus, minorem earum conjugio ſuo copulat, ob eamque poſtea cauſam a patre occiditur. Accepit enim Ptolemæus in matrimonium Alexandram perempto filio: hujuſque affinitatis gratia fratres ejus propenſiore cura tuebatur. Antipater autem Pompejo mortuo in clientelam Cæſaris ſe contulit, & quia Mithridates Pergamenus ab acceſſu Peluſii prohibitus, cum exercitu quem ducebat in Ægyptum, apud Aſcalonem morabatur, non ſolum Arabas, quamvis hoſpes eſſet, auxilium ferre perſuaſit: verum & ipſe armata Judæorum tria circiter millia ſecum movit. Excitavit autem præſidio Syriæ quoque potentes, & incolam Libani Ptolemæum, & Jamblichum, & Ptolemæum alterum, quorum

Ant. l. 14. cap. 14.

Ariſtobulum captivum Cæſar vinculis ſolvit.

Ariſtobulus cum filio a Pompeji ſtudioſis perimitur.

Ant. l. 14. cap. 15.

Ptolemæi filius, minorem Antigoni filiarum conjugio ſuo copulat, ob eamque cauſa a patre occiditur.

rum gratia civitates illius regionis alacri animo bellum pariter inchoarunt. Jamque fretus Mithridates auctis propter Antipatrum copiis, Pelusium proficiscitur. Et quia transire vetaretur, civitatem obsidebat: Antipater vero in hac oppugnatione clarius enituit. Effracto enim ex parte sua muro, primus in civitatem cum suis insiluit, & Pelusium quidem captum est, ulterius autem eos progredi non sinebant. Judæi Ægyptii, terrarum incolæ, quæ appellantur Oniæ. Quibus tamen Antipater non modo ne obstarent, verum etiam ut victui necessaria præberent militi, persuasit. Unde factum est, ut nec Memphitæ ad manus venirent, ultroque se traderent Mithridati, atque ille Delta jam peragrato, pugnam cum cæteris commisit Ægyptiis, in loco cui nomen est Judæorum castra: eumque in acie omni dextro cornu liberavit Antipater, circumgressus fluminis ripam. Lævum enim cornu contra se positum superabat. Facto autem in eos impetu, qui Mithridatem persequerentur, multos occidit: tamque diu reliquos fugientes agebat, donec etiam castris eorum potitus est, octoginta tantum de suorum numero amissis. Octingentos autem fere Mithridates cum fugeret perdidit. Præter spem vero servatus ex prælio, vacuus invidia, testis rerum ab Antipatro gestarum fuit apud Cæsarem. Unde ille tunc quidem Antipatrum spe & laudibus incitatum ad subeunda pro se pericula reddidit promptiorem. In quibus omnibus bellator audacissimus comprobatus est, multaque perpessus vulnera, toto corpore gerebat signa virtutis. Post autem quando rebus in Ægypto compositis ad Syriam rediit, & Romana

A. M. 3917. A.C.N. 47. Ant. l. 14. cap. 16.

Mithridates Pelusiũ proficiscitur, eoque Antipatri ope potitur.

Mithridatis de Ægyptiis victoria.

Antipater multa præclara facinora committit & ad subeunda pro Cæsare pericula se se offert.

Antipatri Cæsar Romana civitate simul & immunitate donat.

A. M. 3917. A.C.N. 47. mana eum civitate ſimul & immunitate donavit: aliisque rebus honorando amiciſſimeque tractando, dignum æmulatione reddidit: ejuſdemque gratia etiam pontificatum confirmavit Hyrcano.

## CAPUT VIII.

*De accuſatione Antipatri apud Cæſarem: de Pontificatu Hyrcani, & Herode bellum movente.*

Antigonus Ariſtobuli filius ad Cæſarē, Pompeji ſtudioſos de morte patris accuſaturus venit.

EOdem vero tempore Antigonus quoque Ariſtobuli filius cum veniſſet ad Cæſarem, majoris præter opinionem felicitatis cauſam præbuit Antipatro. Nam qui de patris morte queri deberet, propter inimicitias Pompeji veneno, quantum putabatur, perempti, & crudelitatis in fratrem accuſare Scipionem, nullumque invidiæ dolum admiſcere miſeriis, vltra hæc Hyrcanum & Antipatrum criminabatur, veluti ſe patrio loco cum fratribus iniquiſſime pellerent, multiſque gentem injuriis afficerent, dummodo ſatiarentur: quodque in Ægyptum auxilia ipſi Cæſari non benevolentia, ſed timore veteris diſcordiæ miſerint, & ut amorem Pompeji deprecarentur. Ad hæc Antipater, veſte projecta, multitudinem vulnerum demonſtrabat, & qua fide quidem Cæſarem coluiſſet, verbis non eſſe opus dixit: nam corpus etiam ſe tacente clamare: Antigoni autem mirari audaciam, qui cum hoſtis Romanorum ſit filius, & fugitivi Romanorum, novarumque rerum ſtudium, votumque ſeditioſum patris habeat, apud Romanorum Principem alios accuſare conetur, bonique aliquid adipiſci tentet: quem hoc ſolum oportere contentum eſſe, quod viveret. Namque nunc

Antigonus Hyrcanum & Antipatrū falſo accuſat.

Antipater veſte projecta multitudinem vulnerum demonſtrat.

eum

eum non propter inopiam desiderare facultates: sed, ut in eos, qui dedissent, Judæorum seditiones accenderet. Quæ ubi Cæsar audivit, Hyrcanum quidem Pontificatu digniorem esse pronunciavit: Antipatro autem cujus vellet potestatis detulit optionem. Qui permisso dignitatis modo ipsi, qui daret, Judææ procurator declaratus est, & præter hoc impetravit, ut subversa patriæ mœnia renovare sibi liceret. Et hos quidem honores Cæsar incidendos in Capitolium misit, ut justitiæ suæ virtutisque signum Antipatri memoriæ traderetur. Antipater vero ubi de Syria Cæsarem prosecutus est, in Judæam reversus, ante omnia patriæ muros a Pompejo dirutos reparabat: omniaque lustrando, ne quid in illis regionibus turbarum esset, nunc interminando, nunc etiam suadendo curabat, unumquemque admonens: quod si cum Hyrcano sentirent, in otio atque opulentia victuri essent, fortunisque suis & communi pace potituri: sin spe vana ducerentur eorum, qui privati quæstus gratia res novas optarent, se quidem non procuratorem, sed dominum omnium, Hyrcanum vero tyrannum pro Rege, itemque Romanos & Cæsarem hostes pro amicis & rectoribus habituri: nec enim passuros hujus potestatem labefactari, quem ipsi Regem constituissent. Sed quamvis hæc diceret, tamen etiam per se, quoniam Hyrcanum segniorem videret, neque tam efficacem, quam regni poscret solicitudo, statum provinciæ componebat. Et Phasaelum quidem natu maximum filiorum suorum militibus præpositum, Hierosolymæ ejusque territorio præfecit: Herodem vero ætate posteriorem, nimisque adolescentem, Galilææ destinat, simi-

A. M. 3917. A.C.N. 47.

Hyrcanus Pontifex, Antipater vero Judææ procurator declaratur.

Ant. l. 14. cap. 16.

Antipater patriæ muros reparat.

Antipater subditos suos, ut cum Hyrcano sentirent admonet.

Phasaelus & Herodes Antipatri filii.

A. M. 3917. A C.N. 47.

lia curaturum: qui cum natura ſtrenuus eſſet, cito materiam, ubi animi magnitudinem exereret, invenit: captumque latronum principem Ezechiam, quem prædari maximo agmine continentia Syriæ deprehendit, ipſum alioſque latrones multos interfecit. Eaque res adeo grata fuit Syris, ut per vicos atque oppida caneretur Herodes, veluti per eum pace reddita, & poſſeſſionibus reſtitutis. Ex hujus denique operis gloria, Sexto etiam Cæſari propinquo magni Cæſaris, & Syriam tunc adminiſtranti eſt cognitus. Quin & Phaſaelus fratris indolem contentione bona ſuperare certabat, augendo erga ſe benevolentiam Hieroſolymis habitantium: atque illam quidem civitates poſſidens, nihil autem contumelioſe per inſolentiam poteſtatis admittens. Hinc & Antipater obſequiis regalibus ab ea gente colebatur, & honores ei tanquam rerum domino omnes habebant. Nec tamen ipſe propterea minus fidelis aut benevolus Hyrcano fuit. Verum fieri non poteſt, ut livorem quiſquam in ſecundis rebus effugiat. Namque Hyrcanus, quamvis & antea tacite ſua ſponte mordebatur adoleſcentium gloria, maximeque rebus ab Herode bene geſtis, & crebris nunciis laudes ejus per ſingula facta prædicantibus augeretur: a multis tamen invidis, qui regias infeſtare ſolent, quibuſque Antipatri ejuſque filiorum probitas officiebat, inſtigabatur: dicentibus, quod Antipatro & filiis ejus rebus traditis, ſolo contentus, & hac poteſtate vacuo Regis nomine ſederet. Et quamdiu ſic errabit, ut in ſe Reges producat? Nec enim eos vel ſimulare jam procurationem, ſed certe eſſe dominos ipſo rejecto: cujus nec mandatis nec epiſtolis, præter

Herodis fortitudo.

Herodes a Syris latrones depellit.

Phaſaelus benevolẽtiam Hieroſolymis habitantiũ erga ſe auget.

Hyrcanus ab invidis contra Antipatrum, ejuſque filios inſtigatur.

Ju-

Judæorum legem, tantam multitudinem peremiſſet Herodes: illumque niſi regnet, ſed adhuc privatus ſit, ad judicium venire debere, rationem tam ipſi Regi, quam patriis legibus redditurum, quæ indemnatos occidi non ſinerent. His paulatim accendebatur Hyrcanus. Ad extremum autem iracundia prodita, cauſam dicturum Herodem jubet accerſiri: atque ille & patris monitu, & quod ei fiduciam res geſtæ darent, firmata prius Galilæa præſidiis, ad Regem proficiſcitur. Ibat autem cum forti caterva, ne vel derogare videretur Hyrcano, ſi plures duceret, vel invidiæ nudus pateret. Sextus autem Cæſar adoleſcenti metuens, ne quid apud inimicos deprehenſo mali fieret, ad Hyrcanum mittit, qui ei manifeſte denunciarent, ut homicidii crimine liberaret Herodem. Hyrcanus autem qui eum diligeret, per ſe quoque id cupiens, abſolutionem decernit. Atque is invito Rege evaſiſſe ratus, Damaſcum receſſit ad Sextum, nequaquam paratus obedire, ſi denuo fuiſſet accitus. Rurſumque ab improbis irritabatur Hyrcanus, qui dicerent iratum Herodem abiiſſe, & ut ſe contra ipſum ſtrueret, properaſſe. Hæc autem Rex vera eſſe exiſtimans, quid ageret, neſciebat: quoniam potentiorem inimicum videbat. Cum vero a Sexto Cæſare dux militum per Syriam, itemque per Samariam declaratus eſſet Herodes, neque ſolum propter gentis favorem, ſed etiam viribus ſuis terribilis putaretur, in timorem extremum incidit, jamjamque illum contra ſe credens cum exercitu eſſe venturum. Neque opinione deceptus eſt. Namque Herodes intentatæ ſibi accuſationis iracundia, conflatam militum multitudinem

A. M. 3917. A.C.N. 47.

Herodes ab Hyrcano in jus vocatus.

Herodem Hyrcanus abſolvit.

Hyrcanus rurſum ab improbis irritatur.

Herodes conflatam militum multitudinem, ut Hyrcanū regno deponat Hieroſolymā deducit.

A. M. 3922. A. C. N. 42. in Hierosolymam ducebat, ut Hyrcanum regno deponeret. Idque fecisset, ni pariter egressi pater & frater fregissent eius impetum, deprecantes, ut & ipse vindictam minis tantum, solaque indignatione metiretur: Regi autem parceret, sub quo ad hoc potentiæ processisset: ac si propterea quod in judicium vocatus esset, indignaretur: quia tamen absolutus est, gratias ageret, neque tristibus quidem paria referret, saluti vero esset ingratus. Quod si etiam momenta bellorum reputanda viderentur, iniquitatem militiæ consideraret: neque omnino de victoria bene speraret, qui cum Rege congressurus esset domestica consuetudine juncto, & de se bene merito: sævo autem nunquam, nisi quod malevolorum consiliis impulsus, umbram ei tantum iniquitatis intentasset. Paruit his Herodes, qui speratis putaverat posse sufficere, suasque vires demonstrare nationi. Et inter hæc discordia Romanorum circa Apamiam, bellumque domesticum oritur: quoniam Cæcilius Bassus favore Pompeji Sextum Cæsarem dolo necaverat, ejusque militem occupaverat. Alii vero Cæsaris duces, mortis ejus ulciscendæ gratia, cunctis viribus Bassum petebant. Quibus tam interempti, quam superstitis Cæsaris causa, quod ambobus esset amicus, Antipater per filios suos misit auxilia. Cum autem bellum traheretur, ex Italia successor antedicti Sexti venit Marcus.

Herodes ab Antipatro patre persuasus a bello contra Hyrcanum desistit.

Sextum Cæsarem Bassus dolo necat.

Marcus Sexti successor.

CA-

## CAPUT IX.

A.M. 3922. A.C.N. 42.

*De Romanorum dissidiis, post mortem Cæsaris, & insidiis Malichi.*

EOdem tempore magnum bellum inter Romanos conflatur dolo Cassii & Bruti Cæsare interfecto, postquam triennium septemque menses tenuit principatum. Maximo autem motu cædis ejus gratia concitato, & optimatibus inter se dissidentibus, propria spe quisque ducebatur ad id, quod existimabat esse commodius. Itaque Cassius Syriam petit, occupaturus militem, qui Apamiam circumsidebat: ubi & Marcum & dissidentes cohortes Basso conciliavit, simulque obsidione liberavit Apamiam. Ipse vero exercitum ducens, stipendium civitatibus indicebat: nec modus erat exactionum. Cum autem Judæos quoque septingenta talenta jussisset conferre, minas ejus veritus Antipater, filiis suis & aliis amicis mature pecuniæ cogendæ curam distribuit, & inter eos Malicho cuidam ex amicis: adeo necessitas urgebat. Primus autem Herodes Cassii favorem promeruit, qui ex Galilæa parte sua, talenta centum attulit, propterea inter eximios amicos numerabatur. At vero cæteros tarditatis arguens Cassius, ipsis civitatibus irascebatur. Eoque Gophnam & Ammauntem, & duas alias civitates ex vilioribus depopulatus, ibat quidem quasi Malichum interfecturus, quod remissior in exigendo fuisset. Verum & hujus & cæterarum civitatum interitum repressit Antipater, centum illico talentis Cassio delinito. Nequaquam tamen Malichus post abitum Cassii, beneficiorum Antipatri memor fuit Sed illi ipsi, quem sæpe-

Ant. l. 14. cap. 20.

Julius Cæsar dolo Cassii & Bruti interfectus.

Cassius stipendium civitatibus indicit.

Herodes Cassii amicus.

Cassius in exactionibus exigendis severus.

Malichus beneficiorum Antipatri immemor.

A. M. 3922. A.C.N. 42. sæpenumero memorabat sui servatorem fuisse, periculum moliebatur, iniquitatis suæ impedimentum abolere festinans. Itaque Antipater & vires ejus, & calliditatem metuens, flumen transit Jordanem, ad ulciscendas insidias collecturus exercitum. Deprehensus autem Malichus Antipatri filios impudentia superat. Nam & Phasaelum apud Hierosolymam præsidiis appositum, & Herodem, qui custodiam curabat armorum, multis excusationibus & sacramentis circumventos impellit, ut ipsis intercedentibus reconciliaretur Antipatro: atq; ita denuo per Antipatrum exorato Marco, tunc in Syria militem regente, servatus est: qui Malichum statuerat occidere, quod novis rebus studuisset. Cæsare vero adolescente, & Antonio cum Bruto & Cassio bellum gerentibus, Marcus & Cassius exercitu de Syria conflato, quod magnum momentum, ubi usus poposcit, Herodes fuisset, ipsum quidem totius Syriæ procuratorem præficiunt, equitum illi manu peditumque attributa: si autem bellum desiisset, regnum quoque Judææ Cassius se eidem delaturum esse pollicitus est. Evenit autem, ut Antipatro & ipes & fortitudo filii, causa mortis fieret. Horum enim metu Malichus, ministro quodam regio pecunia corrupto, mixtum ei veneno poculum dari persuadet. Atque ille quidem injustitiæ Malichi præmium fuit post convivium mortuus, vir & alias strenuus, rebusque administrandis idoneus, & qui regnum recuperatum conservasset Hyrcano. Malichus autem infensum propter suspicionem veneni populum, negando placabat: simulque ut validior esset, armatorum sibi copias conquirebat. Nec enim Herodem cessa-

Antipater contra Malichum colligit exercitū.

Octavius Augustus Julio successit. Sueton.

Cassius Herodi, si bellum desiisset, Judææ regnum delaturum pollicetur.

Antipater Malichi instinctu venenum bibit.

ceſſaturum arbitrabatur, quin etiam mox cum exercitu necis paternæ ultor adveniret. Sed Phaſaeli fratris conſilio, qui eum palam minime perſequendum eſſe dicebat, ne vulgi ſeditio concitaretur, & purgantem ſe tunc Malichum patienter admiſit, & ſuſpicione liberum eſſe concedens, clariſſimas paterno funeri celebravit exequias. Converſus autem in Samariam, & civitatem compoſuit ſeditione turbatam, perque dies feſtos in Hieroſolymam remeabat, præmiſſis ac comitantibus armatis: cui Hyrcanus, ita ſuadente ob metum Malicho, denunciat, ne alienigenas ſuperinducat indigenis feſtum pure caſteque celebrantibus. Herodes autem, & ipſo qui præceperat, cauſaque contempta, nocte ingreſſus eſt. Iterumque Malichus ad eum veniens, Antipatrum flebat. Contraque ille ſe falli, eum vix animi dolorem premeret, ſimulabat: & tamen de nece patris apud Caſſium per epiſtolas queſtus eſt, cui propterea Malichus inviſus erat. Itaque non modo, ut mortem patris ulciſceretur, ei reſcripſit: ſed etiam tribunis, quibus præerat, ut in cauſa juſta Herodi opem ferrent, occulte præcepit. Et quoniam capta Laodicea, undique ad Herodem convenerant optimates cum muneribus & coronis, ipſe quidem hoc ultioni tempus deſtinaverat. Malichus autem id Tyri fore ſuſpicabatur: & filium ſuum tunc apud Tyros obſidem, ſtatuit ſubducere, & ipſe in Judæam fugam parabat. Salutis autem deſperatio ſtimulabat, ut etiam majora cogitaret: nam & Judæorum gentem contra Romanos excitaturum ſe credidit, dum bello adverſus Antonium Caſſius occupabatur, dejectoque Hyrcano facillime regnaturum. Sed profe-

A. M. 3922. A.C.N. 42.

Herodes patris necem in Malicho cogitat ulciſci.

Malichus Hyrcano ſeſe adjūgit.

Caſſius Herodi, ut in Malicho mortem patris ulciſcatur, reſcribit.

A. M. 3922. A.C.N. 42.

&to irridebat ejus spem fatale decretum. Etenim quo intenderet animum suspicatus Herodes, & ipsum & Hyrcanum ad cœnam vocat. Deinde servorum quendam instruendi convivii specie mittit. Sed res erat, ut tribunis prædiceret ad insidias egredi: atque illi præceptorum Cassii memores, ad littus civitati proximum armati gladiis occurrunt, ibique circumseptum Malichum multis vulneribus interficiunt. Hyrcanus autem statim concidit stupore dissolutus: vixque anima recepta, Herodem percontabatur, quis Malichum occidisset. Et cum e tribunis unus respondisset, Cassii præceptum: plane, inquit, & me & patriam meam Cassius servat incolumem: qui amborum insidiatorem peremit. Utrum autem ex animo dixerit, an quod timore factum probaret, incertum est. Sed enim Malichum hoc modo ultus est Herodes.

Fatale decretum humanam spem irridet.

Malichum tribuni Herodis interficiunt.

## CAPUT X.

A. M. 3923. A.C.N. 41.

*De Herode accusato & vindicato.*

Ant. l. 14. cap. 20.

POstquam vero Cassius excessit e Syria, iterum Hyerosolymis orta seditio est, cum Felix in Phasaelum movisset exercitum, & in Herodem fratris pœna vellet necem Malichi vindicare. Casu autem Herodes cum Fabio Romano duce apud Damascum habitabat: & ne cupiens auxilio foret, morbo impediebatur. Interea Phasaëlus etiam sine cujusquam auxilio superavit Felicem: probrumque ingrati objiciebat Hyrcano, qui & Felici studuisset, fratremque Malichi castella occupare permisisset. Jam enim multa tenuerat, omniumque tutissimum Massadam. Nec tamen ei quicquam contra vim Hero-

Felix in Phasaelũ exercitum movet.

Phasaelus Felicem superat, Hyrcanoq; ingrati probrum objicit.

rodis potuit sufficere, qui mox ut convaluit, & alia recepit, & illum ex Massada supplicem dimisit, & Marionem Tyriorum tyrannum ex Galilæa pepulit: tria enim castella possederat: Tyriisque quos ceperat, vitam concessit omnibus, nonnullos etiam donatos abire jussit, una & sibi civitatis benevolentiam, & tyranno comparans odium. Marion autem a Cassio quidem meruerat tyrannidem, qui tot Syriæ tyrannos præfecerat: sed ob Herodis inimicitias etiam Antigonum Aristobuli secum ducebat, & Ptolemæum, propter Fabium, quem Antigonus sibi pecunia sociatum, adjutorem incepti habebat. Cuncta vero socer Ptolemæus Antigono subministrabat. Contra quos Herodes instructus, in aditu Judææ commisso prælio, victoria potitur: fugatoque Antigono, redit in Hierosolymam, pro merito gestæ rei omnibus charus, ut etiam quibus antea despectus erat, tunc in ejus familiaritatem sese dederint, propter Hyrcani affinitatem. Namque is Herodes jam pridem ex indigenis habuerat uxorem non ignobilem, quæ Doris vocabatur, & Antipatrum ex ea susceperat filium. Tunc autem duxerat Alexandri, cujus pater fuit Aristobulus, filiam Mariammen, Hyrcani neptem ex filia, atque inde Regi familiaris erat. Sed ubi Cassio circa Philippos interfecto, Cæsar in Italiam, & Antonius in Asiam discesserunt: legatis ab aliis civitatibus ad Antonium missis in Bithyniam, etiam Judæorum optimates accusatum veniunt Phasaelum & Herodem: quod illis rerum summam vi possidentibus, nomen tantum honorabile supereresset Hyrcano. Ad quæ Herodes, qui præsto erat, magna pecunia placatum sic Anto-

A. M. 3923. A.C.N. 41.

Antigonus Aristobuli filius, ab Herode fugatus.

Doris prior Herodis conjunx non ignobilis, ex qua Antipatrum filium suscipit.

Judæorum optimates Phasaelum & Herodē accusatum veniunt.

A. M. 3923. A.C.N. 41.

nium affecit, ut ne verbum quidem inimicorum ejus pateretur audire. Et tunc quidem ita digressi sunt. Quum autem denuo Judæorum primates centum viri, Antiochiæ proximam Daphnen ad Antonium venissent, amori Cleopatræ jam servientem, delecti a cæteris, qui eloquentia & dignitate præstabant, adversus fratres accusationem proponunt. Respondebat autem Messala, causæ defensor, astante etiam propter affinitatem Hyrcano. Auditis deinde utrisque partibus, Antonius percontabatur Hyrcanum, quinam essent regendis rebus aptissimi. Cumque is Herodem, ejusque fratres aliis prætulisset, voluptate repletus (nam & hospes eorum paternus erat, humanissimeque ab Antipatro susceptus, eo tempore, quo in Judæam cum Gabinio venerat) Tetrarchas ambos declarat, totius eis Judææ procuratione permissa. Legatis autem id ægre ferentibus, quindecim eorum correptos carceri tradidit, quos etiam pene occidit. Cæteros autem rejecit cum injuria: unde major tumultus Hierosolymis excitatus est. Denique mille legati iterum Tyrum missi sunt, ubi commorabatur Antonius, in Hierosolymam paratus irruere. Et contra eos vociferantes, magistratus Tyriorum directus est, data ei licentia, ut quos comprehendisset, occideret: præceptoque, ut eorum potestatem confirmare curaret, qui Tetrarchæ ipsius essent Antonii suffragio constituti. Ante hæc autem Herodes usque ad littus cum Hyrcano progressus, multis eos admonebat, ne & sibi interitus, & patriæ belli causa fierent, dum inconsiderate contendunt. Illis autem tanto magis id indigne ferentibus, Antonius missis armatis, multos-

Ant. l. 14. c. p. 21. Judæi adversus fratres accusationem renovant.

Herodem & Phasaelum Antonius tetrarchas declarat.

Antonius in Tyro commoratur.

Seditio Hierosolymis contra Herodem & Hyrcanum.

tos etiam vulneravit: quorum & saucios cura, & mortuos sepultura Hyrcanus dignatus est. Non tamen ideo qui effugerant, quiescebant, perturbando enim civitatem, Antonium irritabant, ut etiam quos in vinculis haberet, occideret. A.M. 3923. A.C.N. 41.

Antonius captivos trucidat.

## CAPUT XI.

*De bello Parthorum contra Judæos: & fuga Herodis ac fortuna.*

BArzapharne autem Parthorum Satrapa Syriam biennio post cum Regis filio Pacoro detinente, Lysanias patris sui mortui succesor Ptolemæi Minnæi filii, mille Satrapæ talenta pollicitus & mulieres quingentas, ei persuadet, ut Antigonum in regnum inducerent, Hyrcanumque deponerent. Impulsus igitur ab eo Pacorus, ipse quidem per maritima loca perrexit, Barzapharnem autem itinere mediterraneo jussit irrumpere. Sed maritimorum Tyrii Pacorum excluserunt, cum Ptolemaidenses eum & Sydonii recepissent. Ille autem quendam regium pincernam, cognomine suum, equitatus ei parte attributa, ad Judæam jussit accedere, & exploraturum hostium consilium, & ubi usus exegisset, præsidio futurum Antigono. Quibus Carmelum populantibus, multi Judæi ultro ad Antigonum confluunt, ad expeditionem alacriter animati. Ille autem ad locum, qui Drymos dicitur, occupandum eos præmittit: ubi commissa pugna depulsisque hostibus & effugatis, Hyerosolymam cursu petebant: auctique multitudine, usque ad regiam processerunt. Excepti autem ab Hyrcano & Phasaelo, forti acie in

Ant. l. 14. cap. 22.

Lysanias Barzapharni, ut Antigonum in regnum inducat, Hyrcanum que deponat, persuadet.

Inter Antiochum & Hyrcanum acris pugna Hierosolymis in foro commissa.

A. M. 3923. A.C.N. 41. foro confligunt. Ibique hoſtes in fugam verſos pars Herodis in fanum concludit: cuſtodesque his ſexaginta viros apponit, per ædes proximas collocatos. Sed hos quidem infenſus fratribus populus, igne conſummit. Herodes autem iracundia peremptorum congreſſus cum populo, multos obtruncat: inque dies ſingulos invicem ſeſe per inſidias incurſantibus aſſiduæ cædes erant. Inſtante vero die feſto, qui Pentecoſte vocatur, omnia circa templum, totaque civitas plebe ruſtica repleta eſt, & pleraque armata. Et Phaſaelus quidem muros, Herodes autem cum paucis domum regiam cuſtodiebat. Invaſisque de improviſo hoſtibus in ſuburbano, complures quidem peremit, omnes autem in fugam vertit, & hos in civitatem, alios in fanum, alios in extremum vallum includit. Interea pacis arbitrum Pacorum Antigonus petit admitti. Exoratus autem Phaſaelus, & civitate & hoſpitio cum quingentis equitibus Parthum recepit, prætextu quidem componendæ ſeditionis venientem, re autem vera, ut adjuvaret Antigonum. Denique Phaſaelum dolo perpulit, ut ad Barzapharnem legatus de pace proficiſceretur: quamvis multa diſſuadente Herode, atque ut inſidiatorem occideret, neve ſe ejus fallaciis dederet, admonente: natura enim barbaros fidem negligere. Exiit etiam Pacorus cum Hyrcano, quo minus ſuſpectus eſſet: nonnullisque relictis equitibus apud Herodem, quos Eleutheros vocant, cum cæteris Phaſaelum proſequebatur. Sed ubi ad Galilæam venerunt, indigenas quidem diſſidentes atque armatos offendunt: Satrapam vero conveniunt ſatis callide & officiis amicitiæ dolos tegentem. Denique poſtquam dona eis dedit,

Aſſiduæ cædes Hieroſolymis.

Parthum Phaſaelus & civitate & hoſpitio cum quingentis equitibus recipit.

A. M. 3924. A.C.N. 40.

Pacori dolus & inſidiæ.

rede-

redeuntibus insidias posuit. Illi autem in maritimum quendam locum deducti, cui nomen est Ecdippon, fraudem intelligunt. Ibi enim de promissis mille talentis audierunt: & quod Antigonus plerasque mulieres ex his, quas ipsi haberent, inter quingentas Parthis devovisset: quodque sibi semper a barbaris præstruerentur insidiæ, ac olim capti essent, nisi mora fuisset, dum Hierosolymis caperetur Herodes, ne sibi præscius, quæ de his agerentur, caveret. Hæc jam non verba erant solum, nam & custodes haud procul abesse conspiciebat. Et tamen Phasaelus Hyrcanum deserere non sustinuit, quamvis eum sæpius moneret Ofilius, ut fugeret: cui Satamalla Syrorum tunc ditissimus dixerat, quemadmodum essent omnia de insidiis constituta. Sed convenire Satrapam maluit, atque in os exprobrare, quod se insidiis appetisset: ac maxime, quia pecuniæ causa talis extitisset, cum plus ipse pro salute daturus esset, quam pro regno promisisset Antigonus. Ad hæc Parthus subdola satisfactione, jureque jurando suspicionem deprecatus, perrexit ad Pacorum: statimque a Parthis, qui remanserant, quibusque jussum erat, Phasaelus atque Hyrcanus comprehenduntur, perjurium simul ac perfidiam execrantes. At interim pincerna ad hoc missus, Herodem capere moliebatur: eumque fallere, ut extra murum procederet, sicut sibi mandatum fuerat, conabatur. Ille autem suspectos habere solitus barbaros, & tunc minime dubitans in hostes incidisse literas, quæ insidias indicarent, prodire nolebat: quanquam satis idoneam causam Pacorus obtenderet: epistolas portantibus obviam ire debere: nec enim ab hostibus

A. M. 3924. A.C.N. 40.

Herodes Hierosolymis, Phasaelus vero extra urbem constitutus, in capitis discrimine versantur.

Herodi insidiæ structæ.

A. M. 3924. A.C.N. 40. bus esse captos, aut quicquam de insidiis, sed quæ Phasaelus gessisset, his contineri. Jam dudum autem ab aliis audierat Herodes, fratrem suum Phasaelum esse correptum: & Hyrcani filia Mariamme prudentissima fœminarum, multis eum precibus, ne prodiret, orabat, neve se crederet manifestis jam conatibus barbarorum. Adhuc autem Pacoro cum sociis deliberante, quonam modo clam patraret insidias, nec enim fieri posse, ut tantæ sapientiæ vir ex aperto circumveniretur, nocte Herodes cum propinquissimis sibi, ad Idumæam ignaris hostibus proficiscitur. Eo cognito, Parthi eum persequebantur. Et ille matrem quidem, fratres suos, desponsatamque puellam cum matre, minimoque fratre prætendere iter jussit. Ipse autem caute cum famulis suis barbaros retentabat: multisque per omnes conflictus interemptis, ad castelum Massada properabat. Graviores autem in fuga Parthis Judæos expertus est. Qui cum semper molesti fuissent, a sexagesimo tamen civitatis stadio aliquandiu etiam acie decertaverunt. Ubi Herodes victoria potitus, cum multos interfeciset, ipsumque locum in memoriam præclari facinoris ædificatum, locupletissima exornavit regia, arcemque in eo munitissimam condidit, ac de suo nomine Herodion vocavit. Et tunc quidem cum fugeret, multos sibi adjungebat. Postea vero quam Thresam Idumææ pervenit, occurrit ei frater Josephus, turbamque sequentium diminui persuadet: nec enim capacem esse tantæ multitudinis Massadam. Erat autem supra quam novem millium multitudo. Itaque paruit Herodes ejus consilio, & impares quidem necessitati per Idumæam dimisit cum

Herodes clam nocte ad Idumæam proficiscitur.

Herodes graviores in fuga Parthis Judæos experitur.

Victoria Herodis.

Herodion.

via-

viatico, lectiſſimos autem maximeque neceſſarios tenuit, atque ita in caſtellum receptus eſt. Deinde octingentis ibi relictis, qui mulieres defenderent, itemque commeatu, qui ſatis eſſet obſeſſis, ipſe in Petram civitatem Arabiæ perrexit. Parthi apud Hieroſolymam in prædam verſi, in fugientium domos ac regiam irruebant, ſolis Hyrcani pecuniis abſtinentes: quæ trecenta talenta ſuperabant, aliorum vero ſpe minores inveniebantur: quoniam Herodes jampridem barbarorum perfidiam ſuſpicans, quicquid in opibus precioſum, in Idumæam multo ante comportaverat: ejusque ſociorum itidem quiſque fecerat. Verumtamen poſtquam præda potiti ſunt Parthi, ad hoc injuriæ proceſſerunt, ut omnem terram illam bello implacato replerent, Marſa quoque civitate vaſtata: nec ſolum Antigonum Regem conſtituerent, verum etiam Phaſaelum & Hyrcanum vinctos ei traderent verberandos. At ille Hyrcani quidem auriculas dentibus truncat, ut ne ſolutus quidem mutatis rebus unquam Pontificatum recipiat: ab integris enim celebrari ſacra oportet. Phaſaeli vero virtute præventus eſt Antigonus. Qui cum nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad ſaxum fracto capite interiit: atque ita probato, quod verus Herodis frater eſſet, Hyrcanusque degeneraſſet, viriliter moritur: dignum anteacta vita obitum aſſecutus. Fertur tamen & aliud, quod ex illa quidem plaga reſipuerit, ſed veluti curandi ejus cauſa, miſſus ab Antigono medicus, venenis malis vulnus expleverit, eoque illum pacto peremerit. Vtrumvis autem verius ſit, præclarum habet initium. Denique ajunt eum prius quam efflaret

A. M. 4925. A.C.N. 39.

Maſſada. Petra civitas Arabiæ.

Antigonus auriculas Hyrcani dentibus truncat.

Antigonum Parthi Regem conſtituunt.

Phaſaelus ad ſaxum caput frangit.

Phaſaelis verba priuſquam efflaret animam.

A. M. 4925. A.C.N. 39. ret animam, cognito ex quadam muliercula; quod Herodes evaſiſſet, dixiſſe: Nunc bono animo diſcedam, qui ultorem inimicorum reliquerim. Ille quidem hunc exitum habuit. Parthi autem, quanquam mulieribus caruerint, quas maxime cupiebant, rebus tamen cum Antigono apud Hieroſolymam compoſitis, vinctum Parthiam Hyrcanum ducunt. Herodes autem obſtinatus in Arabiam, velut adhuc vivo fratre ſuo feſtinabat: ut pecunias ab Rege acciperet, quibus ſolis exoratum iri pro Phaſaelo ſperabat avaritiam barbarorum. Etenim cogitabat, ſi Arabs minus memor fuiſſet paternæ amicitiæ, animoque liberali parcior, vel mutuum ab eo ſumere, quod redemptionis cauſa præberet: pignori oppoſito ipſius filio, quem redimeret. Secum enim habebat fratris filium, ſeptem annos natum: trecentaque talenta dare decreverat, interpoſitis precationi Tyriis. Sed profecto ſtudium fortuna prævenerat: & Phaſaelo mortuo nequicquam fratrem diligebat Herodes. Non tamen vel apud Arabas ſalvam amicitiam reperit. Denique Malichus Rex eorum, præmiſſis qui hoc admonerent, quamprimum reverti eum ex finibus ſuis jubet, ſimulatione quidem per legatos Parthos petiiſſe, ut Herodem Arabia pelleret: certa vero cauſa fuit, quod vicem Antipatro debitam negare propoſuerat, neque pro beneficiis ab eo perceptis aliquid ejus filiis gratiæ rependere, conſolationis egentibus. Impudentiæ vero ſuaſores habebat, qui Antipatri vellent abjurare depoſita. Erant autem circa eum potentiſſimi. Proinde Herodes ubi Arabas ex ea ſibi cauſa hoſtes eſſe deprehendit, unde amiciſſimos exiſtimabat, eaque reſpondit nun-

Herodis erga Phaſaelum fratrem amor.

Impudentiæ ſuaſores.

Herodes Arabas ſibi hoſtes eſſe deprehendit.

nunciis, quæ dolor imperavit, Ægyptum versus recedit, & prima quidem vespera in quoddam aggreste fanum, dum post se relictos reciperet, divertit. Postero autem die cum Rhinocoluram perveniſſet, fratris ei mors nunciatur, acceptoque tanto luctu, quantum curarum æstum depoſuit, ibat ulterius. Itaque Arabem sero facti pœnituit: & qui revocarent eum, quem contumelioſe tractaverat, velociter miſit. Herodes autem in Pelusium pervenerat: ibique transitu prohibitus ab ejus rei speculatoribus, rectores adit: & illi famam viri dignitatemque reveriti, Alexandriam eum prosequuntur. Ingressus autem civitatem, a Cleopatra honorifice susceptus est, ducem sibi militum fore eum, ad ea quæ parabat, existimante. Posthabitis autem Reginæ precibus, neque hyemis asperitatem, neque marina discrimina, quo minus navigaret Romam, extimuit. Circa Pamphyliam vero periclitatus, majore oneris parte rejecta, vix in Rhodum vehementer bello Cassii vexatam, salvus evadit. Amicorum autem suorum, Ptolemæi & Saphinii receptus hospitio, licet rei pecuniariæ premeretur inopia, maximam tamen ædificat navim triremem: eaque cum amicis delatus Brundusium, atque inde continuo Romam profectus, familiaritatis paternæ gratia primum convenit Antonium: eique tam suas quam totius generis clades exponit: quodque affectibus suis in castello relictis, atque obsidione cinctis, ad eum hyeme supplex navigasset. Itaque tantæ miserationis casum miseratus Antonius, & memoria quidem junctæ cum Antipatro dexteræ, tum vero ipsius, qui aderat, contemplatione virtutis, etiam

A. M. 3925. A. C. N. 39.

Herodes cum magno vitæ discrimine Romam navigat.

Herodes Romam profectus, Antonium convenit.

A. M. 3925. A.C.N. 39. tunc eum Regē constituere proposuit Judæorum, quem ipse Tetrarcham antea fecerat. Non minus autem, quam favore Herodis, odio ducebatur Antigoni. Hunc enim & seditiosum, & Romanis inimicum esse arbitrabatur. Cæsarem quidem habebat multo quam ipse paratius renovantem Antipatri expeditiones, quas in Ægypto cum ejus patre pertulerat: & hospitium & in rebus cunctis benevolentiam: cum præter hæc ipsius quoque Herodis strenuitatem cerneret. Verumtamen & Senatum convocabat, ubi Messala, & post eum Aratinus, astante Herode, patris ejus merita, & ipsius circa populum Romanum fidem prosequebantur, quo simul hostem Antigonum demonstrarent: non solum quod intra breve tempus is dissidere cœpisset, verum etiam quod antea quoque populo Romano despecto, Parthorum suffragio regnum curavisset accipere. His autem commotoSenatu, cum Antonius etiam bello contra Romanos gerendo utile esse diceret Herodem Regem creari, omnes assentiunt. Dimissoque Senatu Antonius quidem & Cæsar egrediebantur, medium stipantes Herodem. Consules autem cum aliis magistratibus antecedebant, cæsuri hostias, decretumque Senatus in Capitolio reposituri. Primo autem die regni Herodis, apud Antonium cœnatum est.

Ant. l. 14. cap. 13. Herodes Antonium & Cæsarē sibi benevolos invenit.

Herodes coram senatu Rom. laudatur.

Herodem Romani Judæorum Regem creant.

## CAPUT XII.

*De bello Herodis e Roma redeuntis pro Hierosolyma, & contra latrones.*

Ant. l. 14. cap. 23. Antigonus Massadam obtinet.

EOdem vero tempore Antigonus apud Massadam inclusos obsidebat, aliis quidem victui

ctui neceſſariis abundantes, aquæ autem inopes. Unde Joſephus quoque frater Herodis cum ducentis familiaribus ſuis ad Arabas confugere cogitabat: audito quod eorum, quæ in Herodem commiſerat, Malichum pœniteret: caſtellumque reliquiſſet, niſi circa noctem, qua exiturus erat, plurimum imbrium contigiſſet effundi. Aqua enim repletis puteis, fugiendi cauſa non erat, adeo ut etiam ultro in Antigoni militem *eruptiones* auderent: multosque nunc aperto prælio, nunc inſidiis neci darent: non tamen illis omnia pro voto cedebant, ſed ipſi quoque interdum cum adverſo caſu revertebantur. Interea dux Romani militis Ventidius, prohibitum miſſus Parthos a Syria, poſt illos in Judæam venit: verbo quidem, ut Joſepho & qui una *obſidebantur*, ferret auxilium: re autem vera, ut pecunias auferret Antigono. Itaque cum non longe ab Hieroſolymis tetendiſſet, quæſtu expletus, ipſe quidem cum maxima exercitus parte diſceſſit. Silonem vero cum paucis, ne furtum deprehenderetur, ſi omnes abduxiſſet, reliquit. Antigonus autem, ſperans iterum Parthos ſibi adjumento fore, Silonem interim placabat: ut pendente ſpe, nihil inquietaret. *Jam vero navi ex Italia in Ptolemaidem devectus* Herodes, non parva manu coacta externorum atque gentilium, per Galilæam adverſus Antigonum properabat, Ventidii & Silonis fultus auxilio: quibus Gellius ab Antonio miſſus, ut Herodem in regnum deducerent, perſuaſit. Horum autem Ventidius quidem turbas in civitatibus, quæ propter Parthos evenerant, componebat: Silonem vero Antigonus in Judæa mercede corruperat. Non tamen Herodes opis

A. M. 3925. A.C.N. 39.

Prælium inter Antigoni milites & Joſephum Herodis fratrem.

Ventidius Romani militis Dux pecunias aufert Antigono.

Ant. l. 14. cap. 24. Herodes in Antigonum movet.

A. M. 3925. A.C.N. 39.

egebat: in dies enim ſingulos, quo magis iter promovebat, augebantur ejus copiæ: nam præter paucos omnis ei Galilæa conſenſit, & propoſitum habebat præmium neceſſarium Maſſadam, ut primum affectus ſuos obſidione liberaret, ſed impedimento fuit Joppe. Hæc enim prius, quod hoſtilis eſſet, eximenda videbatur: ne dum ipſe peteret Hieroſolymam, receptaculum a tergo aliquod inimicis relinqueretur. Silo autem jungit agmina, inveniſſe gaudens reſiſtendi occaſionem, quod eum perſecutio premeret Judæorum. Hos autem Herodes parvæ manus excurſatione perterritos, mature in fugam vertit: & Silonem male repugnantem, periculo eripit. Deinde capta Ioppe ſuos liberaturus ad Maſſadam feſtinabat: dum indigenarum alios amicitia paterna ſibi ſociaret, alios ipſius gloria, nonnullos utriusque beneficiis debita viciſſitudo: plurimos tamen ſpes, ut a Rege certiſſimo. Jamque validiſſimas quæſierat militum copias: ſed Antigonus iter ejus impediebat, loca inſidiis opportuna præoccupans, unde nullum aut minimum afferebat hoſtibus detrimentum. Herodes autem facile receptis ex Maſſada pignoribus ſuis & rebus, a caſtello in Hieroſolymam perrexit. Cui ſe Silonis milites & multi ex civitate junxerunt, virium ejus timore perculſi. Caſtris autem poſitis ad occiduam regionem oppidi, cuſtodes ejus partis ipſum ſagittis & jaculis impetebant: ab aliis vero per cuneos excurrentibus primæ frontis acies tentabantur. Herodes autem primo circa muros præconis voce declarari juſſit, populi ſe bono & ſaluti civitatis adveniſſe: pœnaſque ab nullo quamvis manifeſto inimico repetiturum, ſed diſcordiſſimis

Herodis propoſitū: Maſſada & Joppe captis, Hieroſolymā petere.

Herodes Hieroſolymam cingit obſidione, ac præconis voce cur advenerit, declarari jubet.

eti-

etiam offensarum oblivionem daturum. Deinde cum allocutionibus contrariis pars Antigoni obstaret, quo minus aut præcones exaudire, aut voluntatem mutare quispiam posset, quod reliquum erat, suis imperat murorum defensores deturbare: atque illi statim sagittis cunctos ex turribus in fugam verterunt. Ibique tunc Silonis detecta corruptio est. Multis enim militum subornatis, qui rebus egere se necessariis acclamarent, pecuniamque alimentis poscerent, atque hyemandi gratia in loca opportuna dimitti (nam civitati proxima deserta erant, ita omnibus ab Antigono ante provisis) & incitabat exercitum, & ipse recedere conabatur. Herodes autem non solum duces, qui Siloni parerent, sed etiam milites, ubi plurimi essent, conveniendo, rogabat ne se destituerent, quem scirent a Cæsare & Antonio & Senatu deductum, in uno die pollicitus eos penuria solvere. Deinde hæc precatus ipse agros adit: tantamque his exhibuit copiam commeatus, ut Silonis omnes accusationes perimeret: simulque prospiciens, ne vel in posterum ministrare desinerent, accolas Samariæ per epistolas admonebat (nam civitas ejus se clientelæ dederat) ut alimenta & vinum & oleum & pecora in Hierichunta deferrent. *Hoc ubi audivit Antigonus*, statim qui frumentatu hostes prohiberent, atque insidiis opprimerent, per agros dimittit. Illique jussis obediunt, & magna jam manus armatorum super Hierichunta fuerat congregata. Discreti autem montibus insidebant, si qui exportarent victui necessaria speculantes. Non tamen Herodes otiosus erat, sed decem cohortibus comitatus, quinque Romanorum, & quinque Judæorum, quibus

A. M. 3925. A.C.N. 39.

Silonis a Judæis pecunia corrupti dolus.

Herodes commeatus copiâ parat.

Herodes decem cohortibus comitatus Hierichunta pervenit.

A. M. 3925 A.C.N. 39. bus permixti erant etiam mercede conducti trecenti, præterea paucis equitibus Hierichunta pervenit: & civitatem quidem vacuam habitatoribus reperit, quingentos vero cum mulieribus ac familiis montium occupasse cacumina; & hos quidem captos dimisit: Romani autem in reliquam civitatem irruunt, eamque diripuere; cum plenas domos offendissent omnigenis opibus; Rex autem apud Hierichunta præsidio collocato, reversus est: Romanumque militem in his quæ sibi accesserant civitatibus, hoc est Idumæa, & Galilæa, & Samaria, hyematurum dimisit. Antigonus quoque Silonis corruptione meruit, ut exercitus partem Lyddenses susciperent in Antigoni gratiam: & Romani quidem armorum cura soluti, rebus omnibus abundabant. Herodes autem non quiescebat, sed Idumæam duobus millibus peditum, & quadringentis equitibus, misso etiam fratre suo Josepho, communivit, ne quid novi cum Antigono tentaretur. Ipse autem, matre cum aliis, quos ex Massada liberaverat, affectibus suis in Samariam translata, ibique tutissime collocata, ut cætera Galilææ subverteret, atque Antigoni præsidia expelleret, proficiscitur. Cumque Sephorim, licet vehementissime ningeret, perveniset, facillime civitatem capit, custodibus ejus ante aggressionem fuga dilapsis: ibique suis militibus, quos hyems fatigaverat, recreatis (erat enim magna copia commeatus) adversus latrones in speluncis degentes direxit animum: qui pleraque illius regionis incursantes, non minoribus quam belli cladibus incolas afficiebant. Præmissis autem tribus peditum cohortibus, unaque ala equitum in vicum Arbelam, ipse die-

Romani præda ingenti potiuntur.

Ant. l. 14. cap. 24.

Herodes Sephorim civitatem capit.

Herodes adversus latrones in speluncis degentes animum dirigit.

bus

bus quadraginta poſt cum reliqua manu ſuper- A. M.
venit. Nec tamen ejus incurſum hoſtes exti- 3925.
muere, ſed armati obviam procedebant, peri- A.C.N.
tia bellatoris fiſi, & ferocitate latronis. Deni- 39.
que prælio commiſſo, dextro ipſorum cornu, ſiniſtrum Herodis in fugam pellitur. Ille autem de ſuo dextro circumgreſſus, velociter ſubvenit, & ſuos quidem a fuga retrahit: irruendo in hoſtes, impetum perſequentium refrenabat, donec a *fronte* pugnantes violentiæ conceſſerunt. Qui tamen eos uſque ad Jordanem cædendo perſequebatur: & magna fugientium parte peremta, cæteri trans fluvium disjecti ſunt: & Galilæa metu eſt purgata, niſi quod in ſpeluncis latitantes reliquerant, eorumque cauſa diutius ibi remorandum fuit. Quamobrem primum laboris *fructum* militibus rependebat, centum quinquaginta argenti drachmas ſingulis dividendo: eorumque ducibus multiplicatam ſummam ad hyberna mittendo. Pheroræ autem fratri minimo ſcripſit, ut & foro venalium conſuleret, muroque caſtellum Alexandrium cingeret: quæ ab illo curata ſunt. Interea circum Athenas verſabatur Antonius. Ventidius autem ad bellum contra Parthos Silonem atque Herodem *accerſit:* mandato eis per epiſtolas, ut Judææ ſtatum *ante* componerent. Sed Herodes, libenter ad Ventidium Silone dimiſſo, ipſe adverſum latrones in ſpeluncis habitantes movet exercitum. Iſtæ autem ſpeluncæ in præruptis *montibus* erant, undique inacceſſæ, tranſverſosque tantum ac peranguſtos aſcenſus habebant: ſaxumque ab earum fronte uſque ad fauces ultimas pertingebant, rectum vallibus imminens, ut aliquamdiu quidem Rex pro loci difficul-

Herodis de latronibus victoria.

A. M. 3926. A.C.N. 38.

Ant. lib. 14. cap. 25. Deſcriptio ſpeluncæ in qua latrones habitabant.

A. M. 3926. A.C.N. 38. ficultate quid ageret, incertus esset. Postremo autem placuit, ut molimine uteretur satis incauto. Etenim valentissimus quisque demissus arculis exponebatur in ostia speluncarum. Hique cum familiis eos mactabant, ignemque repugnantibus injiciebant. Cumque aliquos ex his conservare vellet Herodes, ut ad se accederent, voce præconis edixit. Sed illorum neque voluntarius se quisquam ei tradidit: sed & quos vis coegerat, multi mortem captivitati prætulerunt. Ubi etiam senior quidam, septem filiorum pater, orantes cum matre pueros, ut egredi sibi ad fœdera permitteret, occidit hoc modo: Jussit exire singulos, ipse ad ostium stabat, & prodeuntem quemque filiorum trucidabat. Herodes autem e specula hæc prospiciens, & dolore conficiebatur: & ut filiis parceret, seni dexteram cum precibus porrigebat. Ille autem dictis ejus nequaquam mitior factus, insuper humilem animum Herodi exprobravit, & post filios occidit uxorem: dejectisque desuper mortuis postremo semetipsum præcipitem misit. Speluncis igitur & qui in his erant, ita subactis, Herodes relicta exercitus parte, quantum, ne quis rebellare tentaret, satis esse arbitrabatur, eique parti Ptolemæo præposito, in Samariam rediit: scutatorum quidem tria millia, sexcentos vero equites in Antigonum ducens. Tuncque propter ejus abscessum nacti licentiam, quibus Galilæam turbare mos erat, Ptolemæum quidem ducem aggressi, nec opinantem interficiunt. Agros autem vastabant, in paludes atque in abditissima loca refugientes. Quibus cognitis Herodes mature succurrit: & magnam quidem eorum multitudinem morte consumit.

Ptolemæus Herodis militū Dux interfectus.

Omni-

Omnibus autem caſtellis obſidione liberatis, hujus mutationis cauſa mulctam exegit a civitatibus pecuniam, centum talenta. Jam vero Parthis expulſis, occiſo etiam Pacoro, Ventidius Antonii literis monitus, equitum mille auxilia, duarumque legionum, adverſus Antigonum mittit Herodi. Eorum autem ducem Machæram, ut ſe adjutum veniret, per epiſtolas rogavit Antigonus, & de injuria Herodis multa conqueſtus, & pecuniam dare pollicitus. Sed is: nec enim ad quos miſſus fuerat, negligendum putabat, cum præſertim plura daret Herodes: in proditione quidem ei non paruit, ſimulata vero amicitia res Antigoni exploratum perrexit, non admiſſo Herodis conſilio, diſſuadentis id fieri. Antigonus autem, quia præſenſit quid cogitaret, civitatem ei clauſit, & tanquam hoſtem arcebat a mœnibus, donec Machæram incepti puduit, & in Amathuntem ad Herodem receſſit. Iratus autem quod res aliter ceſſerat, quoscunque Judæos offendiſſet, interficiebat, ut nec vel Herodianis parceret: ſed ut Antigonianis omnibus abutebatur. Hæc cum ægre ferret Herodes, in Machæram quidem vindicare voluit, tanquam in hoſtem: iracundiam vero repreſſit, & ad Antonium properabat, apud eum accuſaturus Machæræ iniquitatem. Ille autem delicta ſua reputans, velociter Regem conſequitur: utque in gratiam ſecum redeat, multis precibus efficit. Neque tamen Herodes a propoſito ſuo revocatus eſt, quo minus ad Antonium pergeret. Sed cum audiſſet eum magnis viribus oppugnare Samoſatam, juxta Euphratem validiſſimam civitatem, acrius feſtinabat, opportunum hoc tempus eſſe perſpiciens demonſtrandæ virtutis,

A. M. 3927. A.C.N. 37.

Machæræ iniquitas.

A. M. 3927. A.C.N. 37. & ut magis magisque placeret Antonio. Denique mox ut ad eum venit, finem attulit obſidioni, multis Barbaris interfectis, magnaque prædæ parte ſibi deſtinata: ut Antonius quidem, quamquam ejus virtutem antea miraba-

Antonius Herodis virtutem miratur.

tur, tamen etiam tunc magis eandem opinionem haberet, multumque ad honores ejus, ſpemque regni adderet: Antiochus vero tradere Samoſatam cogeretur.

## CAPUT XIII.

*De morte Joſephi, & obſidione Hyeroſolymæ per Herodem, & Antigono occiſo.*

Ant. l. 14. cap. 25. DUm hæc agerentur, res Herodis in Judæa fractæ ſunt. Reliquerat enim Joſephum fratrem ſuum, qui omnia procuraret, cum mandatis hujuſmodi, ut nihil ante reditum ſuum adverſus Antigonum moveret, quia non firmum eſſet auxilium Machæræ, quantum ex delictis ſuperioribus appareret. Verum Joſephus, ubi fratrem procul abeſſe cognovit, immemor præceptorum, Hierichunta cum V. cohortibus a Machæra ſecum miſſis petit, ut maturo meſſium tempore frumenta diripiat. Incurſu autem hoſtium per montana atque aſpera loca oppreſſus, & ipſe cadit, magnam viri fortis in ea pugna gloriam conſecutus, & omnes Romani milites pereunt. Recens autem lectæ de Syria cohortes erant, nec veteranorum quemquam permixtum habebant, qui belli imperitis opitu-

Antigoni in Joſephi cadaver immanitas.

lari poſſet. Antigonus autem victoria minime contentus fuit, ſed eo proceſſit iracundiæ, ut mortuum quoque Joſephum verberaret. Denique nactus corpora mortuorum, etiam caput

ejus

ejus abscidit, quamvis L. talenta Pheroras frater precium redemptionis offerret. Tanta vero novitas post Antigoni victoriam Galilææ res occupavit, ut qui partibus ejus magis faverent, productos primates Herodis studiosos lacu submergerent: multaque in Idumæa quoque mutarentur, ubi Machæra castelli cujusdam instaurabat mœnia, cujus nomen est Githa. Nec horum quicquam Herodes audierat. Captis enim Samosatis Antonius, & præposito Syriæ Sosio jusso, ut Herodem quoque adversus Antigonum adjuvaret, discessit in Ægyptum. Sosius autem duabus cohortibus in Judæam præmissis, quarum Herodes uteretur auxilio, ipse cum cætera manu militum sequebatur. Herodi autem degenti in Daphnen Antiochiæ, mortem fratris somnia manifesta significant. Cumque turbatus prosiluisset e stratis, ecce nuncii cladis intrabant: quare præ dolore paululum questus, maxima parte luctus dilata, in hostes properabat, ultra vires iter accelerans. Et ubi ad Libanum venit, octingentos montis accolas assummit auxilio, unamque his jungit Romanorum cohortem. Cum quibus non expectata luce, Galilæam ingressus est, hostesque obvios in eum, quem reliquerant locum, avertit. Et assidue quidem castellum oppugnare tentabat: sed priusquam id caperet, asperrima hyeme coactus, in vicum proximum recepit exercitum. Paucis autem diebus post, auctus etiam alterius cohortis præsidio, quam Antonius miserat, tanto hostibus terrori fuit, ut castellum nocte desererent. Jamque per Hierichunta properans ibat, ut quamprimum interfectores fratris sui posset ulcisci, ubi etiam mirabilis ei mon-

A. M. 3927. A.C.N. 37.

Herodi mortem fratris somnia manifesta significant.

A. M. 3927. A. C N. 37.

ſtrique ſimilis caſus evenit: unde præter ſpem liberatus, opinionem, quod Deo charus eſſet, adeptus eſt. Nam cum multi honorati veſpera illa apud eum cœnaviſſent, poſtquam dimiſſo convivio omnes egreſſi ſunt, confeſtim cœnaculum concidit. Id autem commune ſibi tam periculorum, quam ſalutis præſagium, quantum ad futurum bellum pertineret, eſſe conjiciens, mane primo caſtra movet: hoſtiumque ſex circiter millia de montibus decurrentes, prima tentabant agmina; & manum quidem cum Romanis conſerere non ſatis fidebant: lapidibus autem ac telis eos, dummodo plurimos ſauciarent, eminus appetebant: ubi Herodes quoque ipſe præteriens, latus jaculo vulneratur. Antigonus autem ſe non ſolum audacia ſuorum, ſed etiam multitudine ſuperiorem videri cupiens, Pappum quendam ex contubernalibus ſuis cum manu militum in Samariam mittit, quibus quidem Machæra erat præmium victoriæ. Herodes vero terram pervagatus hoſtilem, quinque municipia capit, duoque habitatorum millia conſummit. Exuſtisque domibus, ad exercitum redit, circa vicum, qui appellatur Cana, tendentem. In dies autem ſingulos magna ei multitudo Judæorum vel ex ipſa Hierichunte, vel ex aliis regionibus accedebat: cum hos odium moveret Antigoni, alios ipſius Herodis præclara facinora. Enimvero multos ratione carentes mutationis cupiditas impellebat. Hoc autem congredi feſtinante, Pappi milites neque multitudine hoſtium, neque impetu perterriti, acriter ad pugnam ex altera parte procedunt. Sed ubi agmina conflixerunt, cæteri quidem pauliſper reſtiterunt. Herodes autem fraternæ cædis

Herodis cœnaculum dimiſſo convivio confeſtim concidit.

dis recordatione periculosius dimicans, dummodo ejus ulciscereturautores, adversam aciem facillime superat: deinde semper integros aggrediendo, universos in fugam vertit. Erat enim plurima occumbentium strages, cum alii quidem in vicum unde venerant compellerentur, novissimus autem ipse instaret, atque infinitos occideret. Postremo ruens inter fugientes hostes in vicum irrupit: cum omnes domus armatis essent refertæ, plenaque propugnatorum desuper tecta: & quoniam foris deprehensos facillime superabat, disturbando ædes intus abditos extrahebat, alios convulsis obrutos tectis, multos simul necabat. Si quis autem subterfugisset ruinam, cum gladiis armati milites excipiebant: tantaque cadaverum per omnes vias multitudo coacervata est, ut etiam victoribus ipsis transitus obstrueretur. Hanc plagam hostes adeo non tulerunt, ut confluentium turba, conspectis qui in vico periissent, fuga discederent: statimque successu fretus Herodes ad Hierosolymam perrexisset, nisi eum hyemis asperitas prohibuisset. Hæc enim perficiendæ victoriæ fuit impedimentum, & ne penitus opprimeretur Antigonus, obstitit, qui civitatem jam deserere cogitabat. Herodes autem ad vesperam, cum lassos amicos reficiendi corporis gratia dimisisset, ipse adhuc ab armis calidus, more militis lavatum ibat, siquidem unus tantum puer eum sequebatur. Et prius quam in balneum perveniret, obvius ei quidam ex hostibus gladio armatus occurrit, deinde alter, & tertius, & plures. Et hi confugerant armati ex acie in balneum, sed perculsi etiam tum metu ac latitantes, ut Regem viderunt, illum quidem stupore debilitati

A. M. 3927. A.C.N. 37.

Cadaverum multitudo victoribus transitum obstruit.

A. M. 3928. A.C.N. 36. tati ac trementes, cum inermis esset prætereunt: exitus vero qua fugerent cursu petebant. Itaque cum alius casu, qui eos comprehenderet, nullus adesset, Herodi autem nihil pati satis fuisset, omnes effugiunt. Postero autem die Pappum quidem, Antigoni militum ducem, abscisso capite obtruncat: idque Pheroræ magistro exercitus fratri suo mittit in perempti fratris ultionem: namque Pappus erat, qui Josephum interfecerat. Ubi autem rigor hyemis cessit, Hyerosolymam repetiit: murisque admoto milite (annus autem tertius agebatur, ex quo Romæ Rex fuerat declaratus) pro templo castra posuit, qua facilior erat expugnatio, & antea Pompejus ceperat civitatem. Exercitu autem in opera distributo, suburbanisque divisis, tres quidem levare aggeres, & super eos turres ædificare jubet. Relictis autem, qui operibus instarent, impigerrimis amicorum, ipse in Samariam vadit, uxorem accepturus, Alexandri filii Aristobuli filiam, sibi desponsatam, ut diximus: & dum obsidet, subcisiva opera nuptias curaturus: quippe jam hostes despiciebat. Igitur ubi eam duxit, ad Hierosolymam redit, auctus militum copiis: eique Sosius cum magna manu equitum peditumque sociatur: qua mediterraneo itinere præmissa, ipse per Phœnicen iter fecit. Universo autem exercitu congregato, ad peditum legiones undecim, equitumque sex millia, præter auxilia Syrorum, non pro minima parte ducenda, prope a septentrionali muro castra collocarunt: Herodes quidem Senatusconsulto fretus, quo Rex fuerat declaratus: Sosius vero Antonio, a quo milites, quibus præerat, asciret missos Herodi auxilio. Judæorum autem

Pappum Antigoni militum ducem Herodes obtruncat.

Ant. l. 14. cap. 12. Hierosolyma ab Herode obsessa.

intra

intra civitatem agentium populus varie turbatus erat. Nam circa templum infirmior multitudo conveniens furore agebatur, multaque veluti divinitus de temporibus dictitabat: & qui audaciores essent, in catervas conglobati, multis modis latrocinabantur: maxime ex locis oppido proximis victui necessaria diripientes, neque aut equis, aut viris alimenta relinquebant. Bellatorum autem constantiores obsidentibus oppositi, e muris opus aggerum prohibebant, & contra instrumenta oppugnantium, semper novum aliquod obstaculum moliebantur. In nulla re autem æque, ac in cuniculis superabant. Rex autem adversus latrocinia quidem occultas excogitavit militum insidias, quibus eorum reprimerentur excursus: inopiam vero alimentorum longinquis transvectionibus adjuvari disposuit. Ac pugnæ intenti, quamvis omnem modum audaciæ supergrederentur, Romanorum tamen peritia vincebantur: nihilominus aperte cum his, certa morte proposita, confligebant. Ex improviso autem Romanis per cuniculos intermedios emergentibus, priusquam muri aliqua pars dirueretur, alteram ejus vicem muniebant. Prorsus autem neque manibus neque machinis deficiebant, quoniam usque ad ultimum repugnare decreverant. Denique tanto exercitu circumsidente, per quinque menses obsidium toleraverunt: donec quidam ex his, quos lectos habebat Herodes, ausi murum transgredi, civitatem irrupere, & post eos Sosii centuriones. Igitur ante omnia fano proxima capiebantur: & infuso exercitu plurima ubique mors erat: Romanis quidem propter obsidionis moras iratis: Herodis vero manu Judaica summo in-

A. M. 3929. A.C.N. 35.

Judæorum in pugna constantia.

Herodis milites cum Judæi per quinque menses obsidionem toleraverunt civitatem irrumpunt.

A. M. 3929. A.C.N. 35. tenta ſtudio, ne quis penitus ex adverſariis evaderet. Mactabantur autem quamplurimi, & per anguſtiores vicos oppidi, & in domos compulſi, etſi ad templum etiam confugiſſent: nec ulla erat aut ſenectutis, aut muliebris infirmitatis miſeratio. Denique licet Rex ubique mittens, rogaret, ut parcerent, nemo tamen dexteram continuit: ſed veluti furentes, omnem perſequebantur ætatem. Ibi tunc etiam Antigonus, neque priorem, neque præſentem fortunam cogitans, domo deſcendit, & ad pedes Soſii proſternitur. Ille autem nihil eum tantæ mutationis cauſa miſeratus, & intemperanter deriſit, & Antigonam appellavit: neque tamen etiam cuſtodia liberum dimiſit, ut fœminam. Itaque ille quidem vinctus aſſervabatur. Herodes autem cum jam hoſtes viciſſet, ut externa quoque auxilia compeſceret, providebat. Viſendi enim templi, ſanctorumque ejus ſtudio, omnis multitudo peregrina fuerat incitata. Ob eamque rem, hos minis, alios precibus, nonnullos armis etiam refrenabat: acerbiorem, quam ſi victus fuiſſet, exiſtimans ſibi fore victoriam, ſi quod videri nefas eſſet, culpa ſua viſum fuiſſet. Mox autem etiam rapinas in civitate prohibuit, multa invectus in Soſium, ſi vacuefacto viris & pecuniis oppido, Romani Regem ſe ſolitudinis reliquiſſent: qui pro tanta civium cæde, totius orbis terræ imperium, vile precium judicaret. Illo autem juſtum eſſe dicente, ut pro labore obſidionis prædandi licentiam milites haberent: ipſe de ſuis facultatibus mercedem ſingulis diſtributurum ſe aſſeveravit. Atque ita redemptis patriæ reliquiis, promiſſa complevit. Nam & militum quemque liberaliter, & pro merito du-

Cædes in Hieroſolymis.

Antigonum Soſius capit.

Herodes militibus de ſuis facultatibus multum pecuniæ largitur.

duces, ipſumque Soſium regia largitate dona- A. M.
vit, ut nemo egens pecuniis abiret. Poſt hæc 3929.
Soſius aurea corona Deo dedicata, ex Hieroſo- A.C.N.
lymis remeavit, Antonio vinctum Antigonum 35.
ducens. Et illum quidem vana ſpe vitæ cupi- Antigonus ſecuri obtruncatur.
dum uſque ad ultimum diem, ignavia digna ſecuris excepit. Rex autem Herodes diſcreta multitudine civitatis, ſuarum quidem partium ſtudioſos, quo magis benevolos ſibi faceret, honorifice tractabat: Antigonianos autem neci tradebat. Et quum pecunia defeciſſet, diviſo quicquid ornamentorum haberet, Antonio ejuſque comitibus miſit: non tamen omnino, ne quid pateretur, redemit. Jam enim Antonius Cleopatræ amore corruptus, in omni re cupi- Ant. l. 15 cap. 1.
dini ceſſerat. Etenim Cleopatra, ubi tanta co- Cleopatræ in cognationem
gnationem ſuam ſævitia perſecuta eſt, ut neque ſuam ſævitia.
propingvus ſanguine ſupereſſet, cædis rabiem contulit in extraneos: Syrorumque optimates apud Antonium criminando, ſuadebat eos interfici, ut eo modo cujuſque poſſeſſiones dominio ſuo facilius quæreret. Poſtea vero quam in Judæos atque Arabes uſque extendit avaritiam, ut Reges eorum Herodes & Malichus interirent, occulte molebatur. Cui cum verbotenus annuiſſet Antonius, occidere quidem bonos viros, tantoſque Reges injuſtum eſſe duxit: verum inter amicos ultra non habuit: ſed multa terra ex eorum præciſa finibus, & quod erat in Hierichunte palmetum, in quo balſamum gignitur, & civitates præter Tyrum & Sidonem cunctas intra flumen Eleuterum ipſi dedit. Quorum potita dominio ad Euphratem uſque Parthis Avaritia Cleopatræ.
bellum inferentem proſecuta Antonium, per Apamiam & Damaſcum in Judæam venit. At-

A. M. 3934. A.C.N. 30. que hic Herodes, licet magnis muneribus infensum ejus animum mitigasset, tamen ducentis talentis annuis abscissas regno suo possessiones impetrat sibi locari: ipsamque omnibus obsequiis placans, Pelusium usque deducit. Nec multum interea tempus & Antonius ex Parthis aderat, captivumque Artabazen Tigranis filium dono Cleopatræ ducebat. Nam cum pecuniis omnique præda, Parthus illi statim condonatus est.

## CAPUT XIV.

*De insidiis Cleopatræ in Herodem, & Herodis prælio contra Arabes & ingenti terræmotu.*

Ant. l. 15. cap. 5. COncitato autem bello Actiaco, Herodes quidem cum Antonio proficisci paratus erat, & aliis per Judæam turbis liberatus, & Hyrcanio potitus, quem vicum Antigoni soror tenebat: verumtamen a Cleopatra callide, ne periculorum Antonii particeps fieret, intercluſus est.

Cleopatræ in Herodem insidiæ. Regibus enim, ut diximus, insidias tendens, bellum in Arabas ut Herodi committeret, persuadet Antonio: quos si vicisset; Arabiæ: sin autem victus esset, Judææ Domina constitueretur: alterumque potentium per alterum pessumdaret. Sed ejus consilium Herodi feliciter cessit: nam primum in Syros hostes ducens, magnum quem conflaverat equitatum, circa Diospolim in eos mittit, & quamvis fortiter resistentes, superavit: qui cum jam victi essent, magno motu Arabes suscitantur: & infinita manus in Syriæ cœles Canathan congregati, expectabant Judæos. Ubi rex eos Herodes cum exercitu aggressus bellum consultius administra-

re

re tentabat, caſtraque muro cingi præcipiebat: non tamen ei paruit multitudo, ſed priore victoria freti Arabas impetunt, & prima coitione in fugam verſos urgebant: in perſecutione vero inſidiis periclitatur Herodes, Canathenſibus ab Athenione immiſſis, qui ex Cleopatræ ducibus ſemper ei fuerat inimicus. Namque horum incurſu recreati Arabes, pugnam repetunt: junctiſque agminibus circa ſaxoſa loca & *devia*, Herodis militem fugant, plurimis cæde proſtratis. Qui vero ex prælio ſervati ſunt, in vicum Ormizam confugiunt: ubi etiam caſtra eorum cum hominibus circumventa, Arabes, ſicut erant plena, ceperunt. Neque multo poſt accepta clade, Herodes aderat cum auxiliis, ſerius quam uſus popoſcit. Hujus ei vulneris cauſa fuit, præpoſitorum militibus contumacia, quod juſſis obedire noluerunt: non enim repentino commiſſo prælio ullum Athenio inſidiandi tempus habuiſſet. Rurſus tamen ultus eſt Arabas, aſſiduis fines eorum incurſionibus infeſtans: quodque ſemel victus eſt, ſæpe rependit. Sed dum inimicos perſequitur, incurrit ei divinitus alia calamitas, ſeptimo regni anno & Actiaco bello fervente. Namque veris initio *terra mota*, infinita quidem pecorum, triginta vero *hominum* millia peremit, cum exercitus manſiſſet incolumis, quoniam ſub divo tendebat: ibique Arabas in majorem audaciam fama ſuſtulit, triſtibus nunciis gravius ſemper aliquid affingens: unde velut omni ſubverſa Judæa, terræ obtinendæ ſpe, quia neminem ſupereſſe credebant, in eam irruunt, legatis prius interfectis, qui ad ſe venerant a Judæis. Herodes autem adventu hoſtium perterritam ſuorum

A. M. 3934. A.C.N 30.

Ant. l. 15. cap. 6. Herodis exercitum Arabes in fugam vertunt.

Bellum Actiacum inter Antonium & Auguſtum utrinque geſtum.

Alia Herodis calamitas.

A. M. 3934. A.C.N. 30. multitudinem, tam magnitudine quam aſſiduitate calamitatum fractam, ad repugnandum incitare tentabat, hæc dicens: Rationem habere non videtur, cur vos præſens formido perculerit: nam divinæ quidem indignationis plagas mœrori vobis eſſe non miror. Ignavum autem eſt perpeti idem, etiam cum incurſus hominum repellendi ſunt. Ego enim tantum abeſt, ut hoſtes poſt terræ motum pertimeſcam, quod magis putaverim Deum hanc illis illecebram immiſiſſe, ut pœnas redderent: non enim tantum manu armiſque freti, quantum noſtris calamitatibus, veniunt. Fallax autem ſpes eſt, quæ non ſuis viribus nititur, ſed alienis adverſis. Neque vero vel ſecundæ res vel contrariæ, apud homines certæ ſunt: ſed in utramque partem videas fortunam mutare viciſſim, & exempla vobis propria demonſtrabunt. Nempe prælio ſuperiore victores, poſt ab hoſtibus victi ſumus: & nunc ergo, quantum æſtimare licet, illi capientur, victores ſe fore credentes. Nimis enim confidens incautus eſt: metus autem providentiam docet. Itaque mihi quidem hoc ipſum quod timetis, fiduciam ſuggerit. Nam cum ferociores, quam opus erat, fuiſtis, & præter voluntatem meam in hoſtes egreſſi eſtis, Athenion inſidiandi tempus invenit. Nunc autem veſtra cunctatio, & minus alacer animus, ut videtur, certam mihi victoriam ſpondet. Convenit tamen ante prælium ſic eſſe affectos, in ipſo autem opere virtutem exerere: conſceleratisque hoſtibus planum facere, quod neque humanum aliquod malum, neque ira cœleſtis unquam deprimit fortitudinem Judæorum, donec ſpiritum vitæ ducunt, vel eorum quiſquam

Herodis ad milites perterritos oratio.

Metus præſtat confidentiam.

in

in bonis ſuis Arabas dominari patietur, quos aliquoties pene captivos abduxit. Nihil autem vos terreat rerum anima carentium metus: neque arbitremini, terræ concuſſionem alicujus futuræ cladis eſſe portentum. Naturalia namque ſunt elementorum quoque vitia, nullumque damnum inferunt, niſi quod ex ipſis evenerit. Nam peſtilentiæ quidem, vel famis, vel terræ motus ſignum aliquod tardante malo fortaſſe præceſſerit: ipſa vero cum extiterint, ſui magnitudine finiuntur. Cæterum quid nobis amplius quam terræ concuſſio, bellum nocere poterit etiam victis? Imo enimvero maximum imminentis excidii monſtrum, ſponte ſua, neque alienis manibus inimicis accidit, qui legatos noſtros præter omnium hominum leges crudeliter mactaverunt, taleſque Deo pro belli eventu hoſtias cæciderunt. Non enim effugient maximum ejus lumen invictamque dexteram, ſed continuo pœnas dabunt: ſi patrio repleti ſpiritu, in vindictam violati fœderis animos excitemus. Pergite quiſque non pro conjugibus, neque pro liberis, aut pro patriæ periculis pugnaturi, ſed legatorum cædis ultores. Illi melius, quam nos qui vivimus, exercitum regent: *vobiſque mihi obedientibus*, periclitabor ipſe pro cæteris. Pro certo enim ſciatis fortitudinem veſtram non ſuſtineri poſſe, niſi temeritate lædatur. His adhortatus milites, ubi eos alacres vidit, ſacra Deo celebravit: deinde cum exercitu Iordanem fluvium tranſgreſſus eſt. Caſtris autem Philadelphiæ poſitis, haud procul ab hoſtibus, quaſi de interjacente caſtello contenderet, pugnam eminus iritabat, quamprimum cupiens congredi: nam & hoſtes præmiſerant,

A.M. 3934. A.C.N. 30.

Altera pars orationis Herodis de terræ motu.

Concluſio Herodis orationis & adhortatio ad milites.

Herodes ante pugnam ſacra Deo celebrat.

A. M. 3934. A.C.N. 30.

ferant, qui caſtellum occuparent. Sed illos quidem Regii facile repulerunt, collemque tenuerunt: ipſe vero quotidie producto ad prælium milite, inſtructaque acie Arabes laceſſebat. Cum autem nemo contra procederet (quædam enim eos vehemens formido tenebat, & ante multitudinem dux Althemus timore obriguerat) vallum eorum diſturbat ipſe aggreſſus: eoque modo coacti ad pugnam confuſis ordinibus, mixtique cum equitibus pedites egrediuntur: etſi multitudine ſuperiores, Judæis tamen alacritate impares, quamvis audaciores eos faceret victoriæ deſperatio. Et quamdiu quidem reſtiterunt, non magna eorum cædes facta eſt: ubi vero terga nudaverunt, multi a Judæis, multi vero a ſemetipſis conculcati perierunt. Denique millia V. in fuga ceciderunt, cæteraque multitudo intra vallum conpulſa eſt, eoſque ſtatim circumſeptos obſidebat Herodes: & licet armis prope adeſſet excidium, tamen aquæ penuria vehementer urgebat. Cumque Rex arrogantius eorum legatos deſpiceret, & talenta quinquaginta pro redemptione offerentibus, magis inſtaret: denique ardeſcente ſiti, catervatim exeuntes, ultro ſe Judæis tradebant, adeo ut quinque diebus quatuor millia vincirentur, ſexto reliqua multitudo ad pugnam deſperata ſalute procederet. Quibus congreſſus Herodes, iterum ſeptem millia circiter ſternit: & tam magna plaga ultus Arabiam, extincto virorum ejus ſpiritu, tantum profecit, ut ejus patronus ab ea gente optaretur.

Herodes hoſtes adoritur.

Arabes ardeſcente ſiti ultro ſe Judæis tradunt.

CA-

## CAPUT XV.

A. M. 3934. A.C.N. 30.

*Herodes exaltatus in regnum.*

MOx autem illum excepit desueta rerum solicitudo propter amicitiam Antonii, post victoriam Cæsaris apud Actium. Verumtamen plus timoris habebat, quam ipse patiebatur. Nec enim Cæsar victum judicabat Antonium, donec Herodes cum eo supereſſet. Itaque Rex *periculis decrevit occurrere*: Rhodumque transmissus, ubi Cæsar eo tempore morabatur, adiit eum sine diademate, veste quidem cultuque privato, sed fastu regio, neque dissimulata veritate coram eo hæc dixit: Ego quidem, Cæsar, Rex factus ab Antonio, fateor utilem me fuisse Regem Antonio. Neque dissimulaverim, quod omni *modo* armis quoque me gravem expertus esses, nisi Arabes prohibuissent. Verumtamen & auxilia ei pro viribus meis misi, & multa frumenti millia: sed nec accepta apud Actium plaga, bene de me meritum deserui. Nam cum auxilii minus commodarem, optimum ei consilium dedi, unam esse dicens Cleopatræ mortem adversorum correctionem: quam si occidisset, & pecunias ei & muros ad tuitionem, & exercitum, & *memetipsum* belli contra te socium pollicebar. Sed profecto ejus aures Cleopatræ amores, & Deus, qui tibi victoriam donaret, obstruxit. Una ergo cum Antonio victus sum, & diadema cum ejus fortuna deposui. Ad te autem veni, spem salutis de virtute præsumens: & ut in examen adduceretur properans, qualis amicus alicujus fuerim. Ad hæc Cæsar: Imo vero salvus esto, inquit, & nunc regnato certius. Nam meritus es, qui plurimos regas, cum ami-

Ant. lib. 15. cap. 7.

Herodis coram Augusto Cæsare oratio.

Herodes coram Augusto dissimulatione remota verum ingenue fatetur.

Cæsaris ad Herodem responsio.

A. M. 3934. A.C.N. 30. citiam tanta fide tuearis. Experire autem, ut etiam felicioribus fidus permaneas: ſiquidem ego præclariſſimam ſpem de tua magnanimitate mihi promitto. Recte tamen fecit Antonius, qui magis Cleopatræ, quam tibi paruit. Te namque lucrati ſumus propter ejus amentiam. Prior autem ab officiis cœpiſti, quantum apparet, quem adverſus eorum gladiatores idonea auxilia miſiſſe Ventidius perſcribit. Quare interim tibi decreto firmitatem regni præbeo. Experiar autem ipſe quoque bene tibi aliquid facere, ut non deſideres Antonium. Hujus ſermonis humanitate Regem, ne quid de amicitia ſua dubitaret, hortatus, & diadema illi impoſuit, & indulgentiam decreto conſignat: in quo multa magnifice in ejus laudem commemoravit. Ille autem prius eum muneribus delinitum rogabat, ut Alexandrum quendam ſupplicem, ex amicis Antonii, juberet abſolvi. Sed vicit iracundia Cæſaris, multa illum & gravia, pro quo rogabatur, admiſiſſe dicentis, quibus repulit deprecantem. Poſtea vero ad Ægyptum euntem per Syriam Cæſarem, Herodes cunctis accepit regni divitiis: tumque primum cum eo milites recenſente, circa Ptolemaidem equo vectus eſt, cœnamque illi cum omnibus amicis exhibuit, atque inſuper exercitus ejus epulis cuncta diſtribuit. Proſpexit etiam per arida loca proficiſcentibus ad Peluſium, atque inde redeuntibus aquarum copia non deeſſet. Nec fuit quicquam utenſilium, quod deſideraret exercitus. Pro his denique meritis parvum eſſe Herodi regnum, tam Cæſar quam milites exiſtimabant. Ideoque poſtquam venit in Ægyptum, jam Cleopatra & Antonio mortuis, non ſolum cæteros ejus ho-

Herodis in Auguſtum Cæſarem merita.

no-

nores auxit, verum etiam regno partem finium addidit, quam Cleopatra dempſerat. Et præterea Gadara, Hippon, Samariam: maritimarumque inſuper civitatum Gazam & Anthedonem, & Joppen, & Pyrgon Stratonis: & ad hæc ſatellites quadringentos Gallos ei donavit, quos antea Cleopatra ſtipatores habebat. Nulla autem res magis liberalitatem Cæſaris incitabat, quam magnus animus accipientis. Poſt primam vero Actiada, etiam regionem quæ Trachon vocatur, ejus ditioni ſubdidit, eique continentem Batanæam, itemque Auranitin, ex hujusmodi cauſa. Zenodorus, qui domus Lyſaniæ conductor erat, non ceſſavit unquam ex regione quæ Trachon dicitur, latrones Damaſcenis immittere. Illi autem ad Varum tunc rectorem Syriæ confugerunt, eumque deprecati ſunt, quo ſuas miſerias Cæſari declararet. Cæſar autem his cognitis ei reſcripſerat, latrocinium penitus curaret extinguere. Varus autem milite aggreſſus loca ſuſpecta, expugnavit latronibus terram, ipſamque Zenodoro abſtulit: quam Cæſar, ne latronum denuo contra Damaſcum receptaculum fieret, Herodi dedit, eumque præterea totius Syriæ procuratorem conſtituit. Et decimo anno reverſus iterum in provinciam, ne quid eo inconſulto procuratoribus liceret adminiſtrare, præcepit: ac Zenodoro mortuo terram omnem, quæ inter Trachonem & Galilæam erat, eidem attribuit. Quod autem majus his omnibus exiſtimabat Herodes, a Cæſare quidem poſt Agrippam amabatur, ab Agrippa vero poſt Cæſarem. Hinc ad ſummum felicitatis evectus, & ad majorem ſublevatus animum, maximam providentiæ partem obſequio pietatis impendit.

A. M. 3934. A.C.N. 30.

Herodis regno Auguſtus Cæſar finium partem addit.

Herodem Auguſtus Syriæ procuratorem conſtituit.

A. M. 3947. A.C.N. 17.

## CAPUT XVI.

*De urbibus & ædificiis inſtauratis & conditis ab Herode, deque munificentia, qua uſus eſt erga exteras gentes, ejusque felicitate.*

Ant. lib. 15. c. 10. 12. 13. 14.

ITaque anno regni ſui quintodecimo, & templum inſtauravit, & duplum terræ ſpatium quam fuerit circa templum, muro amplexus eſt, ingenti ſumptu & magnificentia ſingulari. Argumento erant in ambitu fani magnæ porticus, eique junctum a ſeptentrione caſtellum. Et illas quidem a fundamentis erexit. Hoc autem nulla re minus, quam regni ſedes largis opibus renovatum, Antoniam vocavit in honorem Antonii. Quin etiam domo ſibi regia in ſuperiori parte civitatis exſtructa, duas ædes in ea maximas atque pulcherrimas, quibus ne templum quidem usquam conferri poſſet, ædificavit: easque amicorum vocabulis unam Cæſaream, Agrippium alteram nominavit. Nec vero ſolis tectis memoriam eorum & cognomina circumſcripſit, ſed in totas etiam civitates ſtudium liberalitatis extendit. Nam in Samaritica regione oppidum muro pulcherrimo per viginti ſtadia circumdatum, Sebaſten appellavit, deductis eo ſex millibus colonorum, terraque fœcundiſſima his attributa: ubi templum quoque maximum inter ædificia, & circum id aream trium & ſemis ſtadiorum Cæſari dedicavit, ejusdemque oppidi habitatoribus præcipua legum beneficia præſtitit. Ob hæc alterius terræ adjectione donatus a Cæſare, aliud ei templum circa Jordanis fontem candido marmore poſuit, qui locus appellatur Panium. Ubi montis quidam vertex in præcelſum editus, propter ſubjecti

Ædificia ab Herode condita.

Fons Jordanis.

cti lateris vallem ſpecus aperit umbroſum, qua profundæ altitudinis rupes, ad immenſum liquentis guttæ receptaculum concavatur, ut ſtagnantis aquæ copia demittentibus aliquid, donec terram inveniant, longitudo nulla ſufficiat. Foris autem e ſpeluncæ radicibus oriuntur fontes: & (ut quidam putant) hoc eſt Jordanis principium. Sed veri fidem in poſterioribus indicabimus. Quin & apud Hierichunta, inter caſtellum Cyprum & priores domos regias, meliores alias, & quæ commodiorem uſum præberent advenientibus fabricatas, eorundem amicorum nominibus vocitavit. Prorſus non eſt idoneus regni locus, quem honore Cæſaris nudum reliquerit. Poſtea vero quam fines ſuos templis replevit, in provinciam quoque honores ejus effudit, & in multis civitatibus templa, quæ Cæſaria vocantur, conſtituit. Cum autem inter maritimas civitates vidiſſet unam vetuſtate jam feſſam, quæ Stratonos pyrgos vocabatur, & pro loci natura munificentiæ ſuæ capacem, totam eam candido ſaxo reparatam, clariſſima regia decoravit, & in ea maxime innatam ſibi animi magnitudinem demonſtravit. Nam inter Doram & Joppen, quarum media civitas ſita eſt, omnis ora maritima adeo fuit importuoſa, ut omnes qui ad Ægyptum ex Phœnice navigarent, in ſalo fluctuare cogerentur, minas Africi metuentes: cujus etiam mediocris aura, tantas undarum moles ad ſcopulos erigit, ut remeante æſtu gurgitis, per aliquantum ſpatium maris feritas augeatur. Sed Rex liberalitate ac ſumptibus devicta natura, Piræo majorem portum fabricavit, & in ejus penetralibus alias navibus ſtationes fecit altiſſimas. Et quanquam totus

A. M. 3947. A.C.N. 17.

Herodes Piræo majorem portum fabricat.

A. M. 3947. A.C.N. 17. ei locus adverſabatur, tamen ita cum difficultate certavit, ut firmitas quidem ſtructuræ nequaquam mari cederet: pulchritudo vero tanta eſſet, quaſi nulla res ardua præpediſſet ornatum. Metitus enim quantum diximus portui ſpatium, per viginti ulnas in fundum ſaxa demiſit, quorum pleraque pedum quinquaginta longitudinis, & altitudinis novem, & latitudinis decem, nonnulla vero etiam majora fuerunt. Expleto autem ſpatio quod unda celabat, in ducentos pedes murum dilatavit. Ex quibus centum repellendis erant fluctibus ante conſtructi, unde etiam procymia dicebantur: cæteri autem ſaxeo, portus quo cingitur, muro ſubjecti ſunt, magnis turribus interpoſitis, quarum maxima atque pulcherrima ex nepote Cæſaris Druſium cognominata eſt. Crebri autem fornices ad deducenda, quæ portus haberet: proque fornicibus, & circum eos crepido ſaxea, & lata, quæ naves egredientes exciperet, deambulatio. Aditus autem ſeptentrionalis erat. Ventorum enim pro ſitu loci placidiſſimus eſt boreas. Ad oſtium vero coloſſi tres, utrinque fulti columnis: quarum a læva quidem intrantibus ſtantes ſolida turris ſuſtinet: dextra vero duo proceri lapides juncti, & partis adverſæ turris magnitudinem ſuperantes. Domus autem portui connexæ, candido item lapide: parique menſura ſpatiorum, civitatis viæ tendentes in portum. Contra oſtium vero portus, in colle, Cæſaris templum magnitudine ſimul & pulchritudine præcipuum: in eoque Cæſaris coloſſus non minor quam Jovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus eſt, Romano autem par, & Junoni, quæ Argis eſt. Oppidum autem provinciæ dedicavit, rebusque

Dilucida deſcriptio portus.

ad-

advectitiis portum, Cæsari vero conditoris honorem, unde civitati nomen Cæsareæ imposuit. Quin etiam & cætera opera, forum, theatrum, amphitheatrum, digna vocabulo collocavit: & quinquennali certamine instituto, nomen ei Cæsaris donavit. Primusque ipse in centesima nonagesima & secunda Olympiade maxima præmia proposuit: ut non solum victores, sed & proximi & tertii successores eorum regalibus divitiis potirentur. Anthedona quoque renovatam, quam *bella subverterant*, Agrippium vocavit: nimiaque benevolentia, nomen amici etiam portæ inscripsit, quam ipse in templo ædificavit. Sed nec parentes suos ita quisquam dilexit: nam & patris monumentum optimo regni campo civitatem condidit, fluminum arborumque ditissimam, *eamque* Antipatridem nuncupavit. Et super Hierichunta castellum natura tutum, & pulchritudine præcipuum, muro cinxit, atque in honorem matris Cyprum vocavit. Fratrique Phasaelo turrim cognomine Phasaelidem Hierosolymis ædificavit, cujus ambitus & in magnitudine liberalitas postea declarabitur. Aliamque civitatem in regione, quæ a Hierichunte in boream tenditur, Phasaelum nominavit. Cognatis autem & amicis æternæ gloriæ traditis, ne sui quidem fuit immemor, sed castellum contra montem Arabici lateris propugnaculo permunitum, de suo nomine Herodium vocavit: tumulumque in mammæ formam manufactum, qui stadiorum sexaginta spatio ab Hierosolymis aberat, similiter nominatum, munificentius accuravit. Etenim rotundis quidem turribus cacumen ejus amplexus est. Ambitum autem complevit ædibus regiis liberalissime exornatis: ut

A. M. 3947. A.C.N. 17.

Cæsarea Stratonis turris antea dicta, ab Herode condita. Ant. lib. 15. c 10. 12 & lib. 17. cap. 5.

Agrippium.

Antipatris

Cyprus.

Phasaeli turris.

Phasaeli civitas

Herodium

non

A. M. 3947. A.C.N. 17. non ſolum interna membrorum facies clarior eſſet, verum etiam foris parietes ac maceriæ tectaque largis infuſa divitiis elucerent. Aquam etiam plurimam ingenti ſumptu ex longo intervallo induxit, perque ducentos gradus marmoris candidiſſimi fabricavit aſcenſum. Erat enim totus collis manu factus, & vehementer excelſus. Quin & aliam circa radices ejus regiam, ac diverſoria, quæ & ſarcinas & amicos recipere poſſent, ædificavit: ut pro rerum quidem omnium copia civitas eſſe videretur caſtellum: circumſcriptione vero, domus regalis. Tantis autem conſtructis ædificiis, animi ſui magnitudinem in plurimis etiam externis civitatibus demonſtravit. Namque apud Tripolim & Damaſcum & Ptolemaidem, publicas balneas, quæ gymnaſia dicunt: Bibli autem murum, exedras vero & porticus, foraque & templa Beriti ac Tyri: necnon & apud Sidonem, & Damaſcum theatra condidit. Maritimis autem Laodicenſibus aquæ ductum: apud Aſcalona vero Nymphea ſive lacus ornatiſſimos, & balneas, item periſtylia, tam opere quam magnitudine miranda conſtituit. Sunt, quibus etiam lucos portusque præſtitit. Multæ civitates ab eo, tanquam regni ſociæ agris quoque donatæ ſunt. Ad exhibitionem vero thermarum aliis reditus annuos ac perpetuos delegavit, quemadmodum Cois, ne quando beneficii gratia deficeret. Ad hæc frumenta cunctis miniſtravit egentibus, & Rhodiis ad inſtruendam claſſem pecunias ſæpe, multisque in locis præbuit, incenſumque Pythyum in meliorem formam reparavit ſumptibus ſuis. Quid dicam ejus in Lycios aut Samios liberalitatem, perque omnem Ioniam, eorum, quæ

Herodium caſtellum, pro rerum omnium copia civitas eſſe videbatur.

Herodis beneficentia & liberalitas in cunctos.

quæ deſideraſſet quisque, largitiones? Nonne etiam Athenienſes & Lacedæmonii, & Nicopolitani: & in Myſia Pergamus Herodis ſunt plena donariis? Nonne Antiochenſium Syriæ plateam, cum plena cœni ab omnibus vitaretur, per viginti ſtadia prolixam, ſtravit polito marmore: declinandisque imbribus, quam longa eſſet porticibus ornavit? Sed hæc quidem propria quis dixerit illorum, *quibus* ea detulit, populorum? *Quod autem Elidenſibus* præſtitit, non ſolum Achaiæ commune, ſed etiam totius orbis terræ munus videtur, per quem Olympiaci certaminis gloria diffunditur. Nam cum hoc deficere ſumptuum videret inopia, quodque ſolum ex veteri Græcia reſtabat collabi, non ſolum agonotheta ipſe factus eſt, eo luſtro, quod cum Romam *navigaret*, offendit: ſed etiam perpetuos pecuniarum reditus inſtituit, ut nunquam ejus memoria agonothetæ munere fungi deſineret. Inextricabile opus fuerit, debitorum ſive tributorum remiſſiones exponere, ſicut Phaſaelitas & Balaneotas, aliaque *circa* Ciliciam municipia levavit annuis penſionibus: licet multum ejus animi magnitudinem timor fregerit, ne quam pateretur invidiam: velut majus aliquid aucuparetur, ſi beneficiis amplioribus afficeret civitates, quam qui eas haberent. Quin & corpore uſus eſt, quod animo conveniret. Cumque ſummus venator eſſet, in hoc tamen ipſo, equitandi peritia quæ cuperet aſſequebatur. Denique uno die quondam quadraginta feras ſubegit. Eſt autem aprorum altrix illa regio, ſed magis cervis & onagris frequentatur, Bellator autem erat, qui ſuſtineri non poſſet. Itaque multos etiam in exercitatione terrebat: quibus

A. M. 3954. A.C.N. 10.

Herodes per univerſum terrarum orbem clarescit.

Herodes venator ſummus.

A. M. 3954. A.C.N. 10. & torquendo jaculo directissimus, & sagittarum librator videbatur egregius. Præter animi autem corporisque virtutem, fortuna quoque secunda usus est. Raro enim contra votum ejus, belli cessit eventus: & si quando id accidit, non ipsius culpa, sed aut proditione quorundam, aut temeritate militum factum est.

Herodes præter animi corporisq; virtutem fortuna quoque secunda usus est.

## CAPUT XVII.

### *De dissidio Herodis cum filiis Alexandro & Aristobulo.*

Ant. l. 15. cap. 3. §. 9. & lib. 16. cap. 13.

AT vero publicam ei felicitatem mœrores invidere domestici, & adversi casus ex muliere cœperunt, quam maxime diligebat. Nam quia Regis meruit potestatem, repudiata, quam prius acceperat uxorem ex Hierosolymis genus ducentem, quæ Doris vocabatur, Mariammen sibi conjunxit, Alexandri filiam Aristobuli filii: unde domus ejus in discordiam venit, & antea quidem, maxime vero postquam Roma regressus est. Nam primum Antipatrum ex Doride filium, eorum causa, quos e Mariamme susceperat, expulit civitate: solis festis diebus eo commeandi facultate concessa. Deinde autem conjugis avum Hyrcanum, ex Parthis ad se reversum, propter insidiarum suspicionem peremit: quem captum quidem, occupata Syria, Barzapharnes abduxerat: miserati vero gentiles liberaverant, qui ultra Euphratem colebant. Et si monitis eorum paruisset, ne ad Herodem transiret, non interisset. Verum mortis ejus illecebra, fuit neptis matrimonium: hoc enim fretus, multoque amplius patriam desiderans, venit. Herodem autem commovit, non quod regnum

Herodes Antipatrum filium expellit civitate ac Hyrcanum avum conjugis interficit.

affe-

affectaret, sed quod ipsi jure deberetur. Quinque autem filiorum, quos ex Mariamme susceperat, duæ fœminæ, cæteri mares erant: horumque minimo Romæ in studiis mortuo, duos majores natu, & propter matris nobilitatem, & quod jam regnanti sibi fuissent geniti, regie producebat. Sed enim fortior amor his Mariammes suffragabatur: qui in dies singulos proficiens, adeo succendebat Herodem, ut eorum nihil sentiret, quæ propter dilectam sibi dolerent. *Tantum* namque in eum Mariammes erat odium, quantum ipse illam amabat. Habens igitur ex rebus quidem ipsis inimicitiarum probabiles causas, ex amore vero fiduciam, in os ei, quæ Hyrcano avo suo feciſſet, objiciebat, quæque in fratrem Aristobulum egisset. Nec enim *vel huic, quanquam* puer erat, parcebat: quem Pontificem in decimo septimo ætatis anno creatum, post honorem statim occidit. Atque ille quidem cum sacra veste amictus ad aram accessisset festo die, populus omnis illachrymavit: & tamen noctu missus in Hierichunta, ibi sicut mandatum fuerat, laco submersus a Gallis interiit. Hæc igitur Herodi Mariamme probro dabat, sororemque ejus & matrem maledictis atrocioribus dehonestabat. Sed ille quidem amore *mutus erat.* Gravi autem indignatione mulieres sæviebant: & quo maxime commoveretur Herodes, insimulabant eam adulterii: præter alia multa, quæ verisimilia fingerentur, hæc accusantes, quod in Ægyptum imaginem suam *misisset* Antonio: proque immoderata libidine, absentem se properasset ostendere viro mulierum cupidine insanienti, & qui vim posset inferre. Id veluti fulmen aliquod emissum pertur-

A. M. 3954. A.C.N. 10.

Herodis ex Mariamme liberi susceptι.

Mariamme ex odio Herodi quæ Hyrcano avo fecerat, objicit.

Falsa matris ac sororis Herodis adversus Mariammen accusatio.

A. M. 3954. A.C.N. 10. bavit Herodem, maxime quidem amoris causâ zelotypia ſuccenſum, deinde etiam cogitante Cleopatræ ſævitiam, cujus gratia & Lyſanias Rex, & Malichus Arabs erant perempti. Non enim conjugis amiſſione, ſed morte ſua periculum metiebatur. Itaque profecturus Joſepho Salomes ſororis ſuæ viro, quem fidum habebat, & pro affinitate benevolum, commendabat uxorem: mandato ei clam, ut eam interficeret, ſi etiam ſe occidiſſet Antonius. Verum Joſephus non maligne, ſed Regis amorem mulieri cupiens demonſtrare, quod ab ea nec mortuus pateretur divelli, decretum ei ſermonem aperit. Et illa reverſo Herode, multaque inter fabulas de affectu jurante, quodque nunquam eſſet alterius mulieris amore captus: valde, inquit, amor erga nos tuus mandatis Joſepho comprobatus eſt, quibus, ut me occideret, præcepiſti. His auditis, quæ occulta credebat, amens erat Herodes illico, nec unquam Joſephum mandata ſua prodituram fuiſſe ratus, niſi eam corrupiſſet, præ dolore inſaniebat. Cumque ſtratis exiluiſſet, in regia ſpatiatur: ibique tunc Salome ſoror ejus arrepto tempore criminandi, ſuſpicionem de Joſepho confirmavit. Unde Herodes immoderata zelotypia furens confeſtim utrumque juſſit interfici. Deinde pœnitudo ſequebatur inſaniam: & poſtquam iracundia concidit, amor iterum caleſcebat. Tanta vis autem cupidinis erat, ut ne mortuam quidem putaret eam, ſed præ ægritudine tanquam vivam alloqueretur: donec proceſſu temporis funere cognito, mœroris magnitudine eum, quo ſuperſtitem dilexerat, æquavit affectum. Maternæ autem iracundiæ ſuccedunt filii, & immanitatem ſceleris reputantes, non aliter ſuſpectum

Herodes Joſepho ut uxorem interficiat, etiam mandat.

Herodis de Mariamme ac Joſepho ſuſpicio.

Mariammen & Joſephum Herodes interfici jubet.

Iracundiæ maternæ filii ſuccedunt.

ctum patrem, quam si hostis esset, habebant: id- A. M.
que & antea, quamdiu Romæ in studiis erant, 3956.
& multo magis postquam in Judæam reversi sunt. A.C.N.
Siquidem cum ætatibus eorum, mentium quo- 8.
que roborabatur affectio. Jam vero maturi con-
jugio, unus amitæ suæ Salomes, quæ matrem
amborum accusaverat, filiam duxit: alter Arche-
lai Cappadocum Regis. Unde accessit etiam li-
bertas odio, & occasiones ex eorum confidentia
delatoribus collatæ sunt. Itaque apertius qui-
dam cum Rege colloquebantur, quod ei per u-
trumque filium struerentur insidiæ: & alter qui-
dem ultrices materni exitii simul cum fratre ar-
maret manus: alter vero, hoc est Archelai ge- Inimicitiæ Herodis cum liberis ex Mariamme susceptis.
ner, socero fretus etiam fugam pararet, ipsum
apud Cæsarem accusaturus Herodem. His igi-
tur criminationibus repletus Herodes, veluti
propugnaculo sibi futurum adversus filios, addu- Ant. l. 16. cap. 4.
cit Antipatrum ex Doride susceptum: hisque
illum præponere modis omnibus cœpit. Qui
cum hanc mutationem tolerabilem non puta-
rent, ac privata matre editum proficientem vi-
derent, indignationem cohibere pro sua nobili-
tate non poterant: sed in singulis quibus offen-
derentur, iram prodebant. Et illi quidem in
dies singulos magis magisque negligebantur. An-
tipater autem etiam sui causa favorabilis erat: Antipater excl sis reliquis fratribus, patri. successor declaratur.
nam & patri blandiri callide noverat, & varias
in fratres suos calumnias conferebat, quædam
ipse dictitans, amicos vero suos ad alia divulgan-
da submittens, donec omnino spem regni absci-
dit fratribus suis. In testamento enim ipse aper-
te quoque jam successor fuerat declaratus. De-
nique tanquam Rex etiam ad Cæsarem missus est,
cultuque regio & cæteris obsequiis præter dia-

A. M. 3956 A.C.N. 8. dema utebatur. Tempore autem valuit etiam ſuam matrem in cubile Mariammes inducere: duobusque armorum generibus in fratres uſus, blanditiis & calumniis, Regi obrepſit, ut etiam de filiorum morte cogitaret. Quapropter Alexandrum quidem ſecum Romam pater abſtractum, veneni ſibi dati reum apud Cæſarem poſtulavit. Ille autem vix deplorandi copiam nactus, & licet apud imperitiſſimum judicem, tamen Herode & Antipatro prudentiorem, delicta quidem patris verecunde ſuppreſſit: in ſe vero delata crimina fortiter diluit: periculorumque ſocio fratre purgato, mox de Antipatri calliditate, & de ſuis injuriis quæſtus eſt: cum præter innocentiæ conſcientiam eloquentia juvaretur: erat enim acerrimus in dicendo. Poſtremo prolocutus, quod eos pater libenter occideret, crimen illi objecit, & lachrymas quidem cunctis excuſſit: verum Cæſarem ſic affecit, ut eorum accuſationibus ſpretis, Herodem ſtatim revocaret in gratiam. Hac autem lege reconciliatio facta eſt, ut adoleſcentes quidem patri in omnibus obedirent, ille autem relinqueret regnum, cui vellet. Poſtea Rex Roma reverſus, licet ſolviſſe criminibus filios videretur, nondum tamen erat ſuſpicionibus liberatus: quoniam argumentum odii ſequebatur Antipater, etſi verecundia reconciliatoris palam proferre inimicitias non auderet. Cum autem Ciliciam præternavigans Elæuſam delatus eſſet, ſuſcepit eum benigniſſime Archelaus, pro ſalute generi gratiam referens, & redintegratæ concordiæ cauſa lætus: quippe nihil moratus amicis Romæ ſcripſerat, ut in cauſa dicenda ſuffragaretur Alexandro: & uſque ad Zephyrium deduxit talentis triginta donatum.

Alexandrū Herodes apud Cæſarem accuſat.

Reconciliatio inter Herodem & filios facta.

Herodem generum Archelaus benigniſſime ſuſcepit.

Po-

Poſtea vero quam Hieroſolymam pervenit Herodes, populo convocato, tribusque filiis prope adſtantibus cauſam reddit profectionis: multasque Deo gratias agit, multas etiam Cæſari, qui domus ſuæ perturbationem ſedaſſet: & quod regno majus eſſet, concordiam filiis præſtitiſſet, quam ego, inquit, arctius copulabo. Nam ille quidem me regni dominum & ſucceſſorum judicem conſtituit. *Ego* autem cum mea commoditate *illi gratias* refero, tresque filios meos Reges deſigno, hujusque ſententiæ meæ ſocium primum Deum fieri precor, deinde vos. Namque huic ætas, illis nobilitas ſucceſſionem regni conciliat, & quidem magnitudo ejus etiam pluribus ſufficit. Quos autem Cæſar junxit, & pater inſtituit obſervate: non injuſtis eos, neque diſparibus, *ſed meritis* colentes honoribus. Nec enim tanta quis afficiet eum lætitia, cui præter ætatem obſequitur, quantum ei, quem deſpiciet, doloris infliget. Quos autem ſingulis conjunctos eſſe oporteat propinquos atque amicos, ego diſtribuam, & concordiæ ſponſores illos conſtituam: pro certo ſciens, ſeditionum, contentionumque cauſas ex contubernalium naſci malitia: hosque, ſi boni fuerint, affectiones tueri. *Rogo autem* ut non ſolum iſti, ſed etiam primates *ordinum* exercitus mei, in me ſolo ſpem habeant in præſentia. Non enim regnum, ſed regni honorem filiis meis trado: & jucunditate quidem quaſi rectores potientur, pondus autem *rerum* tametſi nolim, meum eſt. Conſideret autem quisquis veſtrum ætatem meam, vitæque inſtitutum, necnon etiam pietatem: nam neque ſenex adeo ſum, ut de me cito deſperetur, neque voluptatibus aſſuetus, quæ adoleſcentium quoque

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Splendida Herodes ad populum oratione tribus filiis regni honorem attribuit.

Herodes filiis non regnum, ſed regni honorem tradit.

A. M. 3956. A.C.N. 8. que vitam ſpatio breviore concludunt: Divinitatem vero ita coluimus, ut in longum nos ævum progreſſuros eſſe credamus: quod ſi quis in contemptum meum filiis meis placere maluerit, etiam pro illis mihi ſupplicium dabit. Ego enim, non, quod invideam ex me genitis, honorifice eos haberi veto: ſed quia novi hæc ſtudia adoleſcentibus ferociæ nutrimenta ſuggerere. Itaque ſic cogitent, qui ad eos ſe applicant, bonis quidem apud me paratum eſſe præmium, ſeditioſis vero apud ipſos etiam quibus lenocinabantur, infructuoſam fore malignitatem. Omnes profecto mecum, hoc eſt, cum filiis meis ſentient. Namque ipſis expedit me regnantem, meque his eſſe concordem. Vos autem, o boni filii, ſacram primum retinentes mente naturam, cujus affectiones inter feras beſtias ſalvæ ſunt, deinde Cæſarem, qui nos reduxit in gratiam, meque tertium, qui ea, quæ jubere liceat, rogem, fratres permanete. Jam nunc autem vobis & veſtimenta & obſequia dabo regalia: Deumque oro, ut conſervet judicium meum, ſi concordes eritis. Hæc locutus: ſingulos benigne conſalutavit, populumque dimiſit: alios convenientia dictis ejus optantes: qui vero mutationis erant cupidi, ne audiſſe quidem ſe quicquam ſimulantes. Fratres autem diſſenſio non reliquit, ſed priora ſuſpicantes alius de alio digreſſi ſunt. Namque Alexander & Ariſtobulus ægre ferebant confirmatum eſſe Antipatro meritum, Antipater autem ſuccenſebat vel ſecundo loco fratres haberi. Sed tamen ille pro varietate morum, & reticere ſecreta noverat, & quanto ſibi eſſent odio, multa fraude celabat. His autem pro nobilitate generis, in lingua erat, quicquid veniſſet

Herodes ad filios orationem dereſtit.

Herodes oratione ſua fratrum diſſenſionem radicitus non ſuſtulit.

in

in mentem. Et multi quidem his instigandis operam dabant, plures autem amicorum sese explorandi causa insinuabant. Itaque omne quod dictum esset apud Alexandrum, statim apud Antipatrum erat, & ab Antipatro ad Herodem cum adjectione deferebatur. Nec vel simpliciter aliquid prolocutus, adolescens innoxius habebatur, sed cuncta ejus verba in crimina vertebantur: maximaque *minimis* affingebantur, sicuti liberior *paulo fuisset*. Semper autem, qui eum irritarent, submittebat Antipater, ut mendacia sua veras occasiones haberent: multisque falso vulgatis, unum quid comprobatum fidem omnibus faceret. Sed hujus quidem amicorum quisque aut natura taciturnus erat, aut muneribus parabatur, ne quid occultum expromeret: nec erraſſet *aliquis*, si Antipatri vitam malitiæ dixisset arcanum. Alexandri vero familiares, aut pecunia corruptos, aut impulsos blanditiis, quibus expugnavit omnia, fures ac proditores eorum, quæ contra se dicerentur sive agerentur, effecerat. Cum autem caute universa committeret, astutis etiam criminationibus aditus ad Herodem moliebatur: fratrisque personam gerens aliis delatoribus subornatis utebatur. Si quid in Alexandrum nunciassent favore simulato, *id quod primo* reprehendisset, mox otiose astruendo, Regis iracundiam provocabat: omnia ad insidias referebat, & ut necem patris Alexander optare videretur. Nihil enim majorem fidem calumniis suggerebat, quam si eum purgaret Antipater. His accensus Herodes, quantum in dies singulos de affectu adolescentium detrahebat, tantum adjiciebat Antipatro. In eandem vero partem inclinati sunt etiam, qui regno

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Antipatri in Alexandrum fratrem dolus & insidiæ.

Qua arte Antipater Alexandri fratris amicos corruperit.

Herodem & aulicos Antipater calumniis in fratres inflammat

A. M. 3956. A.C.N. 8. parebant: hi volentes, alii pro imperio, ſicut Ptolemæus amicorum clariſſimus, Regisque fratres, ac tota progenies; omnia namque in Antipatro ſita erant: & quod Alexandro fuit acerbiſſimum, cuncta in eorum perniciem, matris Antipatri conſilio gerebantur. Noverca enim ſævior erat, multoque plus quam privignos oderat, quos Regina mater ediderat. Sed quanquam omnes, ut Antipatro magis obſequerentur, ſpes inducebat: non minus tamen præcepta Regis quemque ab adoleſcentibus ſeparabant: qui chariſſimis edixerat, ne quis ad Ariſtobulum vel ejus fratrem accederet, aut ſe ad eos applicaret. Non ſolum autem regalibus erat formidini, verum etiam externis amicis. Nulli enim Regum tantum poteſtatis Cæſar dederat, ut fugitivos ſuos quamvis ex civitatibus non ſubjectis ei liceret educere. Adoleſcentes autem delata in ſe facinora neſciebant, hisque propterea capiebantur incautius. Nullus enim palam incuſabatur a patre: ſed affectu refrigeſcente paulatim intelligentes, adverſus dolorem aſperius excitabantur. Eodem autem modo etiam Pheroram patruum, & Salomen amitam, contra illos commovit Antipater, aſſidue velut cum uxore ſermocinando, quibus in eos inſtigaretur. Hujus autem inimicitias augebat Alexandri quoque uxor Glaphyra, multa de ſua nobilitate commemorans, cunctarumque ſe, quæ in regno viverent, dominam eſſe dictitans: paternum enim genus a Temeno: maternum autem a Dario Hyſtaſpis filio ducere: multumque ignobilitatem deſpiciens ſororis & uxorum Herodis: quarum quæque propter formam, non propter nobilitatem eſſet electa. Namque multas ei fuiſſe dixi-

Glaphyra uxor Alexandri ſuſpicionem ante conceptam oratione multum auget.

mus

mus uxores: quod liceret Judæis more patrio plures habere, quodque Rex pluribus oblectaretur. Omnibus igitur propter ſuperbiam & contumelias Glaphyræ inviſus erat Alexander. Salomen autem Ariſtobulus, & ſi ſocrus ejus erat, inimicam ſibi reddidit, & ante quidem propter maledicta Glaphyræ ſævientem: frequenter enim humilitatem generis objiciebat uxori: quodque ipſe privatam, Reginam vero frater ſuus duxiſſet *Alexander*. Hoc Salomes filia cum fletu *matri nuntiavit*. Addebat autem, quod aliorum quoque fratrum matres idem Alexander & Ariſtobulus, ſi regnum obtinuiſſent, textrices cum ancillis facere minitarentur, ipſos quoque vicorum ſcribas, ſcilicet irridentes, quod literarum ſtudiis operam darent. His commota Salome, quod *iracundiam* cohibere non poſſet, Herodi cuncta indicavit. Satis autem idonea videbatur contra generum dicens. Et præter hæc alia quædam criminatio divulgata eſt, quæ ſuccendit animum Regis. Audiunt enim Alexandrum & Ariſtobulum crebro matrem implorare, caſumque ejus cum gemitu atque imprecationibus conqueri: ac ſæpe illo quædam ex Mariammes veſtimentis poſterioribus dividente conjugibus, *minitari* ſolitos eſſe, quod cito pro regalibus *deliciis nigris veſtibus* induerentur. His de cauſis Herodes, licet conſtantem animum adoleſcentium formidaret, tamen ne ſpem correptionis abſcinderet, ad ſe eos vocavit: Romam enim navigaturus erat: & quaſi Rex pauca interminatus, pluribus quaſi pater monuit: rogavitque, ut fratres diligerent, promiſſa priorum peccatorum venia, ſi poſt hæc meliores fierent. Illi autem criminationum invidiam deprecando, ſi-

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Ariſtobulus uxori humilitatem generis objicit.

Ant. l. 16. cap. 7.

Alexander & Ariſtobulus crebro matrem implorant, id quod Herodis animum ſuccendit.

Apud Herodem parentē duo fratres ſeſe excuſant.

A. M. 3956. A. C. N. 8. ctas eas esse dicebant, purgationisque suæ fidem rebus ipsis posse constare: verum ipsum quoque debere, omissa facilitate credendi, aditum maledictis obstruere: nunquam enim calumniatores defore, dum cui persuadeatur, extabit. Cum his eum mature placavissent, ut patrem, præsenti metu rejecto, de futuris mœrere cœperunt. Etenim cognovere Salomen sibi esse infensam, & patruum: uterque autem sævi & graves erant: sed amplius Pheroras, qui totius quidem regni præter diadema socius esset: proprios autem reditus haberet centum talentorum, totiusque trans Jordanem terræ fructus ipse caperet, a fratre sibi dono datæ. Quin etiam Tetracham eum fieri beneficio Cæsaris, idem Herodes impetraverat: regalique conjugio dignatus erat, sorore uxoris suæ nuptum ei collocata. Et post illius mortem, desponderat ei filiarum suarum maximam, trecentis talentis in dotem datis. Sed regale matrimonium Pheroras, ancillæ amore captus, refugerat. Quam ob rem iratus Herodes, filiam nuptum dedit fratris filio, qui post a Parthis occisus est. Mox autem morbo Pheroræ venia data, indignationem remisit. De hoc autem erat vetus opinio, quod etiam viva Regina Herodem opprimere voluisset veneno. Sed tunc plurimis delatoribus aditus erat, ut quamvis amantissimus fratris esset Herodes, fide tamen eorum, quæ audisset, adduceretur ad metum. Itaque de multis, qui suspecti erant, habita quæstione, postremo ad Pheroræ amicos venit, quorum nulla quidem fuit de maleficiis aperta confessio, sed quod cum amica subrepta in Parthos cogitasset effugere, prodiderunt: hujus autem consilii & fugæ conscium esse Aristobu-

bulum Salomes maritum: cui Rex eam tradidit, A. M. poſtquam ſuperior adulterii cauſa peremptus 3956. eſt. Sed nec Salome criminatione libera manſe- A.C.N. rat: nam & hanc frater Pheroras accuſabat, quod 8. cum Syllæo procuratore Obodæ Regis Arabum de nuptiis conſtituiſſet, quem inimiciſſimum Herodes habebat. Convicta autem & in hoc, & in omnibus quæ Pheroras detulerat, indulgentiam meruit: itaque ipſum etiam Rex Pheroram criminibus ſolvit. Domus vero tempeſtas in Alexandrum tranſiit, totaque capiti ejus incubuit. Tres erant eunuchi Regis chariſſimi, & ex genere famulatus neminem id latebat. Uni enim vinum miniſtrare fuit cura, alteri cœnam apponere, tertius autem dormitum eum collocabat, & cum ipſo cubabat: hos muneribus maximis Alexander cupiditati ſuæ ſubjecerat. Ita- Alexander Herodi parenti Eunuchos corrumpit & quod regni ſit futurus ſucceſſor, prædicat. que poſtquam Regi hæc ſunt indicata, vi tormentorum coacti, & ſtuprum ſtatim confeſſi ſunt, & quibus eſſent ad hoc promiſſis inducti, aperuerunt: quomodo eos fefelliſſet Alexander, nullam in Herode ſpem habendam eſſe, improbo ſene, commemorans, & qui capillos inficeret, ut ob hoc etiam eum juvenem putarent: verum ſe coli oportere, qui etiam invito eo regni eſſet futurus ſucceſſor: neque multo poſt ab inimicis pœnas repeteret, fortunatosque amicos ſuos beatosque faceret, ac præ cæteris ipſos. Quin & obſequia potentium Alexandro clam parere, militumque rectores, itemque ordinum principes occulte ad eum convenire dixerunt. Hæc Herodes adeo pertimuit, ut non auderet ſtatim delata proferre: ſed exploratores die noctuque ſubmittens, dicta factaque ſingula ſcrutabatur: & de quibus ſuſpicio eſſet, illico trucidabat. Ita-

A. M. 3956. A.C.N. 8. que regnum ejus acerbiſſima iniquitate repletum eſt. Nam pro ſuo quisque odio vel inimicitiis, calumnias finxere, multique Regis iracundia cædis cupida contra adverſarios abutebantur: & mendacio quidem confeſtim fides habebatur: erant autem criminationibus ipſis velociora ſupplicia. Denique accuſabatur, qui modo accuſaverat: & cum eo, qui ante ſe convictus eſſet, ducebatur ad pœnam. De vita namque periculum Regis quæſtiones breviore compendio terminabat. Ad hoc autem ſævitiæ proceſſerat, ut nec eorum quemquam humanius aſpiceret, qui accuſati non eſſent: verum etiam amicis immitiſſimum ſeſe præberet. Itaque multis etiam regno interdixit, & in quos poteſtatem non habebat, in eos dictis aſperis ſæviebat. Acceſſit malis Antipater, collectaque propinquorum caterva, nullum criminationis genus omiſit. Tantus autem ineptia ſua Regem commentisque delatorum timor invaſit, ut ſtricto inſtare ſibigladio videretur videre Alexandrum. Denique ſubito & ipſum correptum in vincula conjecit, & in amicorum ejus tormenta perrexit: multi autem tacite moriebantur, nulla voce ſupra conſcientiam prodita: alii vero quibus mendacium impatientia doloris extorſit, de patris eum inſidiis cum fratre Ariſtobulo cogitaſſe dixerunt: tempusque obſervare, ut illo, dum venaretur, occiſo, Romam profugerent. His tametſi veriſimilia non erant, ſed neceſſitate cruciatus ex tempore fingebantur, libenti tamen animo Rex credebat, pro conſolatione accipiens vincti filii, ne id feciſſe videretur injuſte. Verum Alexander quoniam ſuſpicionem patris nullo modo aboleri poſſe arbitrabatur, ultro malis aſſentiendum

Alexandrum filium Herodes timet.

Ant. l. 17. cap. 8.

Herodis Sævitia.

Herodes Alexandrum in vincula conjicit, & in amicorum ejus tormenta pergit.

dum putavit: ac digestis adversus inimicos quatuor libris, fatetur insidias, earumque se plurimos socios habere perscribit: ante omnes autem Pheroram & Salomen. Hanc enim etiam stupro sibi quondam esse mixtam, cum vim noctu adhibuisset invito. Jamque libri in manibus erant Herodis: multa & gravia de optimatibus clamantes, cum mature in Judæam Archelaus venit, metuens genero simul ac filiæ, quibus etiam providentissimo consilio succurrit, Regisque minas arte dissolvit. Mox enim cum eo congressus, ubinam est, clamat, exitiabilis gener meus? aut ubi paricidale caput aspiciam, quod meis manibus ipse lacerabo: addamque filiam meam bono marito novo? nam etsi consilii particeps non est, quia tamen ejusmodi viri conjux *fuit*, *inquinata* est. Miror autem patientiam tuam, cujus periculum agitur, quod adhuc vivit Alexander: ego namque ita ex Cappadocia properans veniebam, ut qui & illum reperirem olim dedisse supplicium, & de filia quæstionem tecum haberem, quam tui tuæque dignitatis contemplatione illi desponderam. At nunc de utroque nobis consulendum est: licet nimium pater sis, & ad puniendum insidiatorem *filium* minus fortis. Permutemus dexteras, & *alterius iracundiæ* vicarii succedamus. Talibus increpans, quamvis pertinacem fallit Herodem. Itaque ille quos Alexander perscripserat libros, legendos ei præbet, singulisque capitulis insistens, cum eo deliberabat. Unde occasionem sui consilii nactus Archelaus, paulatim causam in eos, qui scriptis continebantur, & in Pheroram contulit. Cum autem sibi credere Regem videret, considerandum est, inquit, ne forte ado-

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Alexander in vinculis quatuor libros adversus inimicos conscribit.

Archelaus Rex Cappadociæ, in Judæam ad Alexandrum generum venit. Ant. l. 16. cap. 8. 9.

Archelaus & Herodes de libris Alexandri deliberant

A. M. 3956. A.C.N. 8. adoleſcentulus tot nequiſſimorum inſidiis circumveniatur, non tu ab adoleſcentulo: nec enim apparere cauſam, cur in tantum ruerit ſcelus, qui & nunc regno potiretur, & ſucceſſionem regni ſperaret, niſi aliquos haberet hujus perſuaſionis autores, qui ad deteriorem partem lubricum ætatis impellerent. Ab ejusmodi namque hominibus non ſolum adoleſcentulos falli, verumetiam ſenes, domosque clariſſimas totaque regna ſolere ſubverti. Conſentiebat dictis Herodes, iramque paulatim remittebat in Alexandro, & in Pheroram excitabatur: namque hic erat librorum quatuor argumentum. Qui ubi propenſiorem eſſe Regis animum ſenſit, & in omnibus apud eum amicitiam Arthelai prævalere, quam honeſte non poſſet, ex impudentia ſalutem quæſivit: relictoque Alexandro, confugit ad Archelaum. Et ille negat ſe videre, quo pacto eximat tot criminibus involutum, quibus manifeſte convinceretur Regem inſidiis voluiſſe decipere, omniumque malorum præſentium adoleſcenti cauſa fuiſſe: niſi malit omiſſis artibus callidis, & negandi pertinacia, de quibus inſimularetur omnia confiteri, & a fratre, præſertim cui dilectus eſſet, veniam petere: namque ad hoc ei modis omnibus ſe quoque opem laturum. Paruit Archelao Pheroras, atraque veſte, cum lachrymis ut quam miſerabilis appareret, inſtructus, ad pedes Herodis acceſſit: veniamque meruit poſtulans. Et ſe quidem ſceleratum eſſe fatebatur: namque omnia quæ ſibi objicerentur feciſſe: horum autem cauſam eſſe diminutionem mentis atque inſaniam, ex mulieris amore conceptam. Itaque poſtquam ſtetit Pheroras ſuimet ipſe accuſator ac teſtis, tunc eum jam Arche-

Herodes in Pheroram fratrem excitatur.

Pheroras atra veſte inſtructus cum lachrymis ad pedes Herodis accedit & veniam petit.

chelaus excuſando, Herodis iracundiam mitigabat, propriis uſus exemplis: etenim ſe quoque a fratre multo graviora perpeſſum, naturale jus dicebat antepoſuiſſe vindictæ. Quippe in regnis, velut in magnis corporibus, ſemper aliquam partem pondere ipſo tumeſcere: quam reſcidi quidem non oportere, leniter vero curari. Multa in hunc modum locutus Archelaus, Herodem quidem Pheroræ placidum reddidit: ipſe autem Alexandro tamdiu manebat iratus, filiamque ab eo diſtractam ſecum abducturum ſe ajebat, donec Herodem compulit ultro pro adoleſcentulo deprecari, ut iterum ei filiam deſponderet. Satis autem gravatim Archelaus, cui vellet eam, præter Alexandrum, collocari permiſit: maximi enim pendere, quo jura inter ſe affinitatis inviolata permaneant. Rege autem ſibi filium ab eo donatum affirmante, niſi matrimonium diremiſſet, quod & liberos jam haberent, uxor quoque ab adoleſcente diligeretur: quæ ſi remaneret, peccatorum foret oblivio: ſi vero diſcederet, cauſa de omnibus deſperandi: molliorem namque fieri audaciam, ſi domeſticis affectionibus diſtrahatur: vix tandem ceſſit, unaque & ipſe rediit cum adoleſcente in gratiam, & patrem ejus reduxit. Procul dubio tamen eum Romam mitti debere ait, cum Cæſare collocuturum: de omnibus enim ſeſe literas ad eum feciſſe. Vafrum igitur Archelai conſilium, quo generum periculo liberavit, peractum erat, & redintegrata concordia in epulis & humanitate convictus familiariter verſabantur. Abeuntem autem muneribus talentorum ſeptuaginta, ſolio quoque aureo gemmis ornato, & eunuchis, & concubina donat Herodes, quæ Pannychis vocabatur: itemque

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Pherores, mediante Archelao Herodis iracundiam mitigat.

Archelaus Herodem ultro pro Alexandro deprecari compellit.

Archelaum & cognatos precioſiſſimis muneribus donat Herodes.

A. M. 3956. A.C.N. 8. Ant. l. 16. cap. 11.

que amicorum ejus quemque pro merito. Quin & cognati Regis omnes, juſſu ejus Archelao dona ſplendidiſſima dederunt: eumque tam ipſe, quam optimates Antiochiam usque proſecuti ſunt. Non multo poſt quidam in Judæam venit, Archelai conſiliis multo potentior: qui non ſolum reconciliationem gratiæ Alexandro quæſitam fecit irritam: verumetiam cauſa fuit, ut periret. Lacon erat genere, nomine Eurycles, ad regni deſiderium amore pecuniæ corruptus. Jam enim luxum ejus regia tolerare non poterat. Is ampliſſimis donis Herodi oblatis, velut eorum, quæ aucuparetur, illecebra, cum ſtatim multiplicata recepiſſet, immaculatam liberalitatem nihil eſſe ducebat, niſi Regum ſanguine comparaſſet. Itaque Regem adulatione falſisque de ipſo laudibus, & ſermonis calliditate circumvenit: matureque perſpecto ejus ingenio, dictis ſimul & factis, quæ illi placerent, inter primos ejus amicos habetur. Nam & Rex & omnes ejus comites libenter civem Spartæ patriæ cauſa, præcipuo dignum honore ducebant. Ille autem poſtquam fragilitatem domus animadvertit, fratrumque inimicitias, & quemadmodum pater in ſingulos eſſet animatus, Antipatri quidem hoſpitio præventus erat. Simulata vero amicitia fallebat Alexandrum, olim ſe & Archelai ſocium eſſe mentitus, quo etiam citius quaſi probatus obrepſit. Moxque ab eo fratri quoque Ariſtobulo commendatus eſt. Pertentatis autem perſonis omnibus, aliam alio modo ſubibat: ac primum fit Antipatri mercenarius, & Alexandri proditor: illum exprobrando caſtigans, quod quum fratrum ſit maximus, ſpei ſuæ negligat inſidiatores: Alexandrum vero, quod Regina creatus, & regiæ vir

Eurycles Lacon Alexandrum apud parentem clam accuſat, autorque necis ipſius exiſtit.

Eurycles amicitia ſimulata fallit Alexandrum ejusque fit proditor.

con-

conjugis, filium privatæ mulieris pateretur regno succedere, præsertim quum haberet magnam occasionem Archelaum: quæ quidem adolescenti bona fide suadere videbatur, quod amicitiam simulasset Archelai. Unde nec Alexander quicquam metuens, & de Antipatro, quæ se moverent, apud eum querebatur: & quod nihil mirum faceret Herodes, si cum matrem illorum interemerit, ipsis quoque regnum ejus auferret. Quorum causâ Eurycles & miserari eos & condolere simulans, etiam Aristobulum ad ea dicenda pellexit: atque ita querelis in patrem utroque devincto, referens ad Antipatrum secreta discedit: afficto quoque insidiarum mendacio, quas ei fratres parasse affirmabat, ac pene jam strictis gladiis in eum irruere, Ob hæc autem multa pecunia donatus ab Antipatro, laudator ejus erat apud patrem: & ad extremum necis Alexandri & Aristobuli redempta opera, ipse accusatoris partibus fungitur. Cumque adisset Herodem, vitam ei se rependere pro beneficiis sibi delatis, & lucem referre dixit pro hospitio: olim Alexandrum exacuisse in eum gladium, & confirmasse dexteram: verum sceleri tanto fuisse impedimento, quod societatem facinoris assimulasset. Alexandrum enim dicere, non bene secum Herodem actum putare, quod regnum obtinuisset alienum, & post matris eorum necem principatum ejus dilacerasset, nisi etiam degenerem cooptaret hæredem, avitumque ipsorum regnum Antipatro spurio traderet. Proinde semet Hyrcani manes & Mariammes ultum ire. Nec enim decere successionem regni ab hujusmodi patre sine cæde suscipere: multis autem rebus ad hoc excitari quotidie, quia nihil sibi om-

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Eurycles necis Alexandri & Aristobuli redempta opera, accusatoris partibus fungitur.

Eurycles Alexandrum apud Herodem falso accusat, & in periculi præcipitat.

A. M. 3956. A.C.N. 8. nino loqui ſine calumnia liceret. Nam ſi de nobilitate aliorum fiat mentio, ſine ratione ſe contumeliis affici, patre dicente, ſolus generoſus Alexander, & cui pater ſit pro ignobilitate dedecori. In venationibus quoque offendere, ſi taceat: ſi vero laudet, cavillatorem appellari: & prorſus immitem ſibi patrem inveniri, ſolique Antipatro indulgentem: ob quæ vel emori non recuſare, niſi ex voto inſidiæ ſucceſſiſſent: ſin eum occidiſſet: primum ſalutis occaſionem fore Archelaum ſocerum ſuum, ad quem facile poſſet effugere: deinde Cæſarem, qui nunc usque ignoraret mores Herodis. Nec enim ſic ei adſtaturum ut antea, patris præſentiam formidando, nec de ſuis tantum criminibus locuturum, ſed primum totius gentis ærumnas, & quod ad necem usque tributis opprimeret vulgaturum. Deinde in quibus deliciis, quibusque actibus partæ ſanguine pecuniæ conſumptæ ſint, & qui vel quales ex illis fuerint locupletati, quæ cauſa civitatis afflictæ: ibi autem lamentaturum & avi & matris necem, omniaque ſcelera Regis retecturum: quibus cognitis nemo ſe judicaverit parricidam. His Eurycles in Alexandrum falſo delatis, Antipatri laudes proſequebatur, illum ſolum, qui patrem diligeret, eſſe confirmans, quique adhuc inſidias retardaſſet. Rex autem nondum præteritæ ſuſpicionis dolore compreſſo, intolerabilis iracundiæ feritate perturbatur. Iterumque hoc tempus nactus Antipater, alios accuſatores fratribus ſubornavit, qui eos dicerent cum Jucundo & Tyrannio clam colloqui ſolitos eſſe, equitum Regis olim principibus, tunc vero propter quasdam offenſiones ordinibus motis. Hac denique indignatione ſuccenſus, confeſtim

Alia falſa accuſatio Alexandri & fratris, ad indignationē Herodem commovet.

eos

eos Herodes tormentis ſubdidit. Illi autem nihil eorum ſe, quæ crimini darentur, ſcire confeſſi ſunt. Sed oblata eſt quædam velut ad præfectum caſtelli Alexandrii ab Alexandro ſcripta epiſtola, deprecante, ut cum Ariſtobulo fratre ſe in caſtellum reciperet, ſi patrem interfeciſſent: tamque armis quam aliis ſubſidiis eos uti permitteret. Hanc Alexander Diophanti commentum eſſe dicebat, qui Regis erat notarius, *homo audaciſſimus*, & cujuslibet manus literas imitari percallidus. Itaque multis ſæpe falſo conſcriptis, ob hoc poſtremo occiſus eſt. Torto autem caſtelli præfecto, nec ejus indicio quicquam Herodes eorum, quæ delata erant, verum eſſe cognovit. Sed quamvis nullum documentum validum proferretur, filios tamen aſſervari præcepit. Euryclem vero domus ſuæ peſtem, ac totius ſceleris fabricatorem, bene de ſe meritum, datoremque ſalutis appellans, talentis quinquaginta donavit. Ille autem prius quam certa fama nunciaret, ad Archelaum properat: auſusque dicere, quod Herodem reconciliaſſet Alexandro, ab illo quoque pecunias capit. Deinde in Achaiam transgreſſus, ad ſimilia facinora male quæſitis abuſus eſt. Poſtremo apud Cæſarem *accuſatus*, quod diſſenſionibus repleviſſet Achaiam, & civitates ſpoliaret, in exilium mittitur, atque hoc eum modo pœnæ Alexandri & Ariſtobuli perſecutæ ſunt. Hoc loco dignum eſt Coum Evaratum huic Spartiatæ conferre. Namque hic cum amiciſſimus eſſet Alexandro, eodemque tempore, quo Eurycles ibidem erat, adveniſſet, percontanti Regi ſuper his, quæ ille inſimularet, juratus nihil ſe ab adoleſcentibus audiſſe affirmavit. Nec tamen id quicquam miſeris

A. M. 3956. A.C.N. 8.

Diophantes Regis Notarius Alexandri nomine falſas literas conſcribit.

Cous Evaratus.

A. M. 3956. A.C.N. 8. Ant. l. 16. cap. 12.

feris profuit apud Herodem, ſolis maledictis aures paratiſſimas aperientem: eumque gratioſiſſimum ſibi judicantem, qui ſecum eadem crederet, iisdemque moveretur. Incitabat præterea Salome crudelitatem ejus in filios. Nam ad hanc Ariſtobulus, quo periculis involveret, quam & ſocrum habebat & amitam, monitum miſerat, ut ſaluti ſuæ conſuleret: quaſi Rex eam decreviſſet occidere, iterum inſimulatam, quorum antea fuerat accuſata: quæ Syllæo Arabi nubere cupiens, quem ſciret ejus inimicum, occulte illi ſecreta Regis nunciaret. Et hoc fuit extremum, quo tanquam tempeſtate oppreſſi adoleſcentes, non ſecus ac turbine peſſumdati ſunt. Salome enim protinus contendit ad Regem, eique monita Ariſtobuli prodit: atque ille ulterius durare non paſſus, utrumque filium vinxit, & ſeparatos aſſervari præcepit. Deinde Volumnium militiæ magiſtrum, & ex amicis Olympum deſcripta ferentes judicia, proficiſci juſſit ad Cæſarem: qui poſtquam Romam navi delati, Regis literas reddiderunt, vehementer quidem Cæſar ob adoleſcentes indoluit, verum poteſtatem in filios a patre auferendam non duxit. Denique reſcribit ei, ut ipſe ſui dominus eſſet arbitrii: melius tamen facturum dicens, ſi in communi conſeſſu propinquorum ſuorum, provinciæque rectorum de inſidiis quæreret: eosque, ſi delato crimini reperiret aſtrictos, occideret: ſi vero fugam tantum eſſe meditatos, mediocri ſupplicio contentus eſſet. Paret ſcriptis Herodes: cumque Berytum, quo Cæſar juſſerat, perveniſſet, cogit judicium. Præſederunt autem rectores, quibus a Cæſare ſcriptum fuerat, Saturninus & Pedanius legati, & cum his Volumnius

Herodes a Salome motus utrumque filium vinxit, & ſeparatos aſſervari præcipit.

Ant. l. 16. cap. 13.

Herodes contra Alexandrum & Ariſtobulum judicium cogit.

nius procurator, itemque propinqui Regis & amici, nec non & Salome & Pheroras, & post hos optimates Syriæ, præter Archelaum Regem: namque hunc Herodes, quod Alexandri socer esset, suspectum habebat. Sed filios quidem satis provido consilio in judicium non produxit: sciebat enim, quod si tantum visi fuissent, omni modo ad misericordiam cunctos impellerent: si vero etiam dicendi copiam nacti essent, facillime Alexander objecta dilueret. Igitur illi quidem custodiebantur in Platane, vico Sidoniorum. Exorsus autem Rex, veluti cum præsentibus ageret, commovebatur. Et insidias quidem timide objiciebat: nam probationibus deficiebat: maledicta vero & probra & injurias & peccata plurima in se admissa prosequebatur: eaque morte graviora esse consessoribus demonstrabat. Postremo cum nemo contradiceret, semetipsum argui miserabiliter questus, acerbamque victoriam vincere, singulos sententiam proferre rogat in filios. Et primus Saturninus condemnandos esse adolescentulos, sed non morte, pronunciavit: nec enim fas esse, cum tres ipse adstantes habeat filios, mortem alienis decernere. Idem etiam duobus legatis visum est, eosque nonnulli alii secuti sunt. Tristem vero sententiam primus Volumnius dixit, cunctique post eum Herodis æmulatione, vel odio: neque indignatione quisquam necandos esse adolescentes judicavit. Tum autem universa Judæa & Syria, suspensa quidem operiebatur hujus tragœdiæ finem: sed nemo existimabat Herodis crudelitatem ad parricidium usque processuram. Ille tamen filios Tyrum traxit: atque inde navi Cæsaream devectos, quo mortis genere perimeret,

A.M. 3961. A.C.N. 3.

Herodes in judicio filios accusat.

Sententia in filios Herodis.

co-

A. M. 3961. A.C.N. 3. cogitabat. Interea vetus quidam Regis miles, Tiro nomine, qui & filium habebat Alexandro assuetum atque amicum, & ipse diligebat adolescentulos: præ nimia indignatione mentis postremo circumiens clamitabat conculcatam esse justitiam, veritatem periisse, naturam esse confusam, vitamque hominum iniquitatis esse plenam, & omnia quæ dolor contemptori vitæ dictasset. Deinde ipsum etiam Regem ausus adire: mihi vero, inquit, omnium videris esse infelicissimus, qui contra charissimos nequissimis credas. Siquidem Pheroras & Salome fidem apud te adversus filios tuos habent, quos sæpe ipse mortis supplicio dignos esse judicasti: neque advertis hoc eos agere, ut justis successoribus destitutus, cum solo remaneas Antipatro, capi facile Regem optantes. Verumtamen cogita, ne ille quoque militibus odiosus sit, propter cædem omnium fratrum. Nullus enim est, qui non adolescentium misereatur: principum autem plurimi etiam palam graviter ferunt. Hæc dicens, simul eos, quibus res indigna videretur, nominabat. Rex autem statim illos & ipsum cum filio comprehendi jubet. Ibique tum alius quidam Regius tonsor, nomine Tryphon, nescio qua exagitatus insania, semetipsum indicans prosilit: ac mihi quoque Tiro, inquit, iste persuasit, ut occasione tondendi novacula te occiderem: magnaque inde Alexandrum daturum munera pollicebatur. His auditis, Herodes & Tyronem ejusque filium, & tonsorem subdidit quæstioni. Cumque illi pernegarent, tonsor autem amplius nihil diceret, Tironem vehementius torqueri jussit: tumque filius ejus, patris miseratione commotus, cuncta se Regi, si eum sibi con-

Tiro vetus Regis miles Herodis sævitiam execratus.

Tironem cum filio Herodes comprehendi jubet. Ant. lib. 16. cap. 13.

Alia falsa in Tyronem & Alexandrum accusatio.

do-

donasset, indicaturum promisit. Eoque relaxato, ipsius occidendi patrem suum habuisse voluntatem dixit, impulsum ab Alexandro. Hoc autem quibusdam fictum ab adolescente videbatur, quo tormentis eriperet patrem, nonnulli verum esse affirmabant. Herodes tamen & militum principibus, & Tirone pro concione accusatis, in eos armavit populum, ut ibidem cum tonsore lignorum & lapidum ictibus interirent. Filios vero *in* Sebasten missos, quæ non longo a Cæsarea *intervallo* distaret, præfocari jubet: eaque re mature perfecta, in castellum Alexandrium mortuos asportari, cum Alexandro materno avo sepeliendos. Hic finis Aristobulo & Alexandro vitæ fuit.

A. M. 3961. A.C.N. 3.

Herodes Alexandrũ & Aristobulum filios præfocari, cum Alexandro materno avo sepeliendos jubet.

## CAPUT XVIII.

*De conspiratione Antipatri contra patrem.*

ANtipatrum vero, cum jam sine controversia successionem regni speraret, intolerabile gentis excepit odium, cunctis scientibus illum omnes fratribus suis conseruisse calumnias: nihiloque minus timor eum non mediocris solicitabat, crescente sobole peremptorum. Erant *enim Alexandro* ex Glaphyra filii duo, Tigrades & *Alexander: itemque* Aristobulo ex Berenice Salomes filia, Herodes & Agrippa & Aristobulus, filiæque Herodias & Mariamme. Sed Glaphyram quidem Herodes cum dote sua in Cappadociam dimisit, postquam Alexandrum interfecit: Berenicen autem Aristobuli conjugem, avunculo Antipatri nuptum dedit: ut enim Salomen, quam infensam habebat, sibi reconciliaret Antipater, istas nuptias excogitavit. Idem

Ant. l. 17. cap. 21.

A. M. 3961. A.C.N. 3. vero etiam Pheroram muneribus aliisque obsequiis, atque amicos præterea Cæsaris ambiebat, magnas Romam mittendo pecunias. Saturninum enim cum aliis omnibus apud Syriam donis expleverat. Hoc autem magis invisus erat cunctis, quo plura donabat, velut opes tantas non munificentia largiretur, sed metu consummeret. Itaque eveniebat, ut nec accipientium benevolentia quicquam profecerit: quibusque nihil dedisset, acerbiores inimicos haberet. In distributionibus autem munerum quotidie largior erat, cum præter spem videret orbos pueros ab Herode curari: quantumque illum peremptorum cædis pœniteret, prolis eorum miseratione significari. Convocatis enim propinquis atque amicis suis, & pupillis astantibus, cum lachrymis oppleſſet oculos, dixit: Horum quidem mihi patres fortuna quædam tristis eripuit, ipsos autem orbitatis misericordia cum natura commendat. Experiar itaque, ut etsi pater infortunatissimus fui, avus tamen sim providentior, & a quibus post me regantur, amicissimos mihi relinquam. Despondeo igitur filiam tuam Pherora maximo filiorum Alexandri, ut ei curator sis necessarius: tuo vero Antipater filio Aristobuli filiam: eris enim hoc modo pater orbatæ. Sororem vero ejus meus Herodes accipiet, ex pontifice avo materno prognatus. Et de his quidem hoc sit judicium meum, neque id quisquam dirimat, qui me amabit. Precor autem etiam Deum bono regni mei, meorumque nepotum copulare nuptias, atque hos pueros placidioribus, quam patres eorum, oculis aspicere. Postquam hæc locutus est, flevit, & puerorum dexteras junxit, benignissimeque consalutatis singulis

Antipater pecunia & donis hominum favorem sibi conciliare conatur.

Quantum Herodem peremptorum filiorum cædis pœniteret, prolis eorum miseratione ostendebat.

Herodes nepotes despondet

gulis dimisit concilium. Statim diriguit Antipater, quantoque dolore affectus esset, neminem latuit pupillorum; namque honorem apud patrem quoque sibi derogatum existimabat: iterumque de rebus cunctis periculum fore, si Alexandri filiis præter Archelaum etiam Pheroram Tetrarcham adjutorem habere licuisset. Ad hæc reputabat odium suum, & orbitatis miserationem, qua tota gens flectebatur, quanto viventium *puerorum* studio, & quanta memoria mortuorum *ipsius* scelere tenerentur Judæi. Itaque omni modo dirimere sponsalia statuit: & callide quidem patri surrepere timuit, sævienti acriterque vigilanti ad suspicandum: palam vero eum supplex adire ausus est, coramque deposcere, ne se honore privaret, quo dignum esse judicasset, nudumque *Regis* nomen habere vellet, regni autem substantiam penes alios esse. Nec enim posse rerum obtinere dominatum, si præter avum Archelaum, etiam Pheroras Alexandri filio socer esset adjunctus. Instantissime vero precabatur, quia numerosa esset Regia progenies, nuptias permutari. Novem namque Regi uxores erant, sed harum septem unde filios suscepe- Herodis filii ex septem uxoribus suscepti.
rat, ipsum Antipatrum ex Doride, Herodem autem ex Mariamme pontificis filia: itemque *Antipam* & *Archelaum* ex Malthace Samaritide, filiamque Olympiadem, quam frater ejus Josephus habuerat, ex Hierosolymitide vero Cleopatra Herodem & Philippum, nec non ex Pallade Phaselum. Habebat autem filias quoque *alias* Roxanen & Salomen, unam ex Phædra & alteram ex Elpide: duasque uxores sine filiis, consobrinam & fratris filiam: & præter has Alexandri & Aristobuli sorores duas ex Mariamme.

A. M. 3961. A.C.N. 3.

A. M. 3961. A.C.N. 3. Cum igitur tanta prolis copia ſupereſſet, aliter nuptias jungi poſtulabat Antipater. Rex autem perſpecto ejus animo, quid de pupillis cogitaret, vehementer iratus eſt: quippe filiorum, quos interfecerat, caſum reputans, verebatur, ne etiam hi quandoque criminationum Antipatri præmium fierent. Sed tunc quidem ſævioribus dictis eum protelat. Poſtea vero blanditiis ejus adductus, ſponſalia reformavit: ac primum ipſi Antipatro Ariſtobuli filiam collocat, filium vero ejus jungit filiæ Pheroræ. Hinc licebat advertere, quantum Antipatri valuerit adulatio, quod idem in ſimili cauſa impetrare Salome non potuit. Hanc enim quamvis ſoror eſſet, atque hæc ſæpe intercedente Julia uxore Cæſaris poſtulaſſet, Arabi Syllæo nubere non paſſus eſt: ſed inimiciſſimam ſibi fore juravit, niſi ab hoc ſtudio deſtitiſſet: poſteaque invitam Alexæ cuidam ex amicis ſuis in matrimonium dedit: ejusque filiarum unam Alexandri filio, alteram Antipatri avunculo tradidit. Natarum autem Mariammes una, ſororis filium habebat Antipatrum, altera fratris Phaſaelum. Sic interrupta pupillorum ſpe Antipater, & pro ſua commoditate affinitatibus junctis, expectatione certa nitebatur: adjectaque malignitati fiducia, nequaquam erat tolerabilis: nam quia ſingulorum odium vitare non poterat, ſecuritatem ſibi ex terrore quærebat: cum præterea Pheroras veluti jam confirmato Regi obſecundaret. Quin & mulierum conflata in aula conflictio, novas turbas excitabat. Etenim Pheroræ uxor cum matre ac ſorore ſua, nec non & Matre Antipatri, multa in Regia inſolenter agebat, auſa etiam duas Regis filias contumelioſe tractare: cui rei maxime

Herodes Antipatri blanditiis adductus, ſponſalia reformat.

Ant. lib. 17. c. 3.

Antipater expectatione regni certa nititur.

Mulierum in aula conflictio.

xime ab Antipatro erat objecta. Itaque cum illi inviſæ eſſent, alias quidem morigeras habebant: ſola vero Salome adverſabatur eorum concordiæ: quodque non bono Regis coirent, apud ipſum inſimulabat. Cognita vero ejus delatione mulieres, quodque Herodes ægre tuliſſet, aperto quidem conventu & familiaritate abſtinuerunt, contra vero & diſcordare inter ſe Rege audiente ſimulabant: cum his adeo colluderet *Antipater*, ut palam Pheroram minime dubitaret offendere: occultos autem cœtus & nocturnas commeſſationes agebant: earumque conſenſionem fecit obſervatio firmiorem: cum horum nihil ignoraret Salome, ſed Herodi cuncta nunciaret. Ille autem ardens iracundia, maximeque adverſus Pheroræ conjugem, quod eam præter cæteras accuſaret Salome, advocato cognatorum amicorumque concilio, & alia multa mulieri & filiarum contumelias crimini dedit, quodque Phariſæis mercedem contra ſe præbuiſſet, fratremque ſibi hoſtem reddidiſſet expugnatum venenis. Poſtremo converſus ad Pheroram, utrum, ait, ſe fratrem, an uxorem vellet optare? Cumque ille ſe citius vita dixiſſet, quam conjuge cariturum, incertus quid ageret, ad *Antipatrum* ſermonem contulit: ac ne cum Pherora, vel *ejus conjuge*, aut quovis alio, qui ad eam pertineret, unquam colloqueretur, edixit. Verum ille palam præcepta cuſtodiens, in occulto cum his pernoctabat, metuensque obſervationem Salomes, per amicos in Italia degentes, ut Romam proficiſceretur, effecit perlatis literis, ubi *Antipatrum* aliquanto poſt tempore ad Cæſarem mitti oportere perſcriberent. Igitur Herodes nihil moratus, eum miſit: cunctis, quæ

A. M. 3961. A.C.N. 3.

Ant. l. 17. cap. 4.

Herodes Antipatro, ne cum Pherora, vel ejus conjuge unquam colloqueretur edicit.

A. M. 3961. A.C.N. 3. usui forent, magnaque pecunia liberaliter instructum, testamentumque una ei portandum dedit, in quo Rex ipse Antipater inscriptus erat, & Antipatri successor Herodes, ex Mariamme pontificis filia procreatus. Quin & Syllæus Arabs itidem Romam, neglecto Cæsaris præcepto, navigavit: de his cum Antipatro certaturus, de quibus cum Nicolao causam ante dixerat. Non leve autem cum Areta Rege suo certamen habebat, cujus & alios amicos interfecerat & Soemum in Petra oppido potentissimum, redemptoque Fabato procuratore Cæsaris, fautore utebatur etiam in Herodem. Sed majore pecunia data Herodes Fabatum a Syllæo alienavit: ac per eum, quæ Cæsar jusserat, exigebat. Ille autem cum nihil dedisset, accusabat apud Cæsarem Fabatum, dispensatorem esse dicens, non quæ ipsi, sed quæ Herodi expedirent. Quibus commotus ad iracundiam Fabatus, adhuc autem apud Herodem in honore maximo habebatur, secretorum Syllæi proditor factus est: Regique indicavit, quod Syllæus Corinthum ejus fatellitem pecunia corrupisset, eumque asservari oporteret. Neque Rex id facere dubitavit: quoniam Corinthus iste, licet in aula Regis esset educatus, ex Arabia tamen fuerat oriundus. Igitur mox non illum solum corripi, sed etiam duos alios Arabas jussit apud eum repertos, unum Syllæi amicum, alterum Phylarchum. Qui subditi quæstioni, magna pecunia Corintho, ut Herodem occideret, persuasisse confessi sunt: atque etiam a Saturnino Syriæ rectore interrogati, Romam transmissi sunt.

Fabatus Procurator Cæsaris apud Herodem secretorum Syllæi proditor.

CA-

## CAPUT XIX.

A. M. 3961. A.C.N. 3.

*De veneno Herodi parato, & quomodo compertum ſit.*

AT Herodes Pheroræ vehementius imminebat, ut repudiaret uxorem: neque quomodo mulierem plecteret, inveniebat, cum multas in eam odii cauſas haberet, donec ipſum etiam fratrem cum ea, ſupra modum indignatus, ejecit. Pheroras autem æquo animo accepta injuria, *in Tetrachiam* ſuam receſſit, juratus unum ſibi exilii finem fore mortem Herodis, neque ad eum reverſurum eſſe, dum vixerit. Denique nec ægrotum, quamvis ſæpe accitus, fratrem inviſere voluit, cum quibusdam mandatis eum quaſi moriturus vellet inſtruere. Sed ille quidem præter ſpem convaluit. Poſtquam autem Pheroras *in morbum* incidit, tum Herodis patientia demonſtrata eſt. Nam & venit ad eum, & humaniſſime curatum voluit: ſed morbum ſuperare non quivit: intra dies enim paucos eſt mortuus. Quem licet usque ad ultimum vitæ diem dilexiſſet Herodes, tamen quod illum quoque veneno peremiſſet, fama vulgatum eſt. Verum ejus corpore in Hieroſolymam deportato, luctum maximum cunctæ genti denunciavit, clariſſimaque funus ſepultura dignatus eſt. Unus quidem *interfector* Alexandri & Ariſtobuli, hunc exitum vitæ ſortitus eſt. Tranſiit autem in Antipatrum autorem pœna ſceleris, ex interitu Pheroræ nacta principium. Quidam enim ex ejus libertis, cum Regem triſtes adiiſſent, fratrem ipſius Pheroram veneno interceptum eſſe dicebant: nam quendam ei cibum obtuliſſe conjugem ſuam, non eo, quo ſolebat, modo conditum: eoque ſumpto illum morbo protinus eſſe cor-

Herodes Pheroram cum uxore ejicit.

Pheroras moritur, & Hieroſolymis ſepelitur.

Ant. lib. 17. cap. 5.

A. M. 3961. A.C.N. 3. correptum. Veniſſe autem ante biduum, matris ac ſororis ejus accitu quandam veneficam mulierculam ex Arabia, ut venenum Pheroræ conficeret amatorium: & pro amatorio dediſſe mortiferum Syllæi conſilio: namque illi notam fuiſſe. Perculſus igitur plurimis ſuſpicionibus Rex, ancillas & nonnullas libertinas quæſtioni ſubjecit. Ibique tum exclamat aliqua doloris impatiens: Deus cæli terræque rector, in matrem Antipatri, quæ horum nobis malorum cauſa eſt, vindicet. Hoc Rex initium nactus, perſequebatur ulterius indaginem veritatis. Mulier vero & matris Antipatri familiaritatem cum Pherora ejusque mulieribus, & occultos eorum conventus aperuit: quodque Pheroras & Antipater redeuntes a Rege, tota cum illis nocte potare ſoliti eſſent, ſervis omnibus excluſis & ancillis. Una quidem libertinarum hæc indicavit. Cum autem ancillæ ſeparatim ſingulæ torquerentur, patuit omnium dicta congruere, qua de cauſa Romam quidem Antipater ex compoſito, Pheroras vero trans flumen ſecedere curaviſſet. Nam ſæpe illos in ſermone dixiſſe, quod poſt Alexandrum & Ariſtobulum ad ipſos eorumque conjuges tranſiturus eſſet Herodes. Nec alicui poſſe parcere, qui Mariammæ ejusque filiis minime peperciſſet: ideoque melius eſſe, ab hac bellua quam longiſſime fugere. Sæpe autem dixiſſe matri Antipatrum conquerentem, quod cum ipſe jam canus eſſet, pater in dies ſingulos juveneſceret, ſeque fortaſſe prius, quam regnare incipiat, moriturum: aut ſi unquam ille deceſſerit (quando autem iſtud futurum?) voluptatem ſibi ſucceſſionis omnino fore breviſſimam. Pullulare præterea hydræ capita, hoc eſt Alexandri

Venefica muliercula ex Arabia.

Confeſſio mulierculæ in tortura.

dri & Ariſtobuli filios: ſibi autem filiorum quo- A. M.
que ſpem ademptam eſſe patris injuria: qui non 3961.
eorum quenquam poſt mortem ſuam regni ſuc- A.C.N.
ceſſorem, ſed Mariammes filium ſcripſiſſet hæ- 3.
redem. Qua quidem in re prorſus eum ſenectute delirare, ſi teſtamento ſuo ſtandum arbitraretur: ſe namque, ut ex ejus progenie nemo ſupereſſet, curaturum. Quin etiam cum omnes patres, quibus inviſi unquam filii fuerunt, odio vincat: *plus tamen* eum etiam fratres odiſſe. *Denique nuper* ſibi, ne cum Pherora colloqueretur, centum talenta donaſſe: atque cum Pheroras diceret, quid enim per nos lædebatur? reſpondiſſe Antipatrum, utinam cunctis ablatis nudos ſe dummodo vivos relinqueret. Verum hoc nequaquam fieri poſſe, ut tam peſtiferam beſtiam *quisquam* effugiat, ſub qua nec amicis eſſe palam liceret. Denique nunc occulte, inquit, convenimus: licebit autem aperte, ſi virorum ſpiritum manusque habeamus. Hæc in tormentis ancillæ prodiderunt, & quod Pheroras cum illis Petram fugere cogitaſſet. Ut omnibus autem dictis Herodes crederet, centum talentis effectum eſt. De his enim ſoli Antipatro dixerat. Igitur ante alios in Doridem Antipatri matrem furor ejus erumpit: eamque omni ornatu, quem illi donaverat, ſpoliatam, multis comparato talentis, expellit. Deinde ira depoſita, Pheroræ mulieres a tormentis recreabat. Timore autem pavidus erat, & ad omnes ſuſpiciones excitabatur: multosque innocentes, metu ne quem nocentium prætermitteret, in tormenta ducebat. Hinc ad Samaritam ſe convertit Antipatrum, qui procurator erat Antipatri, & ex illius tormentis comperit, ne-

Doridem Alexandri matrem omni ornatu ſpoliatam Herodes expellit.

A. M. 3961. A.C.N. 3. candi ſui cauſa ex Ægypto Antipatrum venenum malum petiiſſe, per quendam Antiphili amicum: idque ab eo Antipatri avunculum accepiſſe Theudionem, ac Pheroræ tradidiſſe: cui mandaſſet Antipater, ut Herodem occideret, dum ipſe Romæ abeſſet, ac ſuſpicione careret: Pheroram vero venenum uxori ſuæ dediſſe ſervandum. Itaque hanc evocatam, ſtatim Rex, quod acceperat, afferre jubet. Illa vero quaſi allatura egreſſa, de tecto ſe præcipitem dedit, ut eo modo probationes & Regis tormenta præveniret. Sed Dei providentia, ſicut apparet, quæ ab Antipatro pœnas repeteret, non in caput, ſed in diverſam delata partem, periculum mortis evaſit. Portataque ad Regem, ubi reſipiſcere potuit (nam caſus eam perturbaverat) quamobrem ſe præcipitaſſet, interrogata, adjurante Rege, quod vera dicenti remitteret omne ſupplicium: ſin falſa promere maluiſſet, corpus ejus tormentis abſummeret, neque ſepulturæ quicquam relinqueret: pauliſper tacuit. Deinde: quid, inquit, ſecreta cuſtodio, quum Pheroras obierit, Antipatro, qui nos omnes perdidit, ſervitura: Audi Rex, & tecum Deus mihi teſtis veritatis, qui falli non poteſt. Cum Pheroræ morituro lachrymans aſſiderem, tunc ille me ad ſe vocavit: En multum, inquit, conjunx de fratris erga me animo ſum deceptus. Nam qui ſic me diligeret, inviſum habui, & necare cogitavi: qui tanto nunc mei, quamvis necdum mortui, dolore confunditur. Sed ego quidem impietatis precium fero: tu vero quod in eum ſervas, relictum nobis ab Antipatro venenum, huc affer propere, meque vidente conſumme, ne ad inferos quoque ultricem hujus ſceleris conſcien-

Pheroræ conjunx quid cum venen› ſit actum ingenue fatetur.

ſcientiam deferam. Ita ut juſſit attuli: & magnam quidem veneni partem ſub obtutibus ejus in ignem effudi: modicum vero mihi propter dubios caſus, & quæ te metuerem, reſervavi. His dictis, illa quidem omnino paululum quiddam veneni habentem pyxidem profert: Rex vero in matrem fratremque Antiphili contulit quæſtionem. Verum hi quoque Antiphilum ex Ægypto attuliſſe pyxidem fatebantur, illumque venenum a fratre apud Alexandriam exercente medicinam accepiſſe dicebant. Totum autem regnum circumeuntes Alexandri & Ariſtobuli manes, ipſi erant incertarum rerum exploratores atque indices, & a ſuſpicionibus remotiſſimos ad probationes trahebant. Denique etiam Pontificis filiam Mariammen, conſciam eſſe maleficiorum patuit. Hoc enim tortis ejus fratribus demonſtratum eſt. Rex autem matris audaciam filii quoque pœna coercuit. Nam quem illa pepererat Herodem, patri ſucceſſorem ſcriptum ex teſtamento delevit.

A. M. 3961. A.C.N. 3.

Divina ultio nullum ſcelus impunitum reliquit.

## CAPUT XX.

*De Antipatri in Herodem malignis ſtudiis deprehenſis & ultis.*

POſt hæc etiam Bathyllus, noviſſima conſiliorum Antipatri fides, documentis acceſſit. Namque is erat quidem libertus ejus: aliud autem venenum ferens, hoc eſt, aſpidum virus, advenerat, aliorumque ſerpentum ſuccos: ut ſi prius fuiſſet invalidum, hoc ſe Pheroras cum ſua conjuge in Regem armaret. Idem vero præter ſuſceptam contra ſalutem patris audaciam,

A. M. 3961. A.C.N. 3. velut operam ſubciſivam, habebat epiſtolas adverſum fratres compoſitas ab Antipatro. Erant autem Romæ in ſtudiis Archelaus & Philippus, jam adoleſcentuli, magnique animi Regis filii, quos Antipater velut imminentes ſpei ſuæ removere feſtinans, quasdam in eos literas ipſe finxit, amicorum nomine Romæ degentium. Nonnullis autem corruptis ſcribere perſuaſit, quod multis patrem maledictis carperent, ac de Alexandri & Ariſtobuli nece manifeſte quererentur, ſeque accitos eſſe graviter ferrent: jam enim pater eos redire præceperat, idque maxime ſolicitabat Antipatrum. Quin etiam prius quam proficiſceretur, in Judæa conſtitutus Antipater, ejusdem modi contra eos Romæ literas mercabatur: patremque adeundo vitandæ ſuſpicionis cauſa, fratres purgare ſimulabat: quædam falſo ſcripta, quædam vero adoleſcentiæ peccata eſſe commemorans. Quo quidem tempore ſcriptoribus epiſtolarum, quas in fratrum perniciem ſimulabat, plurimis pecuniis datis, ſumptuum confundere tentabat indicia, veſtem precioſam, variaque ſtragula, poculaque argentea, necnon & aurea comparando, aliaque plurima inſtrumenta, ut preciorum magnitudine mercedes falſariis erogatas celaret. Denique ducenta talenta retulit expenſa, & eorum maxima fuit occaſio cauſa Syllæi. Univerſis autem malis tunc minoribus majore contectis, cum omnia quidem tormenta de parricidio, epiſtolæ vero de iteratis fratricidiis conclamarent, nemo tamen ex Judæa venientium, quo loco fortunæ domus eſſent, ei nunciavit, quamvis inter ſcelus probatum, & ipſius reditum ſeptem menſium intervalla fluxiſſent. Ita erat inviſus omnibus.

Antipatri in Archelaum & Philippum fratres inſidiæ.

Antipater ſcriptoribus epiſtolarum, quas in fratrum perniciem ſimulat, ingentem pecuniæ ſummam erogat.

For-

Fortaſſe autem etiam quibus indicandi voluntas fuit, per interfectorum fratrum manes obmutescebant. Denique Roma literas miſit, continuo ſe venturum eſſe, quodque honorifice dimiſſus eſſet a Cæſare nuncians. Rex autem inſidiatorem manibus tenere deſiderans: timensque, ne ſi quid præſciſſet, forte caveret, ipſe quoque literis benevolentiam ſimulans, & alia familiariſſime ſcripſit, & ut reverſionem ſuam *maturaret, oravit.* Nam ſi properaſſet, matris ſuæ quoque offenſionem poſſet componere, quam expulſam eſſe non ignoravit Antipater. Primam quidem jam de morte Pheroræ ſuſceperat epiſtolam apud Tarentum, eumque vehementer luxerat: id autem nonnullis de patruo laudabile videbatur: ſed quantum intelligi datur, cauſa doloris erat, quod inſidiæ pro voto non ceſſerant: neque tam Pheroram flebat, quam maleficiorum miniſtrum. Præterea metus eum quidam ob ea, quæ confecerat, occupabat, ne quando forte deprehenderetur venenum. Tunc autem in Cilicia patris epiſtola ſibi reddita, quam ſupra memoravi, ſtatim quidem feſtinabat: ſed poſtquam in Celenderin delatus eſt, ſubit eum quædam materni caſus cogitatio, anima jam per ſemetipſam divinante. Et amicorum quidem prudentiores ei ſuadebant, ne prius patrem conveniret, quam pro certo cognoſceret, quibus ex cauſis matrem ſuam repudiaſſet: namque timere, ne forte criminibus matris adderetur. Minus autem prudentes, & viſendæ patriæ cupidi magis, quam quid Antipatro eſſet utile conſiderantes, ut properaret, monebant, ne ex ipſa mora & patri cauſam pravæ ſuſpicionis, & occaſionem præberet

A. M. 3961. A.C.N. 3. Ant. l. 18. cap. 8.

Antipater ut reverſionem ſuam maturaret, ſcribit Herodes.

Antipater Pheroræ mortem vehementer luget.

A. M. 3961. A.C.N. 3. calumniantibus. Nunc enim si quid motum est, in absentem esse factum: nec enim præsente illo quenquam id ausurum fuisse. Absurdum autem videri, propter suspiciones incertas certis bonis carere, neque mature se patri reddere, ab eoque regnum accipere, quod solo ipso niteretur. Paruit his Antipater, impellente fortuna, transmissusque in Sebastum Cæsareæ portum defertur. Occurrit autem illi præter opinionem maxima solitudo, cum omnes eum devitarent, nullusque auderet accedere. Nam etsi semper æque invisus erat, odio tamen, ut prodeAntipater Cæsareæ omnibus invisus. retur, tunc data libertas est. Multos autem avertebat ex Rege formido, quoniam cunctas jam civitates de Antipatro fama repleverat, solusque de se quid ageretur, Antipater ignorabat. Nec enim vel clarius eo quisquam deductus est, cum Romam navigaret, vel ignobilius inde susceptus est. Enimvero clades ille domesticas intelligens, calliditate celabat, metuque pene mortuus, vultu confidentiam simulabat. Et neque fugæ spes ulla erat, neque circumstantibus malis emergere poterat: certumque nihil ei de domo, ne ibi quidem nunciabatur: id enim Regis interminatio prohibuerat. Unde interdum etiam spes eum pertentabat hilarior, aut nihil esse deprehensum, aut, si quid esset, hoc sese impudentia sua diluturum ac dolis, quæ sola instrumenta salutis haberet. Itaque his armatus, sine amicis in Regiam venit, qui a priQuomodo Antipater Roma domum reversus ab Herode fuerit acceptus. ma janua cum injuria sunt repulsi. Forte autem Varus Syriæ rector intus aderat. Ingressus inde ad patrem, confirmatusque audacia, velut ejus salutandi causa, propius accedebat: cum ille objecta manu & capite declinato, exclamat: Et

hoc

hoc parricidæ eſt, ut me amplexari velis, qui tot maleficiis involutus ſis. Diſpereas, impium caput: neque me attingas, priusquam criminibus te exuas. Dabo enim tibi judicium & judicem, qui opportune præſto eſt, Varum. Abi, & quemadmodum te purges in diem craſtinum, meditare: nam & tempus indulgeo calliditatibus tuis. Ad hæc metu obſtupefactus Antipater, quia reſpondere nihil potuit, reverſus eſt. Cum autem ad eum veniſſent mater & uxor, cunctas ei probationes expoſuerunt. Tumque recepta mente, quo pacto ſeſe defenderet, cogitabat. Poſtero autem die Rex adhibito propinquorum atque amicorum concilio, Antipatri quoque amicos vocat. Ipſe autem cum Varo reſidens, cunctos indices juſſit adduci, in quibus erant etiam ſervi matris Antipatri quidam pridem comprehenſi, qui ab ea literas ad eum deportaverunt hujuſcemodi. Quoniam illa omnia patri tuo cognita ſunt, cave, ne ad eum venias, niſi aliquod auxilium a Cæſare impetraveris. Itaque his una cum aliis introductis, ingreditur Antipater. Cumque pronus ante pedes patris cecidiſſet: oro, inquit, pater, ne quid de me præjudices, ſed integras aures ſatisfactioni meæ præbeas. Demonſtrabo enim me innoxium, ſi tu velis. Ille autem magna voce imperato ei ſilentio, ad Varum locutus eſt. Quod & tu Vare, & quivis juſtus judex Antipatrum morte dignum judicaverit, certe ſcio. Vereor autem, ne mea quoque tibi ſit inviſa fortuna, omnique calamitate dignum deputes, qui tales filios genuerim. Atqui hoc tibi magis miſerandus videri debeo, quod erga tam ſceleſtos indulgentiſſimus pater fui. Nam illis prioribus adhuc

A. M. 3951. A.C.N. 3.

Judicium contra Antipatrum, cui præſidet Varo.

Herodis in judicio contra Antipatrum accuſatio.

A. M. 3961. A.C.N. 3. huc adoleſcentulis regnum detuleram, eosque Romæ educatos amicos Cæſaris feceram: ſed quos aliis invidendos Regibus æmulandosque conſtitui, meæ ſalutis hoſtes inveni, quorum tamen interitus Antipatro magis profuit. Iſti enim quod juvenis & ſucceſſor meus futurus eſſet, maxime ſecuritas quærebatur: at vero hic bellua, patientia mea ſupra quam ſatis erat expletus, in me ſatietatem ſuam profudit: eique diu vivere ſum viſus, meamque ſenectutem graviter tulit, Rexque fieri non niſi parricidio paſſus eſt. Quæ quidem protecto novi, qua ratione cogitavit: quod eum ex agro abjectum reduxerim, & excluſis, quos mihi Regina pepererat, filiis, regni mei vicarium declaraverim. Equidem tibi Vare confiteor meæ mentis errorem. Ego illos contra me filios irritavi, qui Antipatri gratia ſpes eorum juſtas abrupi. Quid enim tantum de illis, quantum de iſto bene ſum meritus? cui vivus etiam poteſtatem meam pene conceſſi: aperte autem regni ſucceſſionem teſtamento reliqui, & præter deſtinatos ei ſeparatim quinquaginta reditus talentorum, ſumptum paſſim mea pecunia ſubminiſtravi: ac nuper Romam quoque navigaturo dedi trecenta talenta, quemque ſolum ex omni familia mea, tanquam patris ſervatorem, Cæſari commendavi. Aut quid illi tantum ſceleris, quantum Antipater admiſerunt? quodve de his habui indicium, quale demonſtravit hujus inſidias? etiam approbo, quia auſus eſt aliquid parricida, rurſumque veritatem dolis ſperat obtegere: tibi Vare cavendum; nam ego iſtam belluam novi: & quam ſit veriſimilia dicturus, jam nunc proſpicio, fletusque ſimulatos. Hic eſt, qui me quon-

Beneficiorum Herodis in filios collatorũ recitatio.

Herodes Antipatrum præ reliquis filiis amavit plurimaque in eum beneficia contulit.

dam

dam monebat, ut vivum Alexandrum caverem, neque meum corpus omnibus crederem: hic est qui usque ad cubile meum solebat ingredi, & circumspicere, ne quis mihi forte parasset insidias: hic somni mei custos erat, & securitatis dator, qui consolaretur luctum peremptorum, & viventium fratrum benevolentiam dijudicaret: hic propugnator & satelles meus. Quum ejus calliditas Vare in mentem venit, & quemadmodum singula simulasset, vix me credo vivere, tamque gravem insidiatorem quo pacto effugerim, miror. Verumtamen quia fortuna quædam excitat contra me domum meam, mihique amicissimi semper infensi sunt, ego quidem fatorum iniquitatem flebo, & mecum ipse solitudinem gemam. Nemo autem, qui meum sanguinem sitierit, elabetur, etiamsi per omnes filios meos indicia ventura sint. Hæc dicens, ipse quidem interrupto sermone tacuit, dolore confusus. Nicolaum autem unum ex amicis probationes jussit exponere. Inter hæc autem Antipater sublato capite, cum prostratus ante patris pedes maneret, exclamat: Tu pater meas partes defendisti. Nam quomodo ego patricida, quem tu semper servatorem te habuisse commemoras? Aut si ficta, ut dicis, simulataque mea pietas fuit, cur in aliis tam callidus, in hoc adeo demens fui, ut non intelligerem, quod si homines lateret tanti sceleris cogitatio, cœlestem latere judicem omnino non posset, qui ubique præsto esset, & cuncta conspiceret? An fratrum exitus ignorabam, quos ob id Deus ultus est, quia tibi male cogitaverant? Quid autem fuit, cur me tua salus offenderet? Spes regni? Sed regnabam. Odii suspicio? Sed dili-

A. M. 3961. A.C.N. 3.

Responsio & excusatio Antipatri.

A. M. 3961. A.C.N. 3. gebar. An ex te metus aliquis? Quin tui ſervans, aliis timendus eram. Fortaſſis egeſtas cauſa fuit? Multo minus. Quis enim magis expenſarum habuit poteſtatem? Si autem omnium hominum perditiſſimus eſſem, immanisque beſtiæ animum gererem, certe manſueti patris beneficiis vincerer: quem, ſicut tu dixiſti, reduxeris, totque filiis antepoſueris, vivusque Regem declaraveris, aliorumque bonorum magnitudine reddideris invidendum. O me miſerum, acerbiſſimamque peregrinationem meam, quam longum livori tempus, magnumque inſidiantibus ſpatium præbui. Sed tamen tibi pater, tuisque rebus abieram, ne Syllæus tuam contemneret ſenectutem. Roma mihi teſtis eſt pietatis, & princeps orbis terræ Cæſar, qui me patris amatorem ſæpe vocitabat. Accipe pater has ejus literas: hæ fictis in me criminationibus veriores: his me defendo: hæ affectus erga te mei argumenta certiſſima: recordare, quam invitus hinc navigaverim, latentes in regno contra me inimicitias non ignorans. Tu pater imprudens me perdidiſti, tu compuliſti, ut darem accuſandi tempus invidiæ. Verum ad indicia veniam. Ecce adſum, terra marique nihil uſquam patricida perpeſſus. Sed nondum me hoc argumento diligas. Nam & apud Deum, & apud te pater, condemnatum me eſſe ſcio. Condemnatus autem deprecor, ne aliorum tormentis fidem habeas: in me feratur ignis, per viſcera mea pergant inſtrumenta pœnarum, ne parcas ſceleſto corpori. Nam ſi patricida ſum, tormentorum expers mori non debeo. Talia cum lachrymis ac ejulatu vociferans, & omnes alios, & Varum ad miſericordiam provocavit:

Antipater Romam & Cæſarem pietatis teſtes allegat.

ſolum

ſolum autem Herodem, quo minus fieret, iracundia continebat, documentis veris intentum. Ibi autem Nicolaus, juſſu Regis multa de Antipatri calliditate præfatus, & miſericordiæ ſpem abſtulit, & atrociſſimam accuſationem inſtituit, cuncta quidem regni maleficia illi aſſcribens: maxime vero fratrum interitum, quos ipſius calumniis interfectos eſſe demonſtrans, etiam ſuperſtitibus eum inſidiari quaſi ſucceſſionis captatoribus affirmabat. Nam qui patri venenum paraſſet, multo minus a fratribus abſtineret. Cum autem ad veneni probationem veniſſet, per ordinem proferebat indicia, etiam de Pherora crimen exaggerans, veluti illum quoque Antipater fratricidam feciſſet, corruptisque Regis amiciſſimis, ſcelere omnem domum repleviſſet. Atque ita multis aliis dictis & probatis peroravit. Varus autem cum reſpondere juſſiſſet Antipatrum, & ille nihil amplius elocutus, quam, Deus teſtis eſt innocentiæ meæ, ſilensque jaceret, venenum petiit, idque cuipiam damnatorum capitis ex cuſtodiis bibendum dedit: eoque ſtatim mortuo, quædam in ſecreto cum Herode ſermocinatus, geſta in concilio Cæſari ſcripſit: poſteroque die inde diſceſſit. Nihiloque minus Rex Antipatro vinculis tradito, cladis ſuæ nuncios ad Cæſarem miſit. Poſt hæc Salomen appetiſſe inſidiis arguebatur Antipater. Quidam enim e ſervis Antiphili Roma venerat, epiſtolas ferens cujusdam Acmes nomine, ancillæ Juliæ: quibus ad Regem ſcriptis, indicaverat Salomes epiſtola inter literas Juliæ reperta, clam ei benevolentiæ cauſa miſiſſe. Ipſius autem Salomes epiſtolis, & maledicta in Regem acerbiſſima, & accuſatio maxima continebantur. Sed

A. M. 3963. P.C.N. I.

Nicolaus juſſu Regis contra Antipatrum atrociſſimam accuſationem inſtituit.

Peroratio Nicolai.

Venenum in quedam capitis damnato probatur.

A. M. 3963. P.C.N. I.

hæ ab Antipatro erant fictæ: isque Acmen pecunia corruptam, ad Herodem eas mittere persuaserat. Epistola enim ejusdem mulierculæ ad ipsum scripta id prodidit, cujus verba hæc sunt: Sicut voluisti, patri tuo scripsi, & alias epistolas misi, certo sciens, Regem sorori suæ minime posse parcere, si eas recitaverit. Bene autem facies, si consummatis omnibus, pollicitationum tuarum memor fueris. Hac epistola, & quæ in Salomen sunt composita, deprehensis, Regem subiit cogitatio, ne forte etiam Alexander falsis epistolis fuisset oppressus: quodque pene sororem propter Antipatrum occidisset, anxius erat. Itaque non est ultra cunctatus, quo minus ab eo sumeret omnium causa supplicium: sed ne propositis satisfaceret, gravi morbo impeditus est. De Acme tamen ancilla, & in Salomen fictione conflata, dedit literas ad Cæsarem: ac propterea testamento mutato, exemit nomen Antipatri, Regemque scripsit Antipam, præteritis Archelao & Philippo natu majoribus: nam & hos Antipater insimulaverat. Cæsari autem post alia pecuniaria munera mille talenta, & uxori ejus ac filiis, itemque amicis & libertis, prope quinquaginta: cæterisque omnibus agrorum & pecuniarum non parum distribuit, ac sororem Salomen luculentissimis donis honoravit. In testamento quidem ista correxit.

Alia adversus Antipatrum accusatio.

Herodes de Antipatro supplicium sumere cogitat, propterea que nomen ipsius in testamento delet.

## CAPUT XXI.

*De aquila aurea, morteque Antipatri & Herodis.*

Ant. lib. 17. c. 8.

MOrbus autem ingravescebat, quod eum senectus pariter ac mœror urgeret, & annos

nos jam septuaginta natus esset: & filiorum cladibus animum adeo habebat afflictum, & nec bona valetudine quicquam jucunditatis admitteret. Acriorem autem faciebat ægritudinem, quod Antipater viveret. Hunc enim non obiter & aliud agens, sed cum ipse convaluisset, cogitabat occidere. Ad has ei calamitates accidit etiam populi quidam tumultus. Erant in civitate sophistæ duo, qui summe scire leges patrias videbantur, & propterea per omnem gentem maxima gloria prædicabantur: Judas filius Sepphoræi, & alter Margali Matthias. Hos non pauci adolescentium sectabantur, cum leges exponerent, & in dies singulos puberum exercitum congregabant. Qui cum Regem audissent mœrore ac morbo tabescere, apud notos loquebantur, opportunum jam tempus esse, ut Deus vindicaretur, fabricataque adversus leges patrias opera destruerentur. Siquidem in templo nefas sit, imagines, aut cujuslibet animalis cognomine simulacrum haberi. Hoc propterea dicebatur, quod supra maximam portam templi Rex aquilam collocaverat auream. Eamque tunc monebant sophistæ, ut tollerent: pulchrum esse dicentes, etiam si quod inde periculum immineret, pro legibus patriis mori non recusare: sic enim decedentibus, & animam immortalem & bonarum rerum sensum perseverare perpetuo: minus autem fortes & sapientiæ suæ nescios amare animam imperitia: magisque morbo cupere, quam virtute defungi. Dum hæc illi differerent, rumor subito pervagatur, Regem fere jam mori: unde etiam confidentes adolescentes coronam adorti sunt: ipsoque meridie, quum plurima multitudo versaretur in templo,

A. M. 3963. P.C.N. 1.

Judas & Matthias populum ut aquilam auream tollerent, hortantur.

A. M. 3963. P.C.N. 1. craſſis demiſſi funibus, aquilam ex tecto auream ſecuribus abſcidebant. Qua re ſtatim Regis duci nunciata, non parva ille manu comitatus ad templum cucurrit: & prope ad quadraginta juvenes comprehenſos, Regi exhibuit. Qui primum interrogati, an aquilam ipſi auream concidere auſi eſſent, feciſſe confeſſi ſunt: deinde quo jubente, lege patria, reſponderunt. Cum vero, quid exultarent tantum, quibus mors immineret, ab his quæreretur: quia poſt mortem bonis plurimis frui ſperarent, aſſeruerunt. His itaque Rex commotus, magnitudine iracundiæ morbum ſuperat, atque in concionem procedit. Deinde multum in eos quaſi ſacrilegos invectus, & quod occaſione legis patriæ quædam majora tentaſſent, velut impios ſupplicio dignos eſſe judicavit. Populus autem *metuens*, ne per multos quæſtio iret, precabatur, ut primum facinoris ſuaſoribus, deinde in eo deprehenſis pœnæ ſubditis, cæteris indignationem remitteret. Tandem igitur exoratus, & ipſos Rex, qui funibus demiſſi erant, cum ſophiſtis vivos incendi, & reliquos qui una comprehenſi ſunt, obtruncandos carnificibus tradidit. Hinc totum ejus corpus morbo occupatum variis doloribus differebatur. Nam febris quidem non mediocris erat: prurigo autem intolerabilis habebat omnem corporis ſuperficiem. Aſſiduis autem vexabatur coli tormentis, pedesque tanquam ex intercutis vitio tumuerant. Quin & inflatio ventriculi, putredoque virilis membri vermiculos generans, ac præterea creber anhelitus, & irrupta eum ſuſpiria, membrorumque omnium contractio fatigabat: ut qui hæc ad divinitatem referrent, ultionem eam eſſe dicerent ſophiſtarum.

Juvenes qui aquilam auream abſciderant, ad Herodē deducti, examinantur.

Juvenes cum Sophiſtis capitis damnati interficiuntur.

Herodes variis morbis vexatur. Ant. l. 17. cap. 9.

rum. Ille autem, quamvis cum tot morborum cruciatibus luctaretur, vitæ tamen cupidus erat, & remediis excogitatis salutem sperabat. Denique Jordanem transgressus, apud Calliroen aquis calidis utebatur, quæ in lacum feracem bituminis, qui Asphaltites vocatur, effluentes, pro dulcedine potui sunt. Ibi autem corpus ejus, quod medicis oleo calidiori foveri placuerat, in solium plenum demersum, ita dissolutum est, ut etiam lumina quasi mortuus resoluta torqueret. Deinde perturbatis, qui eum curabant, ad clamorem quidem illorum respicere visus est: desperata vero salute, militibus quinquagenas drachmas, multamque pecuniam rectoribus atque amicis dividi jussit. Cum autem rediens ad Hierichunta venisset, atra jam bili correptus, & pene ipsi morti minabatur: factumque nefarium excogitavit. Collectos enim cujusque vici ex omni Judæa nobiles, in locum, cui nomen est Hippodromus, concludi præcepit. Deinde Salome sorore & Alexa marito ejus ad se vocatis: scio, inquit, mortem meam festis gaudiis celebraturos esse Judæos. Verum per alios lugeri potero, & præclarissimos honores sepulturæ assequi, si quæ præcipio feceritis. Hos viros, qui habentur in custodia, cum animam efflavero, statim militibus circumdatos occidite: ut etiam invita omnis mihi Judæa, omnisque domus illachrymet. Et simul his mandatis, legatorum, quos Romam miserat, epistolæ sunt allatæ, quibus Acmen ancillam Juliæ jussu Cæsaris interemptam, & Antipatrum morte damnatum esse indicabatur. Quin & si pater eum in exilium dare mallet, id quoque permisisse Cæsarem, scriptum erat. Herodes autem

A. M. 3963. P.C.N. I.

Herodes morbis obiturus, aquis calidis utitur.

Atra bilis Herodi mortem minatur.

Herodes Roma literas, quibus Acmen jussu Cæsaris interemptam, & Antipatrum morte damnatum esse significatur, accipit.

A. M. 3963. P.C.N. I.

autem paululum hoc nuntio recreatus, doloribusque rursum victus (nam inedia tussisque pariter violentia distendebatur) fatum prævenire conatus est: sumptoque malo etiam cultellum poposcit: sectum enim comedere consueverat. Deinde circumspecto ne quis arbiter impediret, tanquam se percussurus, dexteram sustulit. Cum vero Achiabus consobrinus ejus accurrisset, manumque continuisset, ululatus maximus in regia statim, quasi Rex mortuus esset, excitatus est. Eoque propere audito, Antipater fiduciam recepit: lætusque jam custodes, promissa etiam pecunia, rogabat, ut se solverent atque dimitterent, quod eorum princeps non solum ne fieret, obstitit, sed etiam Regi velociter nunciavit. Ille autem fortius exclamans, quam vires ægrotantis valebant, continuo satellitibus missis occidit Antipatrum: mortuumque sepeliri præcepit in Hyrcanio. Deinde rursum corrigit testamentum, & successorem quidem Archelaum natu maximum Antipæ fratrem scripsit, Tetracham vero Antipam. Post interitum autem filii quinque diebus exactis moritur: annos quidem triginta quatuor, ex quo interfecit Antigonum, regno potitus: triginta vero & septem, postquam Rex a Romanis declaratus est. Et in aliis quidem omnibus, secunda fortuna usus est, si quis alius. Regnum enim quod privatus sibi quæsierat, tanto conservatum tempore, filiis suis reliquit. In rebus autem domesticis infelicissimus fuit. Salome autem, antequam resciret mortem Regis exercitus, cum marito progressa, vinctos absolvit, quos occidi mandaverat: ipsum dicens mutasse consilium, & unumquenque jussisse do-

Herodes doloribus victus, sibi ipsi violentas manus inferre cogitat.

Ant. lib. 17. cap. 16. Mors Antipatri.

domum dimitti. Atque ita poſt horum abitum militibus indicatur. Quibus in concionem cum alia turba in amphitheatrum apud Hierichunta collectis, Ptolemæus annuli Regis cuſtos, quo ſignare ſolitus erat, & fortunatum illum cœpit dicere, & multitudinem conſolari. Relictamque ab eo militibus epiſtolam recitavit, in qua multum rogabat, ut benevolo animo ſucceſſorem ſuum foverent. Deinde poſt epiſtolam teſtamentum legebat, in quo Philippum quidem hæredem Trachonis, proximarumque regionum : Tetrarcham vero, ſicut ſupra diximus, Antipam : Regem autem Archelaum ſcripſerat: eidemque annulum ad Cæſarem ferre mandaverat, aſſignatamque regni adminiſtrati notitiam. Omnium namque diſpoſitionum ſuarum dominum & confirmatorem Cæſarem eſſe voluit, cætera vero ſervari juxta ſuperius teſtamentum. Quo perlecto confeſtim clamor ſecutus eſt omnium Archelao gratulantium : militesque per cuneos, & populus adeuntes, ſuamque promittebant, Deique benevolentiam precabantur. Hinc ad ſepeliendum Regem operam contulerunt. Nihil autem munificentiæ prætermiſit Archelaus, ſed omnem ornatum extulit regium in funeris pompa ducendum. Lectus quippe totus erat gemmis auroque diſtinctus, thorus autem purpura variatus, corpusque ſuper eum velatum itidem purpura. Capiti autem diadema erat impoſitum : corona vero deſuper aurea, ſceptrumque in dextera, & circa lectum filii cum propinquis. Præterea ſatellites agmen-

A. M. 3963. P.C.N. I.

Ant l. 17. cap. 9.

Militibus ac multitudini Regis mors nunciatur.

Archelaus poſt patris obitum Rex declaratus.

Qua munificentia Herodes ſepultus.

A. M. 3963. P.C.N. 1. que Thracium, Germanique & Galli, velut ad bellum instructi omnes antecedebant. Cætera vero militum manus armata, ducesque suos ordinumque principes sequebantur decenter. Quingenti autem servi ac liberi odores ferebant: corpus autem per ducenta stadia portatum est in castellum Herodion: ibique secundum ipsius Regis mandata sepultum est. Et Herodis quidem Regis hic finis fuit.

# FLAVII JOSEPHI DE BELLO JUDAICO

## LIBER II.

### SUMMA CAPITUM LIBRI II.

De bello Judaico.

1. *De successoribus Herodis, & ultione directæ aquilæ aureæ.*
2. *De pugna & strage Hierosolymis inter Judæos & Sabinianos.*
3. *De Vari gestis circa Judæos crucifixos.*
4. *De Ethnarcha Judæorum instituto.*
5. *De subditicio falsoque Alexandro, eoque deprehenso.*
6. *De Archelai exitio.*
7. *De Simone Galilæo, & tribus sectis apud Judæos.*
8. *De Pilati regimine.*
9. *De superbia Caji, & Petronio Præside.*
10. *De imperio Claudii & regno Agrippæ ac morte.*
11. *De variis tumultibus in Judæa & Samaria.*
12. *De tumultibus in Judæa sub Felice.*
13. *De Præsidibus Judææ Albino & Floro.*
14. *De Floro sæviente in Judæos Cæsarienses & Hierosolymitanos.*
15. *De alia oppressione Hierosolymorum dolo Flori.*
16. *De Politiano tribuno, & oratione Agrippæ ad Judæos, ad obediendum Romanis hortantis.*
17. *De cœpta rebellione Judæorum contra Romanos.*
18. *De cæde Ananiæ Pontificis, Manahemi, & militum Romanorum.*
19. *De Judæorum maxima strage Cæsareæ & in omni Syria.*
20. *De Judæorum alia gravi cæde.*
21. *Judæi Alexandriæ occisi.*

22. *De clade Judæorum, autore Cestio.*
23. *De pugna Cestii contra Hierosolymam.*
24. *De obsidione Hierosolymæ a Cestio, & strage.*
25. *De Damascenorum sævitia in Judæos, deque Josephi studiis in Galilæa.*
26. *De Josephi periculis & evasione, & Joannis Giscalei malitia.*
27. *Tiberias a Josepho recuperatur & Sepphoris.*
28. *Quomodo Hierosolymitæ bello se præparaverint: deque Simonis Gioræ tyrannide.*

## CAPUT I.

### *De successoribus Herodis, & ultione directa aureæ aquilæ.*

A. M. 3964. P.C.N. 2. Ant. l. 17. cap. 11.

ARchelao autem Romam proficiscendi necessitas turbarum novarum principium fuit. Diebus enim septem in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus prolixe populo exhibitis (Hic autem mos apud Judæos necessario multos ad inopiam redegit: nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candida veste indutus procedit ad templum. Ibique variis favoribus exceptus a plebe, ipse quoque in excelso tribunali, solioque aureo residens, humanissime vulgus admisit: eisque & quod sepulturam patris sedulo curavissent, gratias egit, & quod sibi quasi certo jam Regi, magnos honores habuissent. Verum se tamen ait non potestate solum interim, sed etiam ipso Regis nomine temperare, donec a Cæsare sibi fuerit confirmata successio, qui etiam testamento rerum esset omnium dominus constitutus. Idcirco enim se apud Hierichunta voluntati exer-

Luctus & epulæ Archelai.

ci-

citus reſtitiſſe, cum ſibi diadema voluiſſet imponere. Cæterum pro alacritate ac benevolentia, æque militibus ac populo plenam ſe viciſſitudinem relaturum, ſi ab his quorum etiam eſſet imperium, certus Rex declaratus fuiſſet: ſtudiumque ſibi eſſe, ut erga illos rebus omnibus patre melior appareret. His gaviſa multitudo, ſtatim ejus mentem magnis tentare petitionibus cœpit. Namque alii tributa levari, alii vectigalia tolli, quidam ſolvi cuſtodias acclamabant. Cunctis autem poſtulatis, in gratiam populi facile annuebat Archelaus. Deinde celebratis hoſtiis, cum amicis erat in epulis. Ecce autem ſubito poſt meridiem congregati non pauci novarum rerum ſtudioſi, ubi communis luctus de Rege ceſſavit, propria lamenta ſuſcipiunt, flentes eorum caſum, quos propter abſciſſam ex porta templi aquilam auream Herodes morte damnaverat. Dolor autem non occultus erat, ſed clariſſimis queſtibus, fletuque juſto & planctu civitas perſonabat, virorum cauſa videlicet, quos pro templo ac legibus patriis interiiſſe dicebant. Eorum autem mortis pœnas, ab illis, quos Herodes pecunia donaſſet, repetendas eſſe clamitabant: ac primum, quem is conſtituerat, Pontificem rejiciendum, aliumque pietate præſtantem, magisque purum optari debere. Quibus etſi movebatur Archelaus ad ultionem, tamen eum profectionis feſtinatio continebat metuentem, ne ſi multitudinem reddidiſſet inimicam, motu ejus impediretur. Quamobrem monendo magis quam vi experiebatur ſedare turbatos: miſſoque magiſtro militum, ut quieſcerent, eos rogabat. Sed illum ſeditionis autores, ubi ad templum venit, prius

A. M. 3964. P. C. N. 2.

Archelaus ſubditis ſuis omnē benevolentiam & favorem pollicetur.

Seditio propter ſophiſtas ob abſciſſam ex porta templi aquilam auream trucidatos, coorta. Ant. l. 17. cap. 12.

Archelai in ſeditioſos benignitas.

A. M. 3964. P.C.N. 2. quam verbum faceret, lapidibus proturbarunt, & aliis post eum mulcendi sui gratia missis, multos enim legabat Archelaus, iracunde omnia responderunt: neque si numero aucti fuissent, otiosi fore videbantur. Itaque instante azymorum die festo, qui apud Judæos Pascha vocitatur, plurima victimarum copia plenus, infinita quidem ad templum ex agris multitudo religionis causa descendit: cum illi, qui sophistas lugebant, in templo consisterent, nutrimenta seditioni quærentes. Hoc autem metu Archelaus, antequam omnem populum morbus iste corrumperet, cohortem militum & tribunum, qui etiam seditionis principes comprehenderent, eo dirigit: contra quos omne vulgus excitatum, multos lapidum ictibus interfecit: saucius vero tribunus vix elabitur. Et illi quidem statim, veluti nihil mali actum esset, ad celebranda sacra conversi sunt. Sed Archelao sine cæde jam multitudo comprimi non posse videbatur. Quamobrem totum illis immisit exercitum, pedites per civitatem simul omnes, equitesque per campum: qui cum sacrificiis occupatos singulos invasissent, prope ad tria millia hominum occidunt: reliquam vero manum per montes proximos disjecerunt. Præcones autem sequebantur Archelaum, jussu ejus unumquemque, ut domum recederent, admonendo. Itaque cuncti neglecta diei festivitate, abiere. Ipse autem cum matre, nec non & Popla & Ptolemæo, & Nicolao amicis, ad mare descendit: relicto Philippo regni procuratore, itemque rerum familiarium curatore. Una vero egressa est cum filiis suis Salome, fratrisque Regis filii, generque, specie velut Archelao ad obtinendam

Pascha plurima victimarum copia celebratur

Tria millia Judæorum in Paschate trucidantur.

suc-

ſucceſſionem adjumento futuri: certa vero cauſa, quæ contra leges in templum admiſſa fuerant, delaturi. Interea fit illis Cæſareæ obviam Sabinus Syriæ procurator, ad Judæam veniens, ad pecunias cuſtodiendas Herodis, quem ulterius progredi Varus inhibuit, multis accitus Archelai precibus, intercedente Ptolemæo. Et tunc quidem Sabinus in gratiam Vari, neque ad arces venire properavit, neque theſauros paternæ pecuniæ clauſit Archelao: ſed usque ad cognitionem Cæſaris ſe otioſum eſſe pollicitus, apud Cæſaream commorabatur. Poſtea vero quam ſibi obſtantium unus Antiochiam petiit, alter, hoc eſt, Archelaus Romam navigavit, mature profectus in Hieroſolymam, Regiam tenet: cuſtodumque principibus, itemque diſpenſatoribus evocatis, rationes pecuniarum diſcutere conabatur, & arces occupare tentabat. Non tamen immemores Archelai mandatorum cuſtodes erant, ſed in obſervando ſingula quæque perſeverabant, cauſam cuſtodiæ magis Cæſari quam Archelao tribuentes. Ad hoc autem Antipas quoque de regno certabat, poſteriore ſuperius Herodis teſtamentum firmius eſſe defendens, in quo Rex ipſe Antipas fuerat ſcriptus: eique ſe tam Salome quam multi alii cognati, qui cum Archelao navigarant, ſuffragio fore promiſerant. Ducebat autem ſecum matrem, fratremque Nicolai Ptolemæum, in quo pro fide apud Herodem probata, non nihil videbatur eſſe momenti. Namque illi fuerat amicorum chariſſimus. Oratori autem Irenæo propter dicendi acrimoniam plurimum confidebat: unde etiam qui ſe moverant, ut Archelao pro ætatis merito, & ſecundi teſtamenti

A. M. 3964. P.C.N. 2.

Sabinus ad pecunias cuſtodiendas & arces occupandas adJudæam venit.

Ant. l. 17. cap. 13.

Antipas, poſteriore ſuperius Herodis teſtamentum firmius eſſe defendens de regno certat.

A. M. 3964. P.C.N. 2. voluntate cederet, audiendos esse non censuit. Romæ vero migraverunt ad eum cunctorum studia propinquorum, quibus invisus erat Archelaus, quique præcipue liberi omnes, suique juris esse cupiebant: & aut Romano magistratu administrari, aut si hoc non impetrarent, Antipam Regem habere. Ad hoc etiam Sabini ope nitebatur Antipas, qui Archelaum per epistolas accusaverat apud Cæsarem, Antipam vero multum laudaverat. Itaque digesta crimina Salome & cæteri, qui cum ea sentirent, Cæsari tradiderunt: & post eos Archelaus gestorum suorum perscripta capitula, patrisque annulum per Ptolemæum, rationesque administrationis intromisit ad Cæsarem, Ille autem secum præmeditans ea, quæ ab utraque parte dicerentur, ubi & regni magnitudinem, multitudinemque redituum animadvertit, atque insuper Herodis familiam numerosam, perlectis etiam Vari ac Sabini literis, optimates Romanorum ad concilium vocat, in quo tunc primum ex Agrippa ac filia sua natum Cajum sedere jussit, filium adoptivum: atque ita partibus prosequendi copiam dedit. Igitur Salomes filius Antipater (namque is erat orator acerrimus eorum, qui adversabantur Archelao) accusationem proposuit, insimulans Archelaum, quasi verbis quidem de regno videretur contendere, re autem vera jam dudum Rex esset effectus, & apud aures modo Cæsaris cavillaretur, quem judicem successionis expectare noluisset. Nam post Herodis mortem, quibusdam, ut diadema sibi imponerent, subornatis: Regis eum more in solio aureo residentem, partim ordines militiæ permutasse, partim condonasse promotiones: & insuper his

Antipas Archelaum per epistolas accusat apud Cæsarem.

Cæsar optimates Romanorum ad concilium vocat.

Vehemens Antipatri contra Archelaum accusatio.

omnia

omnia annuiſſe populo, quæ velut a Rege impetranda petiiſſet: maximorumque reos criminum, quos pater ſuus vinxerat, abſolviſſe: qui cum iſta feciſſet, modo regni umbram a domino poſtulaturus veniſſet, cujus ſibi corpus ipſe rapuiſſet, ut non rerum, ſed vocabulorum dominum eſſe Cæſarem demonſtraret. Ad hæc ei, quod etiam luctum patris aſſimulaſſet, objiciebat: cum interdiu quidem perſonam componeret *in mœrorem*, noctu vero ad commeſſationes usque potaret. Denique ſeditionem vulgi ex hac indignatione conflatam eſſe dicebat. Totius enim orationis ſuæ vires, eorum multitudine, qui circa templum cæſi fuerant, aſtruebat. Hos enim ad diem feſtum quidem veniſſe: ad hoſtias vero, quas ipſi mactandas venerant, *crudeliter* eſſe jugulatos: tantumque in templo funerum eſſe congeſtum, quantum nullum ab externis illatum bellum implacabile congeſſiſſet. Itaque hujus crudelitatis Herode præſcio, ne ſpe quidem regni unquam eum dignum eſſe viſum, niſi cum ſanæ mentis inops erat, animo deterius ægrotante, quam corpore, & quem in ſecundo teſtamento ſucceſſorem ſcriberet, ignorabat: præſertim, qui priore teſtamento ſucceſſorem ſcriptum incuſare nihil poſſet, quod *incolumi* corpore, omnique vitio purgata mente feciſſet. Ut tamen quis firmius eſſe ponat morbo laborantis arbitrium, ipſum ſe Archelaum abdicaſſe Regia dignitate, multis in eam contra leges admiſſis. Nam qualem fore, ſi acciperet a Cæſare principatum, qui antequam acciperet, tantum populum peremiſſet? Multa in hunc modum proſecutus Antipater, multis ex numero circumſtantium propin-

A. M. 3964. P. C. N. 2.

Antipater totius orationis ſuæ vires in Archelaũ exacuit.

Teſtamentum ægrotante Herode mutatum.

Antipater contra Archelaum.

A. M. 3964. P.C.N. 2. pinquorum in ſingula crimina teſtibus exhibitis peroravit. Surrexit autem Nicolaus defenſor Archelai, & ante omnia cædem in templo neceſſario factam eſſe perdocuit: nam quorum necis argueretur, non regni ſolum, ſed etiam ipſius judicis, id eſt, Cæſaris hoſtes fuiſſe: aliorum autem criminum ſuaſores adverſarios ipſos demonſtravit. Secundum vero teſtamentum idcirco ratum manere poſtulabat, quod Herodes in eo ſucceſſoris ſui firmatorem Cæſarem conſtituiſſet. Nam qui tantum ſaperet, ut rerum domino poteſtate ſua cederet, nec unquam in hæredis erraſſe judicio, ſed ſano corde, quem conſtitueret, elegiſſe, qui per quem conſtitui deberet, non ignoravit. Cum autem omnibus expoſitis, etiam Nicolaus peroraſſet, in medium progreſſus Archelaus, ad genua Cæſaris accidit ocyus. Quo perbenigne Cæſar erecto, quod paterna quidem ſucceſſione dignus eſſet, oſtendit: certum vero nihil pronunciavit. Sed illo die dimiſſo concilio, ſecum ipſe de cognitis deliberabat, utrum ex his, qui teſtamento continerentur, aliquem regni oporteret conſtitui ſucceſſorem, an toti familiæ diſtribui principatum. Multitudo enim perſonarum egere ſubſidio videbatur.

Nicolaus defendit Archelaum.

Archelaus ad genua Cæſaris accidit.

Cæſaris erga Archelaum benignitas & humanitas

## CAPUT II.

*De pugna & ſtrage Hieroſolymis inter Judæos & Sabinianos.*

Ant. lib. 17. c. 14. SEd antequam de his quicquam ſtatueretur a Cæſare, mater Archelai Malthace morbo correpta moritur. Et variæ literæ de Syria perlatæ ſunt, Judæos defeciſſe nunciantes: quod

Va-

Varus fore prospiciens, in Hierosolymam, post- A. M.
quam Archelaus navigarat, ascendit, ut incen- 3964.
tores seditionis prohiberet. Et quia multitudo P.C.N.
cessatura non videbatur, ex tribus, quas ex Syria 2.
duxerat secum, legionibus, unam in civitate re- Seditio in Hierosolyma.
liquit: atque ita in Antiochiam ipse remeavit.
At Sabinus cum postea in Hierosolymam venis- Sabinus
set, causas novarum rerum Judæis præbuit: arces occupare, ac
modo vim custodibus, ut sibi arces traderent, Regiis pecuniis potiri conatur.
adhibendo, nunc maligne Regis exquirendo pecunias. Non autem solis relictis a Varo militibus fretus erat, sed etiam servorum suorum multitudine, quos etiam omnes armatos avaritiæ ministros habebat. Festo autem quinquagesimo die, quæ Pentecoste a Judæis vocatur: septies septem diebus exactis rediens, ex eorum numero vocabulum nacta, non religionis solennitas populum, sed indignatio congregavit. Denique concursus infinitæ multitudinis ex Galilæa, itemque Idumæa & Hierichunte, transque Jordanem positis regionibus, factus est: cum indigena ex ipsa civitate populus Judæorum, & Judæi tripartita manu terna castra collocant.
numero simul, & alacritate præstaret: & in tripartita manu terna castra collocaverunt, una in septentrionali regione templi, altera in meridionali Hipodromum versus, tertiaque in occiduo prope Regiam tractu, circumsessosque Romanos undique obsidebant. Sabinus autem multitudine pariter, eorumque spiritu perterritus, crebris quidem Varum nunciis precabatur, ut quam mature ferret auxilium, quasi occisione delenda legione, si quid moræ interveniset. Ipse Sabinus in altissimam castelli turrim evadit.
vero in altissimam castelli turrim, quæ Phasaelus vocabatur, evadit, fratris Herodis cognominem, quem Parthi necaverunt. Hinc legiona-

A. M. 3964. P.C.N. 2. riis, ut in hoſtes irruerent, ſignum dabat. Nam præ timore nec ad eos, quibus ipſe præerat, deſcendere audebat. Ejus autem præcepto milites obedientes, in templum volant, vehementique cum Judæis pugna confligunt: in qua dum nemo deſuper adjuvaret, imperitos belli peritia ſuperabant. Poſtea vero quam multi Judæi porticibus occupatis, a vertice telis eos appetebant, plurimi conterebantur: & neque ex alto jaculantes ulciſci facile poterant, neque cominus dimicantes ferebant: ab utrisque tamen afflicti ſuccendunt porticus, opere, magnitudine atque ornatu mirabiles: ibique tum multi flamma ſubito comprehenſi, aut ea conſummebantur, aut in hoſtes deſilientes ab ipſis occidebantur: alii retrorſum cedentes præcipitabantur ex muro: nonnulli deſperata ſalute, incendii periculum ſuis gladiis præveniebant. Qui tamen ex mœnibus obrependo in Romanos feciſſent impetum, metu attoniti, nullo negotio ſubigebantur: donec omnibus aut interemptis, aut timore disjectis, theſauro Dei defenſoribus deſtituto manus milites attulerunt, & quadringenta ex eo talenta diripuere: quorum quæ furto ſublata non ſunt, conquiſivit Sabinus. At Judæos multo plures, magisque pugnaces, tam virorum quam opum interitus in Romanos contraxit. Obſeſſaque his Regia minitabantur exitium, niſi quamprimum inde ſecederent: Sabino, ſi vellet, una cum legione abeundi copiam pollicentes. Quibus opitulabantur regiorum plurimi, qui ad eos ſponte transfugerant. Pars tamen bellicoſior erat, Sebaſtenorum tria millia, hisque Rufus & Gratus præpoſiti, unus peditum rector, at vero equitum Rufus: quorum uterque

Pugna Judæorum cum Romanis.

Romani porticus ſuccendunt.

que vi corporis atque prudentia, etiamsi nullam manum obedientem haberent, magnum tamen momentum belli Romanis addidissent. Itaque Judæi quidem instare obsidioni, simul & castelli mœnia tentantes, & ad Sabinum clamantes, ut discederet, neu impediret habituros tanto post tempore patriam libertatem. Sabinus autem quamvis optaret evadere, fidem tamen pollicitationibus non habebat: sed eorum lenitatem, insidiarum esse illecebram suspicabatur: simulque auxilium Vari sperans, obsidionis periculum perferebat. Eodem tempore per Judæam plurimis locis tumultus erat, multosque ad regni cupidinem tempus impulerat. Nam in Idumæa quidem duo millia veteranorum, qui sub Herode militaverant, congregati, armisque instructi cum Regiis decertabant: quibus Achiabus Regis consobrinus, ex vicis munitissimis repugnabat, campestre prælium declinando. In Sepphori autem Galilææ, Judas filius Ezechiæ latronum principis, ab Herode quondam Rege capti, qui tunc illas regiones vastaverat, non parva multitudine collecta, ruptisque regiis armamentariis, & omnibus, quos circa se habebat, armatis, contra potentiæ cupidos manus movebat. Trans flumen quoque Simon quidam ex Regiis servis, pulchritudine simul & vastitate corporis fretus, imposito sibi diademate, cum latronibus, quos congregaverat, ipse circuiens, & apud Hierichunta Regiam, & multa alia magnifica diversoria igni corrupit, facilem sibi prædam ex incendio comparans. Omnesque habitationes, in quibus aliquid decoris erat, concremasset, nisi Gratus Regiorum peditum rector, ex Trachone sagittarios, itemque Sebastenorum

A.M. 3964. P.C.N. 2.

Ant. l. 17. cap. 15.

Simon Regius servus Diadema sibi ponit.

A. M. 3964. P.C.N. 2. pugnaciſſimos ducens, properaſſet occurrere. Ubi peditum quidem in pugna multi conſumpti ſunt: ipſe autem Simonem compendio prævenit, ardua valle fugientem, & ex transverſo percuſſum in cervice dejecit. Incenſæ ſunt autem & quæcunque Jordani proximæ fuerunt ſedes Regiæ, apud Betharantes, quorundam aliorum manu conflata ex locis ulterioribus. Tunc etiam paſtor quidam, cui nomen Athrongæus, regnum affectare auſus eſt, quæ ut ſperaret, vi corporis, animæque fiducia mortem contemnentis impulſus eſt, ac præterea fratrum quatuor ſibi ſimilium robore, quorum ſingulis, tanquam ducibus & ſatrapis attributa manu armatorum, ad incurſus utebatur. Ipſe autem veluti Rex majora negotia procurabat. Et tum quidem etiam diadema ſibi impoſuit. Non parvo autem poſt tempore, cum fratribus ſuis vaſtando territoria, & occidendo præcipue Romanos, itemque Regios, perſeveravit: cum nec Judæorum quisquam effugeret, qui lucrum aliquod ferens veniſſet in manus. Auſi ſunt etiam apud Ammauntem repertum Romanorum agmen circumvenire, qui frumenta legioni, atque arma portabant. Ubi Arium quidem centurionem, & quadraginta fortiſſimos jaculis confecere: cæteri vero in eodem periculo conſtituti, auxilio Grati, qui cum Sebaſtenis advenit, elapſi ſunt. Multis in hunc modum contra indigenas, itemque alienigenas per omne bellum geſtis, poſt aliquod tempus tres ex his comprehenſi ſunt: natu quidem maximus ab Archelao, duo vero, qui ætate ſequebantur, in manus Grati ac Ptolemæi delati. Nam quartus Archelao pactione conceſſit. Sed hic finis eos poſtea ſecutus eſt. Tunc

Athrōgæus paſtor quidam regnum affectat.

Finis & exitus belli.

au-

autem latrocinali bello cunctam inflammabant Judæam. A. M. 3964 P.C.N. 2.

## CAPUT III.

*De Vari gestis circa Judæos crucifixos.*

VArus autem acceptis Sabini & principum literis, toti legioni metuens, opem his ferre properabat. Itaque cum duabus reliquis legionibus, & quatuor alis equitum, in Ptolemaida profectus, eodem Regum atque optimatum auxilia convenire jussit. Ad hæc a Berytiis etiam, cum per eorum transiret oppidum, mille & quingentos accepit armatos. Ubi vero in Ptolemaidem tam cætera manus auxiliorum, quam propter Herodis inimicitias Aretas Rex Arabum, non cum exiguo numero equitum, peditumque pervenit, statim exercitus partem in Galilæam, quæ Ptolemaidi propinqua erat, dirigit, amici sui Galli filio his rectore præposito. Qui mox & adversus quos ierat, omnes in fugam vertit: & Sephori civitate capta, ipsam quidem incendit, incolas vero ejus servitio subjugavit. Varus autem ipse cum omni exercitu Samaria potitus, civitate quidem abstinuit, quod inter aliorum turbas nihil eam movisse deprehendit: castris autem ad vicum positis, qui appellatur Arun, Ptolemæi possessionem propterea direptam ab Arabis, & qui amicis Herodis infensi erant, inde ad Sappho progreditur, alterum vicum tutissimum: quem similiter, omnesque reditus ibi repertos depopulati sunt. Cædis autem, ignisque plena erant omnia, nec prædationi Arabum quicquam obstabat. Exusta est & Ammaus jussu Vari, necem Arii, cæterorumque

Ant. l. 17. cap. 16. Varus Romanis contra Judæos fert suppetias.

Varus castella, oppidis ac civitatibus quibusdam Judæorum potitur.

Ammaus exusta.

A. M. 3966. P.C.N. 4.

que indigne ferentis, habitatoribus ejus fuga diſperſis. Hinc progreſſus ad Hieroſolymam cum exercitu, ſolo viſu Judæorum caſtra disjecit: & alii quidem per agros abiere fugientes: qui vero intra civitatem degebant, ſuſcepto eo, ſeditionis cauſas in alios conferebant, nihil quidem ſe penitus moviſſe dicentes, ſed propter diem feſtum receptam neceſſario multitudinem, in civitate obſeſſos eſſe potius cum Romanis, quam cum diſſidentibus conſpiraſſe. Ante vero obviam ei venerant Joſephus, Archelai conſobrinus, & cum Grato Rufus, ducentes exercitum Regium, & Sebaſtenos, & Romanos milites ornatos habitu conſueto. Sabinus enim nec in os Vari venire paſſus, jamdudum ex civitate ad mare diſceſſerat. Varus autem diſpartitum adverſus autores tumultus per agros dimiſit exercitum: multisque ſibi exhibitis, quos minus turbulentos inveniſſet, cuſtodiæ tradidit: maxime vero nocentium prope ad duo millia cruci ſuffixit. Adhuc autem circa Idumæam ſupereſſe decem armatorum millia nunciato, confeſtim Arabas domum abire jubet: quod eos non auxiliantium more uti militia, ſed pro ſua libidine, & ſupra quam ipſe vellet, agros vaſtare perſpexit: ſuis autem comitatus agminibus, in adverſarios properabat. Verum illi ſe Varo, prius quam in manus veniretur, Achiabi conſilio tradiderunt. Varus autem multitudini venia data, duces ejus interrogandos miſit ad Cæſarem. At ille cum ignoviſſet cæteris, in nonnullos Regis cognatos (erant enim quidam inter eos Herodis propinqui) animadvertit, quod omnino contra Regem ſuum arma cepiſſent. Varus autem hoc modo rebus apud Hieroſolymam

Varus ad Hieroſolymam venit cum exercitu, ac ſolo viſu Judæorum caſtra disjecit.

Varus ad duo millia ſeditioſorum cruci ſuffigit.

Vari erga Idumæos facilitas ac benignitas

mam compositis, eademque legione, quæ dudum in præsidio civitatis fuerat, ibi relicta, Antiochiam rediit. A. M. 3966. P.C.N. 4

## CAPUT IV.

### *De Ethnarcha Judæorum instituto.*

ROmæ autem Archelao alia rursus cum Judæis causa conflata est: qui ante seditionem *permissu* Vari, legati exierant, jus genti suæ *liberum* petituri. Erant autem numero quinquaginta, qui venerant, & adstabant eis plus quam octo millia Judæorum Romæ degentium. Itaque convocato a Cæsare optimatum Romanorum amicorumque concilio in Palatini *Apollinis* templum, quod privatum ipsius erat ædificium admirandis opibus exornatum, multitudo quidem Judæorum constitit cum legatis, contraque Archelaus cum amicis. Cognatorum autem amici ab utraque parte secreti erant: nam & cum Archelao stare propter odium atque invidiam recusabant, & cum accusatoribus conspici pudore Cæsaris prohibebantur. Inter quos erat etiam Philippus Archelai frater, benevolo animo duabus ex causis præmissus a Varo, ut & *Archelao* subveniret, & si regnum *Herodis nepotibus* ejus distribui placuisset, partem aliquam mereretur. Jussis autem accusatoribus exponere, quænam contra leges fecisset Herodes: primum non se Regem, sed omnium, qui usquam fuissent, tyrannorum crudelissimum *tole*rasse dicebant. Deinde multis ab eo trucidatis, ea pertulisse superstites questi sunt, ut beatiores mortui putarentur. Non enim tormentis solum eum laceraſſe corpora subjectorum,

Ant. lib. 17. c. 17.

Archelaum Judæi in jus vocant.

Actis Judæorum adversus Herodem ejusque liberos accusatio.

Herodis Tyrannis & crudelitas.

A. M. 3966. P.C.N. 4

rum, ſed etiam gentis ſuæ civitatibus deformatis, exteras ornaviſſe, populisque alienis Judææ ſanguinem condonaſſe. Pro antiqua vero felicitate ac patriis legibus, nationem ſuam tanta egeſtate ſimul ab eo, atque iniquitate repletam, prorſus ut plures ex Herode paucis annis clades ſuſtinuerint, quam omni ævo majores ſui, poſtquam ex Babylone diſceſſere, perpeſſi ſunt, Xerxe tunc regnante ad diſcordias concitati. Verum ſe tamen ad eam modeſtiam ex adverſæ fortunæ conſuetudine profeciſſe, ut etiam ſucceſſionem voluntariam acerbiſſimæ ſervitutis ſubirent: qui & Archelaum tanti tyranni filium, patre mortuo Regem appellaſſent nihil morati, & una cum eo luxiſſent mortem Herodis, ac pro ejus ſucceſſore vota celebraſſent. Illum autem, quaſi metueret, ne non certus ejus *filius* videretur, a cæde trium millium civium regni ſumpſiſſe primordia: & quia principatum meruerit, tot immolaſſe Deo hominum victimas, tot feſto die templum cadaveribus impleviſſe. Recte igitur eos, qui de tantis malis ſupereſſent, aliquando reſpexiſſe calamitates ſuas, & belli lege cupere vulneribus excipiendis ora præbere: atque ab Romanis precari, ut Judææ reliquias miſericordia dignas exiſtimarent: neve quod ex ea natione reſtaret, his objicerent, a quibus crudeliſſime lacerabatur: ſed patriam ſuam conjungi Syriæ finibus, ac per judices Romanos adminiſtrari decernerent: hoc enim modo probatum iri, Judæos, qui nunc veluti turbulenti ac belli cupidi reprehenduntur, moderatis rectoribus obedire noſſe. Judæorum quidem accuſatio ejusmodi petitione concluſa eſt. Cum autem ſurrexiſſet contra Nicolaus, primum cri-

*Judæi ab Romanis, ut Judææ reliquias miſericordia dignas exiſtimarent, precantur.*

mi-

minibus, quæ in Reges erant propoſita, diſſolutis, nationem cœpit arguere: quia neque gubernari facilis eſſet, naturaque Regibus vix pateret: una etiam propinquos Archelai, qui ſe ad accuſatores contulerant, inſimulabat. Sed tum quidem partibus Cæſar auditis, conventum diremit. Paucis autem diebus poſt, mediam regni partem ſub Ethnarchiæ nomine dedit Archelao: etiam Regem, ſi ſe dignum præbuiſſet, facturum eſſe pollicitus. Reliquam vero dimidiam in duas Tetrachias diviſit, duobusque aliis Herodis filiis attribuit: unam Philippo, alteram Antipæ, qui cum Archelao de regno certaverat. Hujus parti ceſſerat trans flumen Regio, & Galilæa: quarum ducenta talenta reditus erant. Batanæa vero & Trachon, & Auranitis, & quædam partes domus Zenonis, circa Jamniam, Philippo deſtinatæ ſunt: quæ talentorum centum reditus miniſtrabant. Archelai vero Ethnarchia Idumæam, omnemque Judæam, & Samariam habebat, quarta tributorum parte levatam, pro munere, quia non rebellaſſet cum cæteris. Ac civitates, quibus imperaret, ei traditæ ſunt, Stratonis pyrgus, & Sebaſte, & Joppe, & Hieroſolyma. Cæteras autem, Gazam & Gadaram & Hippon, regno avulſas, Syriæ Cæſar adjecit. Erant autem reditus Archelai, quadringenta talenta. Quin & Salomen præter illa, quæ teſtamento Regis ei relicta erant, Jamniæ dominam, & Azoti, & Phaſaelidis idem Cæſar conſtituit: Regiamque apud Aſcalonem largitus eſt: ex quibus omnibus talentorum ſexaginta reditus colligebantur. Domum vero ejus Ethnarchiæ ſubdidit Archelai. Quum autem cæteris quoque Herodis propin-

A. M. 3966. P.C.N. 4

Archelaus cochelaü ſaram Cæſare & conſiliarii defendit.

Archelaum Cæſar Judææ Ethnarcham conſtituit.

Regni inter Herodis filios diſtributio

Civitates quibus imperavit Archelaus.

Salome Iamniæ, Azoti & Phaſaelidis domina.

A. M. 3966. P.C.N. 4. quis teſtamento relicta ſolviſſet, duas ejus filias virgines extrinſecus quingentis millibus pecuniæ donavit: easque nuptum Pheroræ filiis collocavit. Diviſo autem Herodis patrimonio, etiam ſibi relictas ab eo facultates ad mille talenta eis diſtribuit: exceptis ſuo nomine quibusdam rebus viliſſimis, propter honorem defuncti.

## CAPUT V.

*De ſubditicio falſoque Alexandro, eoque deprehenſo.*

Ant. l. 17. cap. 18. Juvenis quidam ſe Alexandrum, quem Herodes necaverat, eſſe mentitus, Judæorum plurimos fallit.

INterea quidam juvenis, natione Judæus, apud quendam libertinum Romanorum in Sidoniorum oppido educatus, illum ſe formæ ſimilitudine, quem Herodes necaverat, Alexandrum eſſe mentitus, fallendi ſpe Romam venit. Hujus autem facinoris habebat ſocium quendam gentilem ſuum, omnes regni actus optime ſcientem: a quo inſtructus, affirmabat eorum ſe miſericordia, qui ſui, atque Ariſtobuli occidendi cauſa miſſi fuerant, ſimilibus corporibus ſubditis, morti eſſe ſubreptos. Denique his multos jam Judæos fefellerat, in Creta degentes: ac liberaliter illic acceptus, Melumque inde transmiſſus, ibique ampliore quæſtu cumulatus, etiam hoſpites ſuos magna veriſimilitudine Romam ſecum navigare pellexerat. Poſtremo delatus Dicæarchiam, multisque muneribus ab Judæis ejus loci donatus, quaſi Rex a paternis amicis deducebatur. Ad hoc enim fidei proceſſerat formæ ſimilitudo, ut qui Alexandrum illum viderant, planeque noverant, hunc eum eſſe jurarent. Igitur omnes etiam Romæ Judæi, viſendi ejus ſtudio circumfuſi properabant: & infinita multitudo per vicorum anguſtias, quocunque fereba-

batur, conveniebat. Tanta namque dementia multos ceperat, ut illum ſella portarent, ac regale obſequium propriis ei ſumptibus exhiberent. Sed Cæſar Alexandri vultum optime ſciens (accuſatus enim apud eum fuerat ab Herode) & ſi prius quam videret hominem, fallaciam ſimilitudinis adverterat, hilariori tamen animi ſpei nonnihil indulgendum putavit: & Celadum quendam, qui Alexandrum bene cognoſceret, miſit, ut ad ſe adoleſcentem deduceret. Qui illo conſpecto, ſtatim perſonæ differentiam conjectura deprehendit. Maxime vero, ubi corporis ejus duritiem, & ſervilem formam conſideraverit, intellexit omne commentum. Valde autem commotus eſt dictorum ejus audacia: de Ariſtobulo enim percontantibus ſalvum quidem illum eſſe commemorabat: conſulto vero non adeſſe, quia apud Cyprum degeret cavendo inſidias: minus enim ſe circumveniri poſſe disjunctos. Itaque ab aliis ei ſeparato vitam dixit a Cæſare præmium fore: ſi tantæ fraudis prodidiſſet autorem. Id autem ſe facturum ille pollicitus, ad Cæſarem ſequitur: & Judæum indicat, qui formæ ſuæ ſimilitudine abuſus eſſet ad quæſtum. Tanta enim dona ex civitatibus eum ſingulis abſtuliſſe docuit, quanta vivus Alexander non accepiſſet. Riſit his Cæſar: & falſum quidem Alexandrum, propter habitudinem corporis, remigum numero inſeruit, ſuaſorem vero ejus interfici juſſit. Meliis autem ſumptuum detrimentum pro amentiæ precio ſatis eſſe judicavit.

A. M. 3966. P.C.N. 4.

Cæſar adoleſcentem videre cupit.

Alexandrū falſum Cæſar remigum numero inſerit, ſuaſorem vero ejus interfici jubet.

A. M. 3973. P. C. N.

## CAPUT VI.

### *De Archelai exitio.*

II. Ant. l. 17. cap. 19.

ETHnarchia vero ſuſcepta, memor diſcordiæ ſuperioris Archelaus, non ſolum Judæis, ſed etiam Samarienſibus crudeliter abuſus eſt. Nonoque principatus ſui anno legatis contra ſe ab utrisque ad Cæſarem miſſis, ipſe quidem in exilium pellitur Viennam Galliæ civitatem: patrimonium vero ejus fiſco Cæſaris adjudicatur: quem quidem, prius quam evocaretur ad Cæſarem, hujuſcemodi ſomnium vidiſſe commemorant: Novem ſpicas plenas & maximas a bobus comedi ſomniaverat: accitos deinde vates, Chaldæorumque nonnullos, quidnam illo putarent indicari ſomnio, conſuluerat. Aliis autem aliter interpretantibus, Simon quidam Eſſenus genere, dixerat ſpicas annos arbitrari, bovesque rerum mutationes: eo quod agros arando verterent ac mutarent. Ideoque regnaturum quidem illum eſſe tot annos, quot ſignificaſſet numerus ariſtarum: varias autem rerum mutationes expertum, eſſe moriturum. Hisque auditis, Archelaus quinque diebus poſt ad cauſam dicendam eſt evocatus. Dignum autem memoria duxi, etiam conjugis ejus Glaphyræ ſomnium, Archelai filiæ Cappadocum Regis referre: quam cum Alexander prius habuiſſet uxorem, frater hujus, de quo loquimur, Herodis filius Regis, a quo ille interfectus eſt, ſicut jam deſignavimus, poſt illius mortem Jubæ Regi Libyæ nuptam, eoque defuncto domum reverſam, domique apud patrem in viduitate degentem, Ethnarches Archelaus, ubi conſpexit, ad hoc amoris accenſus eſt, ut eam ſtatim repudiata con-

Archelaus propter tyrannidem in exilium pellitur, ejusque patrimonium fiſco Cæſaris adjudicatur.

Archelai de bobus & ſpicis ſomnium.

Archelaus repudiata Mariamme, Glaphyram ſibi copulat.

conjuge ſua Mariamme, ſibi copularet. Hæc igitur brevi tempore, poſtquam in Judæam rediit, videre viſa eſt ſuperſtantem ſibi Alexandrum dicere: ſatis fuerat tibi Libycum matrimonium: ſed tu illo non contenta, rurſus ad meos penates reverteris avidiſſima viri tertii: & quod gravius eſt, mei fratris juncta matrimonio. Equidem non diſſimulabo contumeliam, teque, licet invitam, recuperabo. Atque hoc expoſito ſomnio, vix biduum ſupervixit. A. M. 3973. P. C. N. 11. Glaphyra in ſomnio Alexandrum videt.

## CAPUT VII.

### *De Simone Galilæo, & tribus ſectis apud Judæos.*

IGitur Archelai finibus in provinciam redactis, procurator Coponius quidam eques Romanus miſſus eſt, ea ſibi a Cæſare poteſtate mandata. Hoc diſceptante, Galilæus quidam, Simon nomine, defectionis arguebatur: quia indigenas increparet, ſi tributum Romanis pendere paterentur, dominosque poſt Deum ferre mortales. Erat autem propriæ ſectæ ſophiſta, nulla in re ſimilis aliis. Etenim tria ſunt apud Judæos genera philoſophiæ: horum unum Phariſæi profitentur, alterum Sadducæi, tertium vero, quod etiam probabilius habetur, Eſſeni colunt, gente quidem Judæi, verum inter ſe mutuo amore conjunctiſſimi: & qui præter cæteros, voluptates quidem quaſi maleficia vitarent: continentiam vero ſervare, neque cupiditati ſuccumbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem faſtidiunt, alienos vero filios, dum adhuc molles ſunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, ſuis moriAnt. l. 18. cap. 12.

Tres Judæorum ſectæ, quarum Eſſenorum probabilior.

Eſſenorum de conjugio doctrina.

A. M. 3973. P.C.N. 11. ribus diligenter inſtituunt: non quia coniugia, vel humani generis ſucceſſionem cenſeant perimendam: ſed quia cavendam putent intemperantiam fœminarum, nullam earum uni viro fidem ſervare credentes: Quin & divitiarum contemptores ſunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque invenias alteri alterum opulentia præſtare: legemque ſibi dixerunt, ut qui diſciplinam ſuam ſectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel divitiarum dignitas appareret: ſed permixtis facultatibus, velut inter fratres, unum eſſet omnium patrimonium. Probro autem ducunt oleum, & ſi quis vel invitus unctus fuerit, munditiis corpus abſterget: quoniam ſqualorem, decorem putant, dummodo ſemper in veſte ſint candida. Deſignatos autem communium rerum procuratores habent, & ad uſus omnium ſingulos indiviſos. Non eſt autem illis una civitas certa, ſed in ſingulas multi domicilia transferunt: & aliunde advenientibus ſectæ ſuæ profeſſoribus, quicquid habeant, promptum exhibent, quaſi proprium. Denique tanquam conſuetiſſimi ad eos ingrediuntur, quos nunquam ante viderunt. Hinc eſt, quod cum peregrinantur, propter latrocinia tantum armantur, neque præterea quicquam ferunt. In ſingulis autem civitatibus, ex eodem collegio ſpecialis curator hoſpitum conſtituitur: qui eorum veſtimenta cæteraque uſui neceſſaria tueatur. Amictus autem cultusque corporis omnibus pueris, in metu, & ſub cura magiſtri agentibus, par eſt. Nec vero veſtitum ſive calceos mutant, niſi aut omnino conſciiſis prioribus, aut longi temporis uſu

Eſſenorum bona communia.

Eſſenorum hoſpitalitas.

Amictus cultusque corporis Eſſenorum par eſt.

con-

consumptis. Nihil autem inter se mercantur aut vendunt: sed egenti quisque quod habet præbens, refert ab eo quod ipse non habet · quamvis etiam sine permutatione cunctis libera sit facultas, a quibus libuerit accipiendi quod opus sit. Præcipue circa Deum religiosi sunt. Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam vota celebrant, quasi, ut oriatur, precantes. Deinde ad quas venerunt singuli artes, a curatoribus dimittuntur. Cumque ad horam quintam studiose fuerint operati, rursus in unum congregantur: linteisque præcincti velaminibus, ita corpus aquis frigidis abluunt. Atque hac lustratione facta in eadem secreta coeunt, quo neminem alterius sectæ hominem aspirare concessum est, ipsique purificati, velut in sanctum quoddam templum, in cœnaculum veniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis cocus apponit. Deinde voce cibum sacerdos antevenit: neque gustare quenquam fassus fas est, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandii vota repetunt. Nam & cum incipiunt, & cum desinunt, quasi datorem victus, Deum laudibus canunt. Tunc veluti sacris illis depositis vestimentis, in opere usque ad vesperam versantur. Similiterque inde reversi cœnant, consedentibus etiam hospitibus, si quos forte interveniisse repererint. Neque vero clamor unquam tectum illud, neque tumultus inquietat: quum etiam loquendi ordine aliis alii cedant: eorumque silentium, extra tectum constitutis arcanum quoddam videatur venerabile. Cujus quidem rei perpetua sobrietas causa est,

A. M. 3973. P.C.N. 11.

Essenorum religio & labor.

A. M. 3973. P.C.N. 11. quodque apud eos edendi aut potandi modus ſaturitate definitur. Sed quamvis aliarum rerum nihil ſine præcepto faciunt curatoris, tamen in his duobus, hoc eſt juvando & miſerendo ſui juris ſunt. Nam & ſubvenire dignis, cum opus eſt, ſuo arbitrio cuique licet, & indigentibus alimenta porrigere. Sane cognatis dare aliquid ſine curatoribus, interdictum. Iidem iracundiæ moderatores juſti ſunt, indignationem cohibent, fidem tuentur, paci obſecundant: & omne quod dixerint, jurejurando fortius habent. Ipſum autem jusjurandum quaſi perjurio deterius vitant. Jam enim mendacii condemnatum arbitrantur, cui ſine Deo non creditur. Summum autem ſtudium veterum ſcriptis adhibent: ea maxime inde, quæ animæ & corpori expediant, eligentes. Hinc illis morborum remedia, ſtirpes medicæ, quamque vim propriam ſinguli lapides habeant, rimantibus conquiruntur. Sectæ vero ſuæ ſtudioſis non ſtatim cum eis una collectio: ſed per annum integrum extrinſecus commoranti, cuique eundem victus ordinem tribuunt: dolabellam quoque, & quod prædictum eſt perizoma, & albam veſtem tradentes. Cum vero proceſſu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum: & purioribus, ob caſtificationem ſcilicet, aquis participat: neque tamen in convictum aſſummitur. Poſt oſtenſionem quippe continentiæ, duobus annis aliis mores ejus probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in conſortium aſſummitur. Prius vero quam incipiat communem habere cibum, magnis execrationibus adjurat ſe primum quidem colere Deum, deinceps quoque erga homi-

Eſſeni juvando & miſerendo ſui juris ſunt, præterea nihil abſque præcepto curatoris faciunt.

Eſſeni jusjurandum vitant.

Eſſenorum execrationes & pacta.

nes

nes ſervare juſtitiam, & neque propria ſponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obeſſe: quin imo iniquos omnes odiſſe, & collaborare ſemper juſtitiæ ſectatoribus, fidem omnibus ſervare, maxime vero Principibus. Neque enim absque voluntate Dei, cuiquam poſſe Principatus potentiam contingere. Si vero ipſe cæteris præſit, nunquam ſe abuſurum viribus poteſtatis ad contumeliam ſubjectorum, ſed neque veſte aut ambitioſo aliquo ornatu reliquis eminere, veritatem ſemper diligere, & habere propoſitum convincere mentientes. Manus vero a furto, & animam puram ſervare ab injuſtis compendiis: & neque aliquid de myſteriis conſectaneos celare, neque profanis eorum quippiam publicare, etiam ſi intentata quispiam morte compellat. Super hæc autem addunt, nihil ſe de dogmatibus aliud, quam ipſi ſuſceperint, tradere. Fugere autem latrocinia, & conſervatum ire ſimul, & dogmatis ſui libros, & angelorum nomina. His quidem execrationibus explorant, & quaſi præmuniunt accedentes. Deprehenſos vero in peccatis a ſua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miſerabili plerumque morte conſummitur. Illis quidem ſacramentis ac ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt: herbas vero pecudum more decerpens, & fame exeſus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miſerati, extremum ſpiritum agentes receperunt: ſufficientem pro peccatis eorum, quæ usque ad mortem adduxerit, pœnam luiſſe cenſentes. In judiciis vero ſunt diligentiſſimi atque juſtiſſimi. Diſceptant autem non minus, quam centum in unum coacti: quod autem

A. M. 3973. P.C.N. 11.

Eſſeni in judiciis diligentiſſimi atque juſtiſſimi.

A. M. 3973. P.C.N. 11. tem ab his decretum fuerit, immobile manet. Veneratio quoque apud eos poſt Deum magna legislatoris eſt: ita ut ſi quis eum blaſphemaverit, morte damnetur. Senibus vero obedire, & plurium quorumque decreto, probabile arbitrantur officium. Cum ſimul denique ſederint decem, nullus unus novem loquitur invitis. Ex-

Eſſeni ſabbathum diligenter obſervant.

puere quoque medium eorum, vel in dexteram ſui partem, quisque devitat. Sabbatis quoque operationem aliquam contigiſſe, omnibus Judæis diligentius cavent: neque cibum ſibi ſolum pridie præparant, ne videlicet illo die ignem accendant: ſed neque vas aliquod transponere audent, imo nec alvum purgant. Aliis autem diebus fodientes foveam uno pede altam, ſcalidi, hoc eſt, illa dolabella, quam tradi nuper accedentibus diximus, demiſſa veſte ſeſe diligentiſſime contegentes, ne ſcilicet ſplendori divino injuriam faciant, in eadem fovea ab onere ventris levantur, ac deinceps terram, quam effoderant, reducunt: idque ipſum faciunt in locis ſecretiſſimis: & cum naturalis ſit iſta purgatio, nihilominus tamen ſolenne habent, ut quaſi ab immunditia diluantur. Diſcernuntur autem inter ſe, ſecundum ſuſceptæ abſtinentiæ tempora, in ordines quatuor: tantumque hi, qui juniores ſunt, inferiores præcedentibus æſtimantur, ut ſi aliquos eorum contigerint, quaſi a

Eſſenorum longævitas

contrectatu alienigenæ diluantur. Vivunt autem quam longiſſime, ita ut plurimi eorum usque ad centenariam proferantur ætatem, propter ſimplicitatem victus, ut equidem puto, & inſtitutionem bene in omnibus ordinatam. Sunt etiam contemptores adverſorum: cruciatus ſiquidem vincunt firmitate conſilii. Mortem

vero,

vero, si cum decore obeunda sit, judicant etiam immortalitate meliorem. Prodidit autem eorum in omnibus negotiis animos, bellum, quod gestum est cum Romanis. Tunc siquidem per artuum confractiones & ignes, ac per tormenta omnigena transeuntes, ut videlicet vel in legislatoris aliquid loquerentur injuriam, vel ciborum quippiam, quod non solent, ederent, ad neutrum horum potuerunt compelli: sed neque deprecari suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia: in mediis quinimo cruciatibus subridentes, & eis, qui tormenta admoverant, illudentes, constantes animas cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eas essent denuo recepturi. Opinio quippe apud illos firmata consistit, corruptibilia quidem esse corpora, materiamque eorum non esse perpetuam: animas autem immortales semper manere, & de æthere subtilissimo commeantes, quasi carceribus ita corporibus implicari, velut quas illecebra naturalis attraxerit. Quum vero fuerint a carnalibus relevatæ vinculis, quasi de servitute longissima liberatas, ita illico lætari eas, sublimesque ferri. Et quidem bonas, concinentes in hoc Græcorum sententiis, pronunciant ultra Oceanum degere, ubi eis sit reposita perfruitio: illic quippe esse regionem, quæ neque imbribus, neque nivibus, neque æstibus aggravetur: sed quam Oceano oriens Zephyrus & leniter aspirans amœnet. Malis autem animabus procellosa loca & hyberna delegant, plena gemitibus, exercendarum sine fine pœnarum. Videntur autem mihi secundum hanc ipsam intelligentiam Græci quoque fortibus suis, quos Heroas & semideos vocaverunt, beatorum insulas se-

A. M. 3979. P. C. N. 17.

Essenorum in bello cum Romanis gesto constantia.

Esseni animas immortales putant mortuorum vero resurrectionem non credunt.

Græcorum de anima humana sententia.

A. M. 3979. P.C.N. 17. queſtraſſe: improborum autem animabus locum apud inferos impiorum: in quo etiam cruciari quosdam commentati ſunt, Siſyphos videlicet, & Tantalos, & Ixiones, & Tityos: principio quidem immortales eſſe animas exiſtimantes, ob adhortationem utique virtutis, dehortationemque nequitiæ: bonos quippe fieri in hujus vitæ converſatione meliores, per ſpem bonorum etiam poſt lucem redhibendorum: improborum autem impetum retardari æſtimantes: quoniam etſi in hujus vitæ ſpatio latuerint, poſt obitum tamen ſint immortalia tormenta paſſuri. Hæc ſunt ergo, quæ Eſſeni de divinitate animæ philoſophantur, plane illecebram inevitabilem eis, qui ſemel de eorum ſapientia guſtaverint, reponentes. Sunt autem in eis, qui etiam futura noſſe promittant, ſacris videlicet libris, & variis ſanctificationibus, prophetarumque dictis a primis ætatibus adhærentes: raro autem accidit, ut prædictiones eorum fruſtratio conſequatur. Eſt autem aliud etiam Eſſenorum collegium, cibos quidem & mores legesque ſimiles cum prioribus habens, diſtans vero opinione de conjugio. Maximam ſiquidem vitæ hominum partem, ſucceſſionem ſcilicet, amputare eos, qui abſtineant nuptiis, arbitrantur: quippe ſi in eandem velint omnes ire ſententiam, defecturum confeſtim genus humanum. Nihilominus autem cum tanta ipſi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum: & ſi conſtanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia adſciſcunt. Nemo tamen eorum cum prægnante concumbit: ut oſtendant, quod nuptias non voluptatis, ſed liberorum cauſâ inierint. Lavantibus autem

Prophetia Eſſenorum

Eſſenorum collegium aliud a priore opinione de conjugio diſcrepans.

tem fœminis, ita ut viris, perizomatum ineſt amictus. Tales ſunt mores hujus collectionis. Duorum autem priorum ordinum, Phariſæi dicuntur, qui certiorem legalium rituum notitiam profitentur: & hi primum dogma habent, ut fato & Deo univerſa deputent: & quidem vel agere, quæ juſta ſunt, vel negligere, ſecundum majorem partem eſſe in hominibus profitentur: adjuvare tamen in ſingulis & fatum. Animam autem omnem quidem incorruptam eſſe, tranſire autem in alia corpora ſolas bonorum, improborum vero interminabili ſupplicio cruciari. Sadducæi porro ſecundus ordo, fatum omnino negant: & Deum extra omnem mali patrationem inſpectionemque conſtituunt. Ajunt autem electioni hominum vel bonum vel malum eſſe propoſitum: & ſecundum voluntatem propriam, alterutrum unicuique contingere. Animarum autem generaliter vel ſupplicia denegant, vel honores. Et Phariſæi quidem ſociales, & qui ſtudeant ſe mutua dilectione complecti: Sadducæi vero & inter ſe feris moribus diſcrepantes, & converſatio eorum circa exteros inhumana. Hæc ſunt quæ de Judæorum philoſophis dicenda reperi: nunc ad inceptum revertor.

A. M. 3997. P.C.N. 35.

Secunda ſecta Phariſæorum.

Tertia ſecta Sadducæorum.

## CAPUT VIII.

### *De Pilati regimine.*

ARchelai Ethnarchia in provinciam redacta, reliqui, id eſt, Philippus & Herodes, qui cognominabatur Antipas, Tetrarchias ſuas regebant. Salome enim moriens Juliæ Auguſti conjugi toparchiam, quam rexerat, & Jamniam, &

Ant. lib. 18. c. 6.

in

A. M. 4001. P.C.N. 39. in Phaſaelide palmeta teſtamento reliquit. Delatum autem ad Tiberium Juliæ filium Romano imperio, poſt mortem ſcilicet Auguſti, qui præfuit rebus annis ſeptem & quinquaginta, menſibus ſex, diebus duobus, manentes in Tetrarchiis ſuis Herodes ac Philippus: hic quidem juxta fontes ipſos, e quibus Jordanis flumen exoritur, in Paneade condidit civitatem, quam Cæſaream vocitavit: aliamque in inferiore Gaulanitide, quam Juliadem nominavit. Herodes vero in Galilæa Tiberiadem, in Peræa autem cognominem Juliæ. Miſſus autem a Tiberio in Judæam Pilatus, cum curandam accepiſſet regionem, nocte intempeſta opertas in Hieroſolymam intulit imagines Cæſaris, quæ res poſt triduum ingentem inter Judæos ſuſcitavit tumultum: nam qui aderant, ſtupore permoti ſunt, quaſi jam profanatas leges ſuas viderent. Nullum enim fas eſſe dicunt collocari in urbe ſimulacrum. Ad querelam autem eorum, qui in civitate erant, ſubito etiam ex agris multitudo confluxit. Euntes autem illico Cæſaream ad Pilatum, intentiſſime deprecabantur, ut ab Hieroſolymis auferrentur imagines, & eis jura patria ſervarentur. Pilato autem ſupplicantibus abnuente, circa domum ejus proni corruerunt: & immobiles quinque diebus continuis noctibusque manſere. Poſt autem Pilatus tribunal aſcendens, ſtudio magno convocat multitudinem Judæorum, quaſi qui eis vellet dare reſponſum: cum ſubito milites accepto ſigno (ſic enim jam fuerat præparatum) armati circumſteterunt Judæos: circumdataque triplici acie, Judæi quidem ſtuporis erant pleni, videntes inſperatam rerum faciem. Tunc Pilatus denuncians trucida-

Pilatus Judæi patrias ipſorum leges mutari concedere nolūt.

Pilatus circa religionem ſtudium populi demiratus de Hieroſolymis ſtatuas auferri jubet

cidaturum se omnes, nisi imagines Cæsaris susciperent, annuit militibus ut educerent gladios. Judæi autem quasi uno consilio omnes subito corruerunt, & cervices nudatas excipiendis ictibus pararunt, vociferantes universos se interfici magis velle, quam legem profanari. Tunc Pilatus circa religionem studium populi demiratus, confestim de Hierosolymis statuas jussit auferri. Deinde vero conturbationem alteram commovebat: *Est apud eos sacer thesaurus, quem Corban dicunt, hunc ad inductionem aquarum jussit expendere*: erat autem inducenda aqua ab stadiis trecentis. Ob hoc itaque vulgi oriebantur querelæ: ita ut etiam Pilati, qui Hierosolymam venerat, cum clamore circumdarent tribunal. Ille autem præviderat tumultum eorum: siquidem populo permisit armatos milites, qui *tunc* essent privatorum vestibus induti: præcepitque, ut gladiis quidem non uterentur, fustibus autem acclamantes ferirent. Sicque compositis rebus, dat ex tribunali signum, confestimque cædebantur Judæi: quorum multi quidem plagis, multi vero se invicem conculcantes, in fuga misera contritione perierunt. Tunc ad calamitatem interfectorum stupens multitudo conticuit: atque ob hoc accusator Herodis Tetrarchæ Agrippa, qui fuit filius Aristobuli, quem pater Herodes interfecit, ad Tiberium venit. Illo autem non suscipiente accusationem, residens Romæ & reliquorum quidem potentium notitias ambiebat: maximis autem colebat officiis Germanici filium Cajum, cum adhuc esset privatus. Et quodam die inter copiosum epularum apparatum, quibus eum demerebatur, ad ultimum extensis manibus, aperte

A. M. 3997. P.C.N. 35.

Pilatus Judæos seditiosos compescit, eosque fustibus ferri jubet.

A. M. 3998. P.C.N. 36.

Agrippa, Aristobuli filius Tiberium adit, ac in Caji Caligulæ amicitiam sese insinuat.

A. M. 4001. P.C.N. 39. Deum cœpit precari, celeriter illum mortuo Tiberio dominum cunctorum videre. Hoc cum quidam e familiaribus ejus Tiberio nunciasset, statim concludi jussit Agrippam: qui sub grandi ærumna, usque ad mortem Tiberii, in carcere per menses sex tenebatur. Sed defuncto eo, post regnum annorum duorum & viginti, sex mensium, trium dierum, succedens in imperium C. Cæsar absolvit Agrippam vinculis, & Tetrarchiam Philippi (jam enim is decesserat) ei tradidit, Regemque appellavit. Cum venisset autem in regnum Agrippa, Herodis Tetrarchæ cupiditates per invidiam suscitavit. Irritabat autem eum maxime in spem regni Herodias uxor, exprobrans ei socordiam, & dicens, quia per id, quod noluerat ad Cæsarem navigare, careret potestate majore: nam cum Agrippam ex privato Regem fecisset, quomodo dubitaret illum ex Tetrarcha eodem honore donare? His adductus Herodes, venit ad Cajum, a quo ob avaritiam vehementer increpitus, ad Hispaniam fugit: secutus eum quippe fuerat accusator Agrippa, cui etiam Tetrarchiam illius C. Cæsar adjecit. Atque ita Herodes quidem in Hispania, peregrinante secum etiam uxore, decessit.

Tiberius annos 22. menses 6. ac tres dies regnat.

Agrippæ Aristobuli filio C. Cæsar tetrarchiam tradit, Regemque appellat. Ant. lib. 18. c. 14.

A. M. 4002. P.C.N. 40. Herod. peregrinante secum uxore decedit.

## CAPUT IX.

*De superbia Caji, & Petronio Præside.*

Ant. l. 18. cap. 15.

CAjus vero Cæsar intantum contumelioſe abusus est fortuna, ut etiam & Deum se putaret, & vellet vocari. Patriam quoque suam multorum nobilium cæde truncavit. Extendit autem impietatem suam etiam in Judæam: Petronium denique cum exercitu Hierosolymam mi-

Cajus Cæsar Deum se putat & vocari cupit.

miſit, præcipiens, ut in templo ſtatuas ejus locaret: quas niſi ſuſciperent Judæi, contradicentes quidem ex his interficeret, reliquam vero multitudinem captivaret. Permovebat autem hoc profecto Deum. Et Petronius quidem cum tribus legionibus, multisque e Syria auxiliaribus properabat in Judæam ex Antiochia. Judæorum vero quidam non credebant famæ bellum nuncianti: qui vero credebant, nihil de reſiſtendo poterant comminiſci. Celeriter autem in omnes pervadit metus, nam jam Ptolemaidem pervenerat exercitus. Eſt autem hæc civitas Galilææ littore in magno campo ſita: circumdatur autem montibus ab orientali plaga per ſexaginta ſtadia diſparatis, ſed ad Galilæam pertinentibus: a meridiana autem Carmelo, qui abeſt ſtadiis centum viginti: a ſeptentrionali quoque monte, qui eſt altiſſimus, quem vocant incolæ Scalam Tyriorum: & hic autem diſtat ſtadiis centum. Ab ea autem urbe diſtans duobus ſtadiis præterlabitur fluviolus, quem vocant Beleum, exiguus prorſus: cui prope eſt ſepulchrum Memnonis, habens juxta ſe centum fere cubitorum ſpatium, ſed admiratione digniſſimum. Eſt enim ſpecie vallis rotundæ, vitream emittens arenam: quam cum exhauſerint multæ naves, pariter accedentes, locus idem rurſus impletur. Venti ſiquidem quaſi dedita opera, convehunt illuc de circumſtantibus ſuperciliis arenam iſtam, utique communem: locus autem metalli, ſtatim in vitrum, quod ſuſceperit, mutat. Mirabilius quoque mihi illud videtur, quod jam converſæ arenæ in vitrum, quæcunque pars ſuper margines loci ipſius fuerit jacta, in vulgarem arenam denuo convertitur. Igitur loci qui-

A. M. 4002. P.C.N. 40.

Judæorum ob exercitum Petronii metus: Ptolemaidis deſcriptio.

Arena vitrea prope Memnonis ſepulchrum.

A. M. 4002. P.C. N. 40. dem illius natura talis eſt. Judæi autem cum mulieribus & filiis collecti in campum, in quo eſt ſita Ptolemais, Petronio ſupplicabant, principio ob patrias leges, deinceps vero etiam pro ſuo ſtatu. Ille autem ob multitudinem precantium & precum inflexus, exercitum quidem & ſtatuas in Ptolemaide reliquit: procedens autem in Galilæam, & convocans in Tiberiadem tam populum Judæorum, quam omnes eorum nobiles, & vim Romani exercitus cœpit exponere, & minas Cæſaris: his addens, quod & contumelioſa eſſet ſupplicatio Judæorum: cum omnes ſiquidem gentes, quæ parerent imperio Romano, in ſuis urbibus inter reliquos Deos, imagines quoque Cæſaris locaviſſent, ſoli Judæi iſtud abnuerent: hoc ſiquidem quaſi ab imperio deficere eſſet, etiam cum injuria præſidentis. Illis vero contra hæc legem moresque patrios allegantibus: & quia ne Dei quidem ſimulacrum, nedum hominis, nec ſolum in templo, ſed neque in profano aliquo totius regionis loco fas ſibi eſſet locare: arripiens dictum Petronius, reſpondit: Sed & mihi mei domini lex ſervanda eſt: ſi eam quippe transgrediar, vobisque parcam, juſte animadverſionem ſubibo. Impugnabit ſane vos, non Petronius, ſed ille, a quo ſum miſſus: nam & ipſe æque ac vos cogor implere, quæ juſſa ſunt. Ad hæc tota multitudo unanimiter ſuccłamavit, ante legis temerationem omnem ſe libenter ſubire perniciem. Sedato autem eorum clamore, Petronius ait: Pugnare ergo adverſus Cæſarem eſtis parati? Reſponderunt Judæi, pro Cæſare quidem & populo Romano ſe per dies ſingulos offerre ſacrificia: ſi autem in templo imagines æſtimet collocandas, debere

Petronius Judæis exercitus Romani vim, Cæſarisque minas exponit.

Judæorum conſtantia.

eum

cum totam Judæorum gentem prius immolare: præbere ſe quippe jugulos cum mulieribus & parvulis ei, qui interficere voluiſſet. Ad hæc admiratio Petronium miſeratioque pervaſit, intuentem & inſuperabilem religionem virorum, & tantum vulgus ad mortem conſtanter paratum. Et tunc quidem infectis omnibus receſſerunt. A. M. 4002. P.C.N. 40.

Poſtridie autem ac deinceps ſummates eorum privatim viritimque compellans, populum quoque publice alloquens, nunc quaſi conſulens admonebat, interdum etiam minabatur, extollens & virtutem Romanam & indignationem Cæſaris: inter hæc etiam ſuam neceſſitatem, cui eſſent exequenda præcepta. Sed illis ad nulla horum experimenta cedentibus, cum videret etiam ſementem regionis intercipi (ipſum quidem anni tempus erat, & quinquaginta pene continuis diebus multitudo in urbe otioſa morabatur) ad ultimum convocatis omnibus, ait, ſibimet periculoſam rem ſe velle aggredi. Aut enim, inquit, Deo cooperante placabo Cæſarem, ac vobiſcum ſalvabor libenter: aut illo in ultionem irritato, pro tanta multitudine impendam animam meam. Atque ita dimiſſis turbis, multa pro eo vota facientibus, Antiochiam ab Ptolemaide revocavit exercitum: atque illinc confeſtim miſit ad Cæſarem, referens, & quo apparatu in Judæam irruiſſet, & quod tota gens ſupplicaſſet: quibus ſi abnuendum putaret, noſſet cum viris etiam provinciam eſſe perdendam. Servare ſiquidem ipſos legem patriam, & novis præceptis vehementer obſiſtere. His epiſtolis reſpondit Cajus immodice, comminans Petronio mortem, quoniam juſſionum ſuarum ſegnis executor fuiſſet. Sed ſcriptorum talium vecto-

Petronius Judæos iterum compellat atque minatur.

Petronius ad Cæſarem mittit, ac Judæorum ſupplicationes ſignificat.

A. M. 4002. P.C.N. 40. res per tres continuos menſes contigit adverſa tempeſtate retineri: alii autem exitium Cæſaris nunciantes, proſpere navigaverunt: denique ante ſeptem & viginti dies epiſtolas Petronius accepit, finem Cæſaris indicantes, quam illi pervenirent, qui comminantia ſcripta portabant.

Petronius epiſtolas finem Cæſaris indicantes, accipit.

## CAPUT X.

*De imperio Claudii, & regno Agrippæ ac morte.*

A. M. 4005. P.C.N. 43. CAjo per dolum interrempto, qui regnaverat annis tribus, menſibus ſex, rapitur in regnum ab eo exercitu, qui Romæ erat, Claudius. Senatus autem, referentibus Conſulibus Sentio Saturnino & Pomponio Secundo, mandat tribus cohortibus urbanis, ut eſſent præſidio civitati, & ipſe frequens in Capitolium convenit: & propter immanitatem Caji, bellum agi cum Claudio decernebat, volens imperium ad optimates reducere: ut ſicut olim, ad regendum digniſſimi eligerentur. *Accidit interim* ut Agrippa adveniret: quem cum & Senatus in concilium, & in caſtra Claudius evocaſſet, ut ſcilicet eo ſtrenuo adjutore uteretur, in quibus res poſceret: videns Agrippa Claudium jam eſſe opibus Cæſarem, ad eum perrexit: quem ille illico legatum ad Senatum miſit, indicantem ſuum propoſitum, quoniam primo quidem invitus ab exercitu raptus ſit, & iniquum eſſe, ſi militum erga ſe ſtudia tam religioſa deſereret, imo tutam aliter ſuam non eſſe fortunam: jam enim ad invidiam ſatis fore, quod in regnum vocatus ſit: deinde adminiſtrare paratum eſſe rempublicam, non ut aliquis tyrannus, ſed ut princeps be-

Ant. l. 19. cap. 3. Cajus annis tribus, menſibus ſex regnat. Ant. l. 19. cap. 4. Agrippa ab Senatu Romano & Claudio tanquam arbiter eligitur.

benignus: ſufficere ſibi quippe honorem nominis. De ſingulis autem negotiis communem omnium ſtare ſententiam, nam etſi non natura eſſet modeſtus, locuples tamen moderandæ poteſtatis exemplum Caji morte eſſe propoſitum. Quæ cum detuliſſet Agrippa, reſpondit Senatus, quaſi qui militi ſuo bonisque conſiliis fideret, nolle ſe ſubire voluntariam ſervitutem. Sed accepto Patrum reſponſo, Claudius rurſus miſit Aprippam, nunciantem eis, ſe non poſſe adduci, ut eos proderet, quorum conſenſu in imperium eſſet accitus. Invitum autem ſe initurum eſſe pugnam adverſus eos, cum quibus confligere minime vellet: proinde eligendum eſſe locum extra civitatem, in quo confligerent: neque enim fas eſſe, propter illorum pervicaciam, patriam civili cæde fœdari. Et Agrippa quidem iſta Senatui nunciavit. Inter hæc unus ex illis militibus, qui cum Patribus erant, educens gladium: Commilitones, inquit, quibus perturbati cauſis parricidia perpetrare cupimus, & concurrere adverſus propinquos noſtros Claudium ſecutos? maxime cum habeamus Imperatorem, quem in nulla re culpare poſſimus, & ad quem cum juſtis magis allegationibus, quam cum armis egredi debeamus. Hæc dicens, per mediam egreſſus eſt curiam, omnibus ſe militibus conſecutis. Hoc exemplo optimates deſerti, in magno metu eſſe cœperunt: ac deinceps videntes ſibi adverſationem tutam non eſſe, ſecuti milites, ad Claudium tranſierunt. Occurrebant autem eis pro muris ſtrictis gladiis hi, qui fortunæ Regis ambitioſius adulabantur: & pene accidit, ut progreſſi quinque interficerentur, ante ſcilicet, quam militum impetum Cæſar

A. M. 4005. P. C. N. 43.

Senatus Romani ad Agrippam reſponſio.

Senatus cum exercitu in caſtra ad Claudium proficiſcitur.

A. M. 4005. P.C.N. 43. far agnoſceret: niſi accurrens Agrippa imminentis ei facinoris periculum nunciaſſet, dicens: quod niſi coercuiſſet exercitum, jam in ſanguinem civium furentem, confeſtim amiſſurus eſſet omnes, per quos conſpicuum eſſet imperium, feretque ſolitudinis Imperator. Hæc audiens Claudius, continuit militum impetum. Suſcepit autem in caſtris advenientem Senatum, & indulgenti honore complexus, egreſſus cum Patribus confeſtim obtulit Deo hoſtias, ut mos eſt pro imperio ſupplicari. Agrippam quoque protinus donat regno paterno univerſo, adjiciens ei etiam illam, quæ Auguſtus Herodi donaverat, Trachonitidem ſcilicet & Auranitidem: præter hæc autem aliud quoque regnum, quod Lyſaniæ vocabatur, Et populo quidem donationem hanc per edictum indicavit: Patribus autem præcepit, ut inciſam æreis tabulis in Capitolio collocarent. Donat autem etiam fratrem ejus Herodem, qui gener ejusdem erat, Berenicæ junctus Reginæ Chalcidis. Opinione autem celerius Agrippæ dati regni cenſus maximus affluebat: qua ſane pecunia, non ille in rebus exiguis abutebatur, ſed talem murum Hieroſolymis circumdare cœpit, qualis, ſi potuiſſet abſolvi, irritam prorſus obſidionem Romanis oppugnantibus effeciſſet. Sed antequam impleret opus, deceſſit in Cæſarea. Regnavit autem annis tribus. Ante quoque cum Tetrarchiam regeret, aliis tribus annis tenuerat poteſtatem. Reliquit filias tres Cypride natas, Berenicen, Mariammen atque Druſillam: filium autem ex eadem ipſa conjuge, nomine Agrippam. Qui cum admodum parvulus eſſet, Claudius regnum in provinciam redegit, in cujus procurationem miſ-

Claudius Senatum ſuſcipit & honorat.

Agrippæ regnum.

A. M. 4008. P.C.N. 46. Ant. l. 19. cap. 7. Agrippa cum regnaſſet annis tribus in Cæſarea decedit.

missus est Cestius Festus: post hunc autem Tiberius Alexander: qui nihil de consuetudine patria immutantes, gentem in pace tenuerunt. Post hæc vero & Herodes, qui regnabat in Chalcide, decessit, relinquens ex fratris quidem filia Berenice filios duos, Berenicianum & Hyrcanum: ex priore autem Mariamme Aristobulum. Alius quoque ejus frater Aristobulus mortuus fuerat privatus, relicta filia Jopata. Hi quidem erant (sicut diximus) liberi Aristobuli, qui fuerat Herodis filius. Alexander autem & Aristobulus nati fuerant Herodi e Mariamme, quos ipse parens occidit. Alexandri autem posteri in majori Armenia regnaverunt. A. M. 4008. P.C.N. 46. Ant. l. 19. cap. 7. 8. Alexandri & Aristobuli genealogia.

## CAPUT XI.

*De variis tumultibus in Judæa & Samaria.*

A. M. 4011. P.C.N. 49.

POst obitum autem Herodis, qui regnavit in Chalcide, Claudius Agrippam filium Agrippæ in patrui sui regno constituit, Alterius autem provinciæ susceptit curam post Alexandrum Cumanus, sub quo oriri cœperunt tumultus, & denuo Judæos calamitas comprehendit. Conveniente quippe multitudine ad diem festum azymorum in Hierosolymam, stante cohorte Romana super porticum templi (armati quippe milites semper custodiebant festos dies, ne quid convenientes populi novare auderent) unus e militibus reductis turpiter vestimentis, inclinans posteriora sua vertit ad faciem Judæorum, & ad hunc habitum vocem emittens similem succlamavit. Ob quod factum tota cœpit multitudo conqueri, ita ut circumstarent Cumanum, ad supplicium militem deposcentes. Ex his autem Turpe militis scelus ac dictum in Judæos festo die.

A. M. 4011. P.C.N. 49. tem inconsulti juvenes, & quasi natura apti ad seditiones movendas, in rixam gravissimam prosiliebant: continuo quippe saxa rapientes, percutiebant milites. Tunc veritus Cumanus, ne totius in eum vulgi impetus fieret, plures evocavit armatos: qui cum essent porticibus immissi, metus gravis incidit Judæis: statimque in fugam versi, relicto templo refugere cœperunt. Tanta autem per egressus de constipatione obtritio facta est, ut conculcatione mutua super decem millia hominum consumpta sint. Facta est autem universæ genti luctuosa festivitas, & planctus per domos singulas personabat. Successit autem huic calamitati latrocinantium tumultus. Juxta Bethoron quippe, per viam publicam, Stephanus quidam servus Cæsaris suppellectilem quandam vehebat, quæ ab irruentibus latronibus direpta est. Cumanus autem ad inquisitionem mittens eos, qui in proximis vicis essent, vinctos ad se adduci jussit, objiciens, quod latrones illos non comprehendissent: qua occasione quidam militum in vico quodam libros sacræ legis offensos discidit, atque combussit. Judæi autem quasi totam religionem inflammatam viderent, undique confluxerunt: & velut machinamento aliquo, ita vi superstitionis attracti, omnes ad unam evocationem ad Cumanum Cæsaream concurrunt: precantes, ut militem, qui tantam contumeliam Deo legique ejus intulisset, non relinqueret impunitum. Ad hæc ille (videbat enim multitudinem nequaquam quieturam, nisi aliqua esset satisfactione sedata) adjudicatum militem per medium populum ad supplicium jussit abduci: sicque Judæi placatis animis recesserunt. Denuo autem Ga-

Cumanus impetum vulgi veretur.

Super decem millia hominum conculcatione mutua consumpta.

Miles sacræ legis libros discindit atque comburit.

A. M. 4014. P.C.N. 52.

Militem libros comburentem Cumanus ad supplicium adjudicat.

lilæo-

lilæorum & Samaritanorum conflictus exoritur. In vico enim, quem Geman vocant, qui est in magno Samariæ campo situs, quidam Galilæus de numero Judæorum ad festivitatem ascendens interficitur. Ad quod factum multi ex Galilæa regione concurrerunt, ut cum Samaritanis confligerent. Horum autem nobiliores convenerunt ad Cumanum, rogantes, ut antequam gravis calamitas oriretur, transiret in Galilæam: & in eos, qui autores essent homicidii, vindicaret. Cumanus vero his negotiis quæ habebat in manibus, postponens illorum petitiones, sine effectu precatores remisit. Nunciato igitur homicidio Hierosolymam, omnis multitudo commota est: & relicta diei solennitate, in Samariam vulgus impetum fecit, sine ullo duce, nec cuiquam principum suorum retinenti acquiescentes. Latrocinii autem eorum & tumultus, quidam Dinæi filius Eleazarus, & Alexander, principes erant: qui in Acrabatenæ regionis conterminos irruentes, promiscuam edidere cædem, & a nullius ætatis exitio temperantes, vicos etiam inflammaverunt. Cumanus autem hæc audiens, adduxit secum unam equitum alam, quæ vocatur Sebastenorum, ut auxilio his, qui vastabantur, esset: sicque eorum multos, qui Eleazarum erant secuti, comprehendit, plures quoque interfecit. Ad reliquam autem multitudinem, qui in vastandos Samaritanorum fines irruerant, principes gentis de Hierosolymis occurrerunt: opertique ciliciis, & asperfis cinere capitibus precabantur, ut ab incepto desinerent: nec propter exercendam in Samaritas ultionem, ad Hierosolymæ perniciem Romanos commoverent: misererentur autem patriæ suæ atque templi, filio-

A. M. 4014. P. C. N. 52.

Galilæus in Samaria interficitur.

Eleazarus & Alexander Judæorum Principes magnam tyrannidé exercent.

A. M. 4014. P.C.N. 52.

rumque & conjugum propriarum: neque omnia pariter in discrimen adducerent, neque ob unius Galilæi vindictam cuncta disperderent. His acquiescentes Judæi, a negotio recesserunt.

In latrocinia conspiratio.

Multi autem per idem tempus in latrocinia conspirabant: sicut fere solet insolentia crescere rebus quietis: per quæ in omni regione agebantur rapinæ, & audacissimus quisque reliquis vim afferebat. Tunc Samaritarum primates ad Numidium Quadratum, qui Syriam procurabat, Tyrum venerunt, vindicari de his, qui regionem eorum deprædati fuerant, postulantes. Præsto autem fuerant etiam Judæorum nobiles: & Jonathas filius Anani, princeps Sacerdotum, objecta diluens allegabat, initium quidem tumultus Samaritas fuisse, qui primi homicidium perpetrassent: causam tamen calamitatum postea secutarum præbuisse Cumanum, qui inter principia autores cædis noluisset ulcisci. Tunc Quadratus utramque partem interim distulit, dicens, se cum ad ipsas regiones venisset, diligenter singula inquisiturum: deinceps vero progressus Cæsaream, eos omnes, quos Cumanus vivos ceperat, in crucem sustulit. Inde cum Lyddam venisset, denuo audivit Samaritanorum querelas, & accitos Judæorum decem & octo viros, quos cognovit pugnæ fuisse participes, securi percussit. Duos autem principes sacerdotum, Jonatham & Ananiam, ejusque filium Ananum, & nonnullos alios Judæos nobiles ad Cæsarem misit: similiter autem & Samaritarum nobilissimos quosque. Præcepit etiam Cumano, & Celeri tribuno, Romam navigare, reddituros Claudio rationem pro his, quæ in Regione gesserant. His ita compositis a Lydda ascendebat

Quadratus Syriæ procurator Samaritanos & Judæos audit.

Quadratus inter Judæos & Samaritanos fert sententiam.

Hie-

Hieroſolymam: & inveniens multitudinem feſtivitatem azymorum celebrantem ſine ulla conturbatione, Antiochiam rediit. Romæ autem Cæſar auditis allegationibus Cumani & Samaritanorum (aderat autem etiam Agrippa, Judæorum cauſam magna contentione defendens: ſiquidem & Cumano multi potentium aderant) pronuncians adverſus Samaritas, tres eorum nobiliſſimos juſſit interfici: Cumanum autem in exilium deportari. Celerem autem tribunum vinctum Hieroſolymam miſſum, Judæis ad ſupplicium tradidit, ut per urbem tractus, capite plecteretur. Poſt hæc Felicem Pallantis fratrem miſit ad Judæos, qui & eorum provinciam cum Samaria & Galilæa curaret. Agrippam vero de Chalcide in regnum majus transtulit, tradens ei illam quoque provinciam, quæ Felicis fuiſſet. Erat autem iſta Trachonitis & Batanæa & Gaulanitis. Addidit autem regnum etiam Lyſaniæ, & Tetrarchiam, quam Varus rexerat. Ipſe autem per annos tredecim, menſes octo, dies triginta adminiſtrato Imperio, deceſſit, ſucceſſorem regni Neronem relinquens, quem ſuadelis Agrippinæ uxoris ſuæ in imperium cooptaverat, & quidem cum legitimum haberet filium Britannicum ex Meſſalina natum, priore ſcilicet conjuge, & Octaviam filiam, quam ipſe privigno collocarat Neroni. Suſceperat autem ex Agrippina Antoniam. Et Nero quidem, quemadmodum per magnitudinem felicitatis & opum, abuſus ſit fortuna: & qualiter fratrem ſuum, atque uxorem, matremque interfecerit, poſt quos in omnes proximos immanitatem ſuam convertit, atque ut ad ultimum per amentiam ad hiſtrionum opera ſcenamque pervenerit,

A. M. 4014. P.C.N. 52. Claudii contra Cumanum, Celerem & Samaritanos quosdam ſententia.

A. M. 4015. P.C.N. 53.

Claudius moritur, eique Nero ſuccedit.

Nero fratrem, uxorem, matremque interficit.

A. M. 4018. P.C.N. 56. rit, quoniam ſcio eſſe narratione moleſtum, ſilentio præterire melius puto.

## CAPUT XII.

*De tumultibus in Judæa ſub Felice.*

Ant. lib. 20. c. 11. Eleazarum latronum principem Felix, aliosque cum eo multos capit, vinctosque Romam mittit.

COnvertar autem ad narranda, quæ ab eo adverſus Judæos geſta ſunt. Minorem igitur Armeniam regnandam Ariſtobulo dedit, Herodis filio. Regno autem Agrippæ quatuor urbes addidit cum agris ad ſingulas pertinentibus: in Peræa ſcilicet Regione, Abilam & Juliadem: in Galilæa autem Tarichæam & Tiberiadem. Reliqua autem Judææ Felici procuranda dedit. Hic principem latronum Eleazarum, qui per viginti annos regionem fuerat deprædatus, aliosque cum eo multos cœpit, vinctosque Romam miſit: aliorumque, quos in crucem ſuſtulit, latronum, vel in communione ſceleris deprehenſorum popularium, fuit pene innumerabilis multitudo. Sic autem regione purgata, aliud genus latrocinantium in Hieroſolymis oriebatur. Hi autem ſicarii vocabantur, die claro & in media civitate paſſim quosque interficientes. Potiſſimum vero diebus ſolennitate feſtivis immiſcebantur vulgo, ſicas ſub veſte geſtantes. His inimicos interficiebant: ac deinceps collapſis hominibus, illi inter reliquos de ſcelere querebantur: qua fraude extra ſuſpicionem manebant, diuque latuerunt. Primus igitur ab eis Jonathas Pontifex interficitur. Poſt hunc autem quotidie plurimi cædebantur, atque ipſis calamitatibus moleſtior timor civitatem premebat: ſicut enim in medio bello per ſingula momenta omnes mortem opperiebantur.

Aliud genus latrocinantium die claro & in media civitate quosque interficientes.

Jonathas Pontifex cum aliis multis interficitur.

tur. Circumſpiciebant autem eminus quosque appropinquantes: & neque amicis ſuis fidere poterant, dum tamen in mediis ſuſpicionibus atque cuſtodiis nihilominus interficerentur. Tanta erat latrocinantium temeritas & ars quædam latendi. Ad hæc autem alia etiam malorum collectio facta eſt, cæde quidem abſtinentium, ſed conciliis magis impiorum, quæ pars non minus, quam ſicariorum, felicitatem urbis ſtatumque corrupit. Seductores namque homines & circumventores, ſub ſpecie religionis novis rebus ſtudentes, vulgus inſanire fecerunt. nam in ſolitudines egrediebantur, promittentes Deum ſigna eis oſtenſurum libertatis. Contra quos Felix (videbantur quippe ſemina defectionis eſſe) mittens equites atque pedites armatos, magnam multitudinem interfecit. Majore autem plaga Judæos afflixit Ægyptius quidam Pſeudopropheta. Adveniens quippe in provinciam, Magus cum eſſet, Prophetæ opinionem ſibi arrogans, triginta ferme millia hominum congregavit, quos vana ſeductione deceperat, Et circumducens eos de ſolitudine in montem, qui vocatur Olivarum, inde ad Hieroſolymam nitebatur aſcendere: depulſoque Romanorum præſidio, in populares exercere dominationem. Utebatur autem ſtipatoribus, qui ad id facinus convenerant. Prævidit ſane ejus impetum Felix, & occurrens cum ipſis Romanis armatis, quos etiam Judæorum reliqua multitudo juvabat, iniit conflictum. Et Ægyptius quidem cum paucis fugit. Plurimi autem qui cum ipſo fuerant, comprehenſi atque vinculis traditi ſunt. Reliqua vero multitudo in regiones proprias diſperſa eſt. Compreſſis vero his etiam, ſicut fere

A. M. 4018. P. C. N. 56.

Ant. l. 20. cap. 12.

Ægyptius pſeudopropheta 30. ferme millia hominum congregat.

Felicis de Ægyptio victoria.

A. M. 4020. P.C.N. 58. fere in ægro corpore, rursus pars altera tumescebat. Magi enim quidam & latrones collecti, multis afflictionem inducebant: & quasi ad libertatem vocabant, mortem apertissimam comminantes his, qui Romanorum principatui obedire voluissent: ut vel reluctantes averterent eos, qui spontaneam ferrent servitutem. Dispersi ergo per totam regionem diripiebant quorumque potentum domos, eosque insuper trucidabant: inflammabant etiam vicos, ita ut desperatione eorum tota Judæa protinus impleretur. Et hoc quidem bellum in dies ingravescebat. Alter autem tumultus ortus est circa Cæsaream, inter Judæos scilicet, qui ibi permixti habitabant, & Syros, seditione commota. Hi siquidem postulabant, ut eorum fieret civitas, Judæum ejus fuisse conditorem dicentes: erat autem Rex Herodes. Æmuli vero conditorem quidem confitebantur Judæum, ipsam vero civitatem fuisse gentilium vindicabant. Neque enim illic statuas & fana potuisse constitui, si ad Judæos eam conditor pertinere voluisset. Ob has ergo causas inter se populus uterque jurgabat. Procedebat autem usque ad arma contentio: & quotidie ad confligendum audaces quidque partis alterutræ prosiliebant. Neque enim Judæorum seniores cohibere tumultus gentis suæ poterant: & Græcis turpissimum videbatur, Judæis inferiores videri. Præstabant autem hi quidem divitiis & corporum viribus. Græci vero auxilio militum: magna siquidem pars Romanæ manus, de Syria illo fuerat congregata: & quasi cognati, ad auxiliandum parati erant Syris. Præfecti autem militum curabant comprimere tumultum: & pugnaces quosque com-

Latrones & Magi multis afflictionem inducunt.

Ant. l. 20. cap. 13. Fugna inter Judæos & Syros circa Cæsaream.

Seditiones & cædes inter Judæos.

comprehenſos, taureis ulciſcebantur ac vinculis. Nec tamen ſupplicia comprehenſorum, impedimentum aut timorem reliquis inferebant: imo magis hoc ipſo in ſeditionis irritabantur augmentum. Tunc demum Felix minaci edicto præcepit, contumaces quosque urbe diſcedere: non parentium autem immiſſis militibus interfecit non paucos, quorum etiam bona direpta ſunt. Manente autem ſeditione, nobiles utriusque partis *electos*, legatos miſit ad Neronem, de jure *di*ſceptaturos. Succeſſit autem ei Feſtus, & hos, qui maxime infeſtabant provinciam, ſolicite perſecutus, latronum plurimos comprehendit atque interfecit. A. M. 4024. P.C.N. 62.

## CAPUT XIII.

### *De Præſidibus Judææ Albino & Floro.*

VErum ſucceſſor hujus Albinus non eodem modo negotiis præfuit, neque enim fuit aliqua malignitatis ſpecies, quam ille præterierit. Denique non ſolum cauſis civilibus furabatur & diripiebat bona ſingulorum, neque ſolum tributorum additamentis in commune gentem gravabat: ſed etiam quos ob latrocinia decuriones civitatum comprehenderunt, vel qui a prioribus *judicibus* in cuſtodiis erant relicti, accepta a cognatis eorum pecunia, liberavit: & is ſolum, qui non dediſſet, in carceribus quaſi nocentiſſimus remanebat. Per idem tempus, eorum quoque, qui res novare cupiebant, in Hieroſolymis creſcit audacia. Ex quibus ſane, qui erant opulenti, Albinum largitione redimebant, ut eis tumultum moventibus non indignaretur: pars autem popularis, quæ non ſatis gaudebat quie-

Ant. l. 20. cap. 15. Albinus Judææ Præſes omni malignitatis ſpecie conſpurcatus.

Albinum ſeditioſi, ut eis tumultum moventibus non indignaretur largitione redimunt.

A. M. 4028. P.C.N. 66. quiete, Albini participibus jungebatur. Unusquisque ergo improborum cohorte propria circumdatus, ipſe quidem inter cæteros quaſi princeps latronum & tyrannus eminebat: ſtipatoribus vero ſuis ad direptionem mediocrium abutebatur. Ita fiebat, ut hi quidem, quorum vaſtabantur domus, tacerent: illi autem, qui extra incommodum ſtetiſſent, metu, ne ſimilia paterentur, etiam officiis ambirent eos, quos conſtabat dignos eſſe ſuppliciis. In commune autem omnium fuit intercepta fiducia, & erat tunc multiplex dominatio, & ſemina captivitatis futuræ jam ab illo tempore ſpargebantur. Cum ſane ejusmodi morum fuiſſet Albinus, tamen ſuccedens ei Geſſius Florus, optimum eum per comparationem ſui fecit videri. Ille ſiquidem plura occulte & cum fraude nocuerat: Geſſius vero iniquitates ſuas in univerſam gentem, tam palam, quaſi gloriaretur, exercuit: ac velut non ad regendam provinciam, ſed ad damnatorum pœnas carnifex miſſus, neque rapinarum ullum modum, neque afflictionum prætermiſit. In miſeris autem crudeliſſimus erat; in turpibus vero impudentiſſimus. Neque enim quis illo amplius offendit fallacia veritatem, neque commentus eſt callidiores nocendi vias. Huic ſiquidem viritim illatis dispendiis lucra quærere exiguum viſum eſt: ſed totas ſimul deſpoliabat urbes, & labes populis inferebat, tantum non voce per totam regionem edicens, liberum eſſe omnibus latrocinari, dum ipſe prædarum acciperet portionem. Denique ob illius avaritiam contigit totam pene deſeri regionem, ita ut plurimi ſedes patrias relinquentes, ad externas provincias commigrarent. Donec autem in

Ant. l. 20. cap. 16.

Albino ſuccedit Geſſius Florus, qui longe pejor eſt Albino.

Avaritia Flori urbes deſpoliat.

Sy-

Syria Ceſtius Gallus provinciam regebat, neque auſus quispiam Judæorum eſt adverſus Florum ad eum mittere legatos. Cum vero inſtante azymorum ſolennitate ipſe Hieroſolymam veniſſet, occurrens multitudo, quæ facile tricies centenorum millium fuit, precabatur, ut gentis ſuæ calamitatibus ſubveniret, & peſtem illam provinciæ Florum ut ejiceret, clamitabat. Qui tamen cum ſub populi ore eſſet, & Gallo aſſiſteret, non ſolum nihil movebatur, ſed voces illas etiam deridebat, Ceſtius tamen compeſcens impetum populi, & edicens quod deinceps placatiorem eis Florum redderet, regreſſus eſt Antiochiam. Deduxit autem eum usque ad Cæſaream Florus, illudens mendaciis, & Judæorum genti bellum ſedulo comminiſcens, quo ſcilicet ſolo iniquitates ſuas occultari poſſe credebat. Pace ſiquidem permanente, habiturum ſe apud Cæſarem accuſatores Judæos: verum ſi defectionem negotiatus fuiſſet, majore utique malo abducendam a ſe eſſe invidiam peccatorum minorum. Igitur ut gens ab Romano abrumperetur imperio, ſedulo in dies augebat calamitates. Per idem tempus apud Neronem Cæſarienſes gentiles victores extitere, decretumque iſtud conteſtantes literas attulerunt: perque hoc bello Judaico dabatur exordium, duodecimo ſcilicet anno regni Neronis, ſeptimodecimo autem regni Agrippæ, menſe Majo.

A. M. 4028. P. C. N. 66.

Ceſtius Gallus impetum populi compeſcit, & quod placatiorem eis Florum redderet, edicit.

Exordium belli Judaici duodecimo regni Neronis anno.

A. M. 4030. P. C. N. 68.

## CAPUT XIV.

*De Floro sæviente in Judæos Cæsarienses & Hierosolymitanos.*

Ant. lib. 20. cap. 15. Causæ belli Judaici.

AD magnitudinem autem excitatorum de eo malorum, nequaquam idoneas causas habuisse deprehenditur. In Cæsarea siquidem habitantes Judæi, habebant synagogam prope locum, cujus erat Dominus gentilis quidam Cæsariensis: & frequenter quidem egerant, ut ad eorum jus illa possessio jungeretur, multis partibus majus precium, quam res meruerat, offerentes. Dominus autem loci preces eorum despexisse non contentus, ad majorem dolorem ædificavit in loco tabernas, ita ut angustum eis transitum & prorsus coarctum relinqueret. Primum igitur ferventiores aliqui juvenum prosilientes, ædificationem vetabant. Cum vero Florus hos a prohibendo cohiberet, non habentes Judæorum nobiles quid agerent, inter quos etiam erat Joannes Publicanus, inflectunt Florum oblatione octo talentorum, ut ædificationem vetaret. Ille autem ob capiendum tantummodo, promittens se cuncta facturum, accepta pecunia statim de Cæsarea egressus est, venitque in Sebasten, seditioni tribuens facultatem, quasi qui pugnæ spatium Judæorum summatibus vendidisset. Sequenti autem die, Judæorum Sabbato, cum plebs ad Synagogam coisset, seditiosus quidam Cæsariensis vas Samium ante ingressum eorum ponens, alites immolabat. Hoc factum Judæos incoercibiliter accendit, & legem suam, quippe contumeliam pertulisse, & locum ipsum dicebant fuisse pollutum. Pars autem Judæorum, quæ erat constantior atque mo-

Perjurium Flori, qui Judæis sidem juratam non servat.

de-

deratior, denuo apud judices esse conquerendum rebatur. Seditiosi autem & juventute turgentes Judæi, effundebantur in rixam. Stabant autem ad confligendum paratî etiam Cæsariensium tumultuosiores. Ex composito quippe missus fuerat, qui pro Synagogæ foribus immolaret: sicque continuo est pugna commissa. Interveniens autem Jucundus, qui ad prohibendum erat relictus, præfectus equitum, vas illud quidem, quod positum fuerat, jussit auferri, & tumultum sedare pergebat. Cum vero superatus esset præ Cæsariensium violentia, Judæi statim libros legis rapientes secessérunt in Narbata: regio quædam eorum hoc nomine appellatur, dirempta a Cæsarea stadiis sexaginta. Primates autem eorum duodecim, cum Joanne in Sebasten ad Florum venerunt, de his, quæ acciderant, conquerentes, & ut auxilio esset rogabant, quamvis reverenter, tamen eum & de octo talentis admonentes. Ille vero illico comprehensos eos vinciri jussit, arguens, cur leges de Cæsarea auferre ausi fuissent. Ob hoc igitur apud Hierosolymitas gravissima indignatio nascebatur: verumtamen adhuc iram suam frenabant. Florus vero, quasi ad hoc operam suam locasset, ut bellum inflammaret, misit ad sacrum thesaurum, ut inde decem & septem talenta auferrentur, quasi eam pecuniam impensæ Cæsaris flagitaret. Tunc vero statim invasit populum multa confusio: concurrentes ad templum, maximis vocibus nomen Cæsaris appellabant, ut a tyrannide Flori liberarentur, orantes. Quidam autem seditiosorum in Florum maledicta jaciebant ultima: & canistrum circumferentes, stipem ejus nomine postulabant, quasi

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Cæsariensium & Judæorum conflictus.

Florus Judæorum Primates 12. cum Joanne in Sebaste comprehensos vinciri jubet.

Alia fax belli a Floro excogitata.

A. M. 4030. P.C.N. 68. inops & miſerrimus talibus indigeret auxiliis. His autem omnibus nihil eſt a cupiditate deterritus, ſed multo magis ad deprædandum irritatus eſt. Denique cum deberet Cæſaream veniens ignem belli illic naſcentis extinguere, cauſasque tumultuum ſubmovere, pro quo etiam mercedem acceperat pactus: tamen cum exercitu equitum atque peditum Hieroſolymam contendit, ut Romanis armis ad quod volebat uteretur, ac timore & minis urbem circumdaret. Tunc populus lenire ejus impetum volens, obviam militibus proceſſit, cum ſolitis utique favoribus, & Florum honorare officiis paratus. Ille vero præmittens cum equitibus quinquaginta centurionem, nomine Capitonem, diſcedere eos juſſit: Neve eum, in quem tam gravia maledicta jeciſſent, falſo denuo honore deluderent. Oportere quippe eos, ſi viri ſunt fortes, animique conſtantes, etiam in præſentem effundere contumelias: nec ſolum in verbis, ſed etiam in armis amorem libertatis oſtendere. His dictis exterrita multitudo, ſimul etiam militibus, qui cum Capitone venerant, in medium vulgus irruentibus, diffugerunt, antequam Florum ſalutarent, aut militibus officia conſueta redderent. Diſcedentes igitur in domos, cum metu atque humilitate pervigilem duxere noctem. Florus autem tunc quidem degit in regia, poſtridie autem adverſum eos exſtructo tribunali ſub'imius reſedit: convenientesque Sacerdotum principes, & civitatis univerſa nobilitas, aſtiterunt tribunali. His præcepit Florus, ut omnes, qui maledicta in eum ſucclamaſſent, protinus dederent: edicens in ipſos eſſe, niſi

Florus Judæorum honores ſpernit, eosque diſcedere jubet.

Florus in tribunali reſidet & Judæis, ut omnes qui maledicta in eum ſucclamaſſent protinus dederent, præcipit.

niſi reos produxerint, vindicandum. Ad hæc reſpondent Judæi, populum quidem pacifica quæque ſentire, illis vero, qui erraviſſent in verbis, veniam conferendam poſtulabant. In tanta ſiquidem multitudine, nihil eſſe mirandum, offendi aliquos temerarios, & per ætatem inſipientes: eſſe autem impoſſibile eorum, qui deliquerint, diſcrimen agitari, cum & ſingulos nimirum pœniteat, & præ timore ad negandum ſint parati: debere tamen illum, ſi conſuleret gentis quieti, & vellet Rom. Imperio ſervare urbem, magis propter multos innoxios dare veniam etiam paucis delinquentibus, quam propter paucos improbos perturbare multitudinem tantam bonorum. Ad hæc vero ille magna indignatione inflammatus, militibus exclamavit, ut forum rerum venalium, quod erat in ſuperiori parte civitatis, diriperent, ac paſſim obvios trucidarent. Illi vero ad lucri ſui cupidinem addita autoritate rectoris, non ſolum illum diripuerunt locum, in quem fuerant immiſſi, ſed in univerſas inſilientes domos, interficiebant habitatores. Fuga autem erat per angiporta omnia, & cædes eorum, qui comprehendebantur: direptionis quoque nulla ſpecies præteribatur. Multos autem etiam nobilium comprehendentes adduxerunt ad Florum, quos ille verberibus laniatos in crucem ſuſtulit. Denique omnis numerus illo interfectorum die, cum parvulis & mulieribus (neque enim vel lactentibus pepercerant) fuit ſexcenti & triginta. Graviorem autem faciebat calamitatem videri novitas Romanæ calamitatis: quod enim nemo unquam prius, tunc Florus auſus eſt, ut viros ſcilicet equeſtris ordi-

A. M. 4030. P. C. N. 68.

Excuſatio Judæorum.

Cædes per Flori milites perpetrata.

Flori milites ſexcentos & triginta Judæos una die interficiunt.

A. M. 4030. P.C.N. 68. ordinis pro tribunali flagellis cæderet, ac patibulis affigeret: quorum etsi origo Judæa, tamen Romana dignitas erat.

## CAPUT XV.

*De alia oppressione Hierosolymorum dolo Flori.*

PEr idem tempus Rex quidem Agrippa Alexandriam erat profectus, ut Alexandrum, qui Ægyptum procurabat missus a Nerone, jure hospitis conveniret. Germanam autem suam Berenicen, Hierosolymis inventam, & iniquitatem militum videntem, gravis ob hoc angor invaserat: & frequenter quidem præfectos equitum suorum, custodesque corporis mittens ad Florum precabatur, ut a cæde desineret. Ille vero neque in multitudinem interfectorum, neque in nobilitatem precatricis, sed tantum in lucra sua, quæ de rapinis congregarentur, aspiciens, contempsit annuere: impetus autem militum etiam adversum Reginam efferatus est. Non solum quippe sub oculis ejus obvios quosque mulctabant atque trucidabant, sed etiam ipsam, nisi confugisset in aulam, interfecissent. Ibi autem pervigilem noctem cum intenta custodia egit, verens utique irruptionem militum. Venerat autem Hierosolymam, ut vota Deo solveret. His enim, qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque vino, & capillos radere. Quem morem Berenice Regina illis exercens diebus, nudipes etiam ante tribunal stetit, deprecans Florum: & præter quod nihil honoris habitum est, etiam de vita sua periclitata est. Hæc autem

Berenice Agrippæ germana, mittit ad Florum, ac ut a cæde desineret, precatur.

Militum in Berenicem furor.

tem

tem facta sunt sextodecimo die Mensis Maji. Postridie autem conveniens multitudo in forum, quod erat in superiori parte civitatis, magnis clamoribus de his qui interfecti fuerant, querebantur: potissimum autem invidiosæ in Florum voces erant: quod veriti primates quique & Pontifices, disruptis vestibus, & viritim singulos comprehendentes, postulabant, ut ab his verbis, quorum causa tanta mala pertulerant, *desisterent*, neque in majorem indignationem *Florum* moverent. Sicque sedata est multitudo, tam reverentia precantium, quam spe, quod nequaquam Florus ultra in eos sæviret. Ille autem videns multitudinis tumultum fuisse compressum, angebatur: & denuo eam inflammare cupiens, Pontifices cum nobilibus advocavit. Itaque unum ait argumentum fore, quod *nihil* ulterius de novandis rebus cogitaret, si populus obviam procederet militibus de Cæsarea venientibus: veniebant autem duæ cohortes. Qui cum convocasset populum ad occurrendum, mandat centurionibus, ut nullam salutationem redderent obviantibus Judæis. Ad quod si offensi petulanter quippiam essent locuti, statim in eos uterentur armis. Pontifices ergo collecta multitudine in templo, precabantur, ut occurrerent Romanis, & ante grave incommodum cohortes solenniter salutarent. His hortationibus seditiosi quique abnuebant, & ob interfectorum dolorem reliqua multitudo *jungebatur* audacibus. Tunc vero omnes Sacerdotes omnesque Levitæ sacra vasa proferentes, ornatumque templi, citharistæ etiam & cantores cum Musicis organis procidebant ante multitudinem, & obnixissime precabantur, ut

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Florus multitudo obloquitur.

Florus multitudinis tumultum compressum, denuo refricat.

Flori dolus & insidiæ.

A. M. 4030. P.C.N. 68. illum templi honorem cuſtoditum eſſe vellent, neque ad direptionem vaſorum ſacrorum Romanos contumeliis incitarent. Erat autem videre ipſos Sacerdotum principes ſparſis cinere capitibus, & pectora disruptis veſtibus nuda monſtrantes, nominatim ſingulos quosque nobilium compellare, ac denuo in commune multitudinem precari, ne ob modicum peccatum patriam ſuam proderent his, qui direptioni ejus inhiarent. Quam enim utilitatem vel militibus eſſe de Judæorum ſalutatione tribuendam, vel illis, quæ acciderant, correctionem, ſi in præſenti procedere ceſſarent? At contra, ſi officioſe ſuſciperent ſolenniter venientes, auferri Floro occaſionem pugnæ: ipſos vero ſalvare patriam ſuam, & providere, ne quid ultra quam pertulerant, experirentur. His addunt, quod paucis ſeditioſis ſi tanta multitudo jungatur, hoc magis ad pacificum conſilium ſuum deberent autoritatem transferre. Tali hortatu multitudinem inflectentes, etiam ipſos ſeditionis autores quosdam quidem minis, quosdam autem ſui reverentia mitigaverunt: ac deinceps præcedentes cum quiete omni populo ſequente, militibus obviam prodierunt. Jamque cominus factos ſalutaverunt: illis autem nihil reſpondentibus, ſeditioſi Judæorum adverſum Florum, cujus hæc fierent conſiliis, ſuccclamaverunt: confeſtimque milites comprehendentes eos, cædere fuſtibus adorti ſunt: atque in fugam verſos perſequentes equites proculcabant. Corruebant autem multi quidem cum a Romanis cæderentur, plures autem cum ſe mutuo propellerent. In ipſis autem portis gravis facta eſt compreſſio, & uno quoque alterum prævenire cupiente tar-

Principum & Sacerdotum ad populum adhortatio.

Flori propoſitum & conſilium exitus declarat.

Cædes Judæorum.

tardior fuga cunctis fiebat. Collabentium vero durus erat interitus. Suffocatu enim atque conculcatu miseri disperibant, & neqne ad sepulturam quisquam proximis suis cognoscendus remanebat. Irruebant autem etiam pariter milites immoderate, eos quos comprehendissent cædentes: & per ingressum, qui Bezetha vocatur, detrudebant multitudinem, transire cupientes, ut Antoniam & templum obtinerent. Quos etiam *Florus* consecutus, eduxit de regia eos, qui secum *erant*, & in arcem transire nitebatur. Frustratus tamen est ejus impetus. Conversus quippe adversum eos populus repugnavit, & per tecta evadentes obruebant saxis Romanos. Qui cum superne venientibus sagittis vincerentur, nec possent defendere multitudinem, quæ per *angustos* arctabatur ingressus, ad reliquum se exercitum, qui erat in regia, receperunt. Seditiosi autem verentes, ne superveniens denuo Florus templum occuparet, per Antoniam ex templo ascendentes, porticus a templo ad Antoniam continentes interciderunt, quatenus avaritiam Flori desperatione compescerent. Nam cum divinis inhiaret thesauris, proque his in Antoniam transgredi niteretur, ubi interciſas porticus vidit, ab impetu conquievit: & convocans *Sacerdotum principes* atque curiam, se quidem ait urbe digredi, præsidium tamen apud eos relinquere, quantum ipsi voluissent. Ad hæc illis respondentibus, nihil novandum fore, si unam tantum relinqueret apud eos cohortem, dum tamen non illam, quæ cum civibus paulo ante conflixerat: ob ea siquidem, quæ pertulere, populum illis militibus infensum esse: cohorte si-

A. M. 4030. P. C. N. 68.

Seditiosi verentes, ne superveniens Florus spolia ipsorum auferret, templum occupant.

Florus Judæos in templo obsessos insuperabiles videns, ab impetu conquiescit, ac relicta apud eos cohorte, Cæsaream regreditur.

A. M. 4030. P.C.N. 68. cut precabantur mutata, cum reliqua manu Cæſaream regreſſus eſt.

## CAPUT XVI.

*De Politiano tribuno, & oratione Agrippæ ad Judæos, ad obediendum Romanis hortantis.*

ALiud autem denuo pugnæ conſilium comminiſcens, retulit ad Ceſtium, & Judæos defectionis criminatus eſt: impudenti mendacio illos perpetraſſe dicens, quæcunque eos pertuliſſe conſtabat. Nec ſane principes Hieroſolymorum quæ geſta fuerant, tacuerunt: ſed & ipſi & Berenice ad Ceſtium de his, quæ Florus inique in urbe egerat, retulerunt. Ille autem ſuſceptis literis partis utriusque, quid facto opus eſſet, cum principibus deliberabat. Et quibusdam quidem videbatur, cum exercitu in Judæam Ceſtium ire debere, & aut vindicare defectionem, ſi fuiſſet admiſſa, aut magis fidos reddere Judæos eorumque accolas. Ipſi tamen magis placuit aliquem de ſuis præire, qui & negotia & conſilia Judæorum poſſet ei fideliter nunciare. Mittit ergo tribunum Politianum, qui ab Alexandria revertenti Agrippæ circa Jamniam occurrens, & a quo fuiſſet miſſus, & ob quas cauſas indicat. Quo loci Judæorum etiam Pontifices, & reliqui nobiles, eorumque curia adeſſe curaverant, ut circa Regem ſcilicet officia novarent. Poſtea vero quam illum congrua humanitate coluerunt, conqueſti ſunt quam potuerunt flebiliter de calamitatibus propriis, & inhumanitatem Flori explicaverunt. Quam licet argueret Agrippa, vafre tamen invectionem ſuam in Judæos transtulit, quorum maxime miſera-

Ceſtius Gallus Syriæ Præſes, quid facto opus eſſet cum Principibus, deliberat.

Politianus Hieroſolymam mittitur, & Agrippæ occurrit.

ſerabatur, volens ſcilicet frenare eorum motus: ut per hoc ipſum, quod viderentur nihil perpeſſi injuriæ, ab ultionis deſinerent appetitu. Ad hæc ergo quicunque egregii erant, & propter ſua prædia deſiderabant quietem, intelligebant Regis redargutionem eſſe plenam benignitatis. Populus autem Hieroſolymorum ſexaginta ſtadiis obviam progreſſus, officioſe Agrippam & Politianum ſuſcepit. Lamentabantur tamen interfectos conjuges, mulieres: quarum plangoribus reliquus quoque populus ad lamenta converſus precabatur Agrippam, ut genti conſuleret. Succlamabant etiam Politiano, ut ingrederetur urbem, videretque, quæ eſſent a Floro geſta: & ita oſtendebant forum deſertum domosque vaſtatas, deinceps vero per Agrippam ſuaſere Politiano, ut is cum uno tantum famulo ad Siloam usque totam circuiret civitatem: quatenus ipſis cognoſceret oculis, Judæos omnibus quidem aliis parere Romanis, ſoli autem Floro adverſari propter magnitudinem in eos factæ crudelitatis. Ille igitur cum circuiſſet urbem, & manſuetudinis populi ſufficiens documentum teneret, aſcendit in templum, quo etiam multitudinem convocavit: & cum plurimis verbis fidem eorum circa Romanos collaudaſſet, multa etiam ad conſervationem pacis hortatus, adoravit Deum ejusque ſancta: in eo tamen conſiſtens loco, in quo licebat per religionem: ſicque regreſſus ad Ceſtium eſt. Vulgus autem Judæorum, ad Regem Pontificesque converſus petebat, ut legati adverſum Florum ad Neronem mitterentur, neque de tanta cæde tacentes, ſuſpicionem ſuæ defectionis præberent: viſum iri quippe eos Principes capiendorum ar-

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Multitudo Hieroſol. Agrippæ & Politiano obviam procedit.

Politianus in templo aſcendit, multitudinem ad conſervationem pacis hortatur, & ad Ceſtium regreditur

Judæi ab Rege ut legati adverſum Florum ad Neronem mitterentur, petunt

A. M. 4030. P.C.N. 68. morum fuiſſe, niſi prævenientes oſtendiſſent illum eſſe, qui dediſſet exordium: conſtabat autem multitudinem non eſſe quieturam, ſi legationem aliquis impediſſet. Ad hæc Agrippa, ordinari quidem legatos, qui Florum accuſarent, invidioſum putabat: deſpicere autem Judæos in bella commotos, neque ſibi expedire cernebat. Advocata igitur concione in xyſtum, & in ſuggeſto conſtituens germanam ſuam Berenicen, in Aſamonæorum domo (ea ſiquidem xyſto imminebat contra ſuperiorem partem urbis: nam xyſto templum erat ponte conjunctum) hujusmodi orationem habuit: Si quidem viderem vos omnes ad pugnandum cum Romanis eſſe incitatos, neque populi puriorem ſinceriſſimamque partem pacem velle ſervare, neque proceſſiſſem ad vos, neque conſulere conſiſus eſſem: ſupervacua quippe de utilibus oratio eſt, quando omnium auditorum conſpirat ad deteriora conſenſus. Quoniam vero aliquos quidem ætas, malorum belli neſcios facit, quosdam vero inconſiderata ſpes libertatis: nonnullos vero avaritia ſuccendit, & in confuſione rerum capiendum de inferioribus lucrum: quemadmodum ipſi ab hoc errore corrigantur, & non per paucorum improba conſilia etiam boni diſpereant, exiſtimavi oportere, ut omnibus vobis in unum coactis ea exponerem. quæ arbitror expedire. Obſtrepat autem nemo, ſi non ea audierit, quæ ipſius fert libido. His ſiquidem, qui ſunt ad defectionem irrevocabiliter incitati, licebit etiam poſt meos monitus manere in priſtina voluntate: mea autem etiam ad illos, qui audire cupiunt, intercipietur oratio, niſi ab omnibus vobis ſilentium præbeatur. Novi quidem

Agrippæ ad Judæos oratio.

Agrippæ multitudinem docilem & attentam reddere conatur.

dem, quod multi & injurias procurantium pro- A. M.
vincias, & præconia libertatis quaſi tragice pro- 4030.
ſequantur. Ego autem priusquam diſcutiam, P.C.N.
qui ſitis, & contra quos bellum ſuſcipere tente- 68.
tis, primum ſeparabo cauſas, quas connexas putatis. Si enim violatores veſtros cupitis ulciſci, cur libertatem magna laude attollitis? Si vero iſtud ipſum ſervire intolerabile ducitis, ſuperflua eſt adverſum rectores querela: illis ſiquidem vel moderatiſſime agentibus, nihilominus turpe erit ſervire. Conſiderate autem ſingillatim, & videte, quam exigua ſit materia bellorum. Et primum quidem ipſa rectorum conſideranda ſunt crimina. Colere ſiquidem officiis, non exaſperare oportet jurgiis poteſtatem. Cum vero modicorum peccatorum exprobrationes maximas facitis, adverſum vos profecto eos, quibus infertis contumelias, irritatis. Relinquentes quippe, & quod antea clanculo, & cum quadam verecundia nocebant, palam vos confidenterque populantur: nihil autem ita plagas coercet, ut patientia, & violatorum quies violantibus injicit pudorem. Fac autem eos, qui a Romanis in provincias mittuntur, eſſe graviter moleſtos: non tamen etiam Romani omnes violant vos, neque ipſe Cæſar, adverſum quem pugnare vultis. Neque enim ex præcepto illorum improbus ad vos quisquam venit: neque poſſunt illi, quæ in oriente geruntur, poſiti in occidente conſpicere: ſed neque facile ea, quæ hic fiunt, illic audiuntur. Eſt autem importuniſſimum, & propter exiguas cauſas, tantis, & ea de quibus querimur neſcientibus, velle confligere. Et quidem noſtrorum criminum cito erit futura correctio, neque enim unus atque

Poteſtatem colere officiis, nec jurgiis exaſperare decet.

Agrippa Romanos & Cæſarem excuſat.

idem

A. M. 4030. P.C.N. 68. idem provinciæ ſemper curam tenebit, & ſucceſſores ejus credibile eſt modeſtiores futuros. Motum autem ſemel bellum, neque deponere facile eſt absque magnis calamitatibus, neque ſuſtinere. Libertatis vero bona ſitientibus providendum atque certandum eſt, ut principio non ea careant; moleſta enim eſt novitas ſervitutis; quam ne utique ſubeas, juſtum ſuſcipi certamen videtur. Qui vero ſemel ſubjectus eſt, & deinceps deficit, contumax magis ſervus, quam amator libertatis oſtenditur. Tunc igitur oportuit omnia agere, ne ſuſciperentur Romani, cum in provinciam Pompejus intraret. Majores vero noſtri eorumque Reges, pecunia, corporibus, animis multo vobis meliores, exiguæ parti potentiæ Romanæ obſiſtere nequiverunt: vos autem, qui hæreditariam obedientiam ſuſcepiſtis, rebus autem omnibus illis, qui primi paruere, longe inferiores eſtis, contra omne Romanum regnum obſiſtere poſſe arbitramini? Et Athenienſes quidem, qui ob Græcorum libertatem patriam ſuam quondam ignibus tradidere, qui ſuperbiſſimum illum Xerxem per terram navigantem, per mare vero ambulantem, & cujus claſſem non caperet amplitudo pelagi, latiorem autem Europa duceret exercitum, hunc inquam cum una nave fugientem glorioſiſſime perſecuti ſunt: circa parvam autem Salaminam, qui tantas opes Aſiæ confregere, nunc tamen ſerviunt Romanis, & illam regiam Græciæ civitatem adminiſtrant Italiæ juſſiones. Lacedæmonii quoque poſt Thermopylas, & Plateas, & Ageſilaum Aſiam perſcrutatum, eosdem dominos venerantur. Macedones vero, qui adhuc pene imaginantur Philippum videre cum Ale-

Depulsio libertatis Judæorum quam magnopere urgebant.

Exemplum Atheniensium & aliorum, qui Romanorum imperio parent.

Lacedæmonii.

Macedones.

Alexandro promittentem ſibi orbis imperium, ferunt tamen rerum mutationem, & adorant eos, ad quos fortuna migravit. Aliæ quoque multæ gentes ad libertatem fiducia ſubnixæ, & multo majores, ceſſerunt tamen & obediunt: vos autem ſoli ſervire dedignamini his, quibus videtis univerſa eſſe ſubjecta. Quibus exercitibus, quibus confiditis armis? Ubi eſt claſſis veſtra, quæ pervagetur Romanorum maria? Ubi autem *qui* expenſis poſſint ſufficere theſauri? *Contra Ægyptios* forte, aut Arabas exiſtimatis vos bellum movere. Non circumſpicitis Romanorum Imperium? Non metimini veſtram imbecillitatem? Nonne ſcitis veſtram civitatem a conterminis gentibus frequenter eſſe ſuperatam? illorum autem virtus per totum orbem *invicta* percurrit, imo etiam hoc orbe plus aliquid quæſierunt. Neque enim ſufficit eis ad orientem quidem totus Euphrates, ad ſeptentrionem liter: neque in meridie ſolitudine tenus perſcrutata Libya, neque in occidente Gades: ſed ultra oceanum alium quæſierunt orbem, & usque ad Britannias, inacceſſas prius, arma & exercitum transtulerunt. Quid ergo? Vosne ditiores Gallis, fortiores Germanis, prudentiores Græcis? poſtremo plures eſtis omnibus *in toto* orbe degentibus? Quæ vos fiducia adverſum Romanos erigit? Sed dicet aliquis, ſervire *moleſtiſſimum* eſt. At quanto magis id Græcis, *qui* univerſis ſub ſole habitantibus videbantur *præſtare* nobilitate: & tam latam quondam *provinciam* poſſidentes, nunc bis ternis faſcibus *Romanorum* obediunt. Totidem autem etiam *Macedones* obſequuntur, qui certe multo vobis *juſtius* deberent libertatem tueri.

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Comparatio Romanorum Imperii cum Judæorum imbecillitate.

Romani omnes totius orbis partes ſuæ ditioni adjunxerunt, ac ultra Oceanum alium quæſierunt orbem.

A. M. 4030. P.C.N. 68. Asiæ civitates quingentæ Romanis obediunt.

Quid autem quingentæ Asiæ civitates? nunquid non absque ullo præsidio, uni tantummodo rectori parent, & fascibus consulis obsequuntur? Quid autem pergam enumerare Heniochos, & Colchos, & Taurorum gentem: Bosphoranos quoque, & habitantes circa Ponti littora nationes, Mæoticasque gentes? apud quas nimirum olim neque domesticus aliquis dominus noscebatur: nunc vero militum subjiciuntur tantum tribus millibus, & quadraginta naves longæ, innavigabile prius mare in pace custodiunt. Quanta autem Bithynia, & Cappadocia, & Pamphyliorum gens, Lydi quoque & Cilices pro libertate dicere valerent? tamen nunc sine armis tributa pendunt. Quid autem Thraces? quinque quidem diebus in latum, septem autem in longum commeabilem provinciam possidentes, asperioremque multo quam vestra est, ac multis partibus fortiorem, altissimoque gelu eos, qui irruerint, retardantem, duobus millibus Romanorum in præsidio manentibus obsequuntur. Post hos Illyrici usque ad Dalmatiam, & Istro tenus incolentes, duabus tantum legionibus obediunt: cum quibus & ipsi impetus compescunt Dacorum. Ipsi quoque Dalmatæ, qui tam multa pro libertate conati, sæpiusque capti, rursum cum majoribus opibus rebellarunt, nunc sub una Romanorum legione agunt quietem. Verumtamen si aliquos magnæ causæ ad defectionem incitare deberent, Gallos potissimum oporteret assurgere, quos videlicet tantis munimentis natura cinxisset: ab orientali plaga Alpium montibus, a septentrionali Rheno flumine, a meridie Pyrenæis montibus, ab occidente vero Oceano. Sed tali munitione

Gallorum munimenta.

gau-

gaudentes, trecentis & quindecim gentibus numeroſi, fontes autem (ita ut dixerim) felicitatis domeſticæ habentes, omnibusque bonis totum pene orbem irrigantes, ferunt nihilominus vectigales eſſe Romanorum, ac felicitatem ſuam in eorum felicitate reponere: idque ſane ipſum, non per animorum mollitiem, nec propter ignobilitatem parentum (quippe qui per octoginta annos pro libertate pugnaverunt) ſed Romanorum *admirati* ſunt, horrueruntque cum virtute *fortunam*, qua illi plura ſæpe obtinuere, quam bellis: denique ſub mille & ducentis militibus ſerviunt, quibus pene plures habuerunt civitates. Neque Hiſpanis naſcens in agris aurum, pro libertate bella gerentibus profuit, neque tanto terrarum marisque ſpatio a Roma diremptæ gentes, Luſitani ſcilicet & pugnaces Cantabri: nec vicinus Oceanus, etiam accolis ſuis fragore terribilis: ſed ultra columnas Herculis prolatis armis, & per ipſas nubes Pyrenæorum montium eluctati vertices, ditioni ſuæ hos quoque ſubdiderunt Romani: atque ita bellicoſis gentibus, tantoque (ut dixi) ſpatio diremptis, legio in præſidio una ſatis eſt. Quis veſtrum non audivit multitudinem Germanorum? virtutem quoque & magnitudines corporum (ut *arbitror*) ſæpe vidiſtis: ſiquidem ubique Romani earum gentium captivos habent. Sed illi ita ingentem ſpatiis regionem incolentes, ſpiritus autem majores corporibus gerentes, & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem vehementiores feris, nunc Rhenum limitem habent, & octo Romanorum legionibus domantur: & ſerviunt quidem qui capti ſunt, reliqua autem eorum gens univerſa ſa-

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Hiſpani Romanorum Imperio ſubjacent.

Germanorum multitudo, virtus & magnitudines corporum eorundem.

A. M. 4030. P.C.N. 68. lutem in fuga non in armis reponit. Conſiderate autem etiam Britannorum muros, qui Hieroſolymæ confiditis muris. Illos ſiquidem circumdatos Oceano, & pene non minorem, quam noſter orbis eſt, habitantes, Romani navigantes redegerunt in ditionem ſuam: quatuorque legiones tantæ magnitudinis inſulam tuentur. Et quid opus eſt plura dicere? quando etiam Parthi, bellicoſiſſimum genus, tantis prius populis imperantes, & tam magnis opibus circumdati, obſides tamen mittunt Romanis: eſtque cernere, ſub ſpecie pacis ſervientem in Italia præcipuam Orientis nobilitatem. Univerſis pene qui ſub ſole incolunt, Romanorum arma venerantibus, vos ſoli bellum geretis? Neque Carthaginenſium conſiderabitis finem, qui magnum illum Annibalem jactantes, & ex nobili Phœnicum ſtirpe venientes, tamen ſub Scipionis dextera corruerunt? Sed neque Cyrenæi Lacedæmone oriundi, neque Marmaridarum genus usque ad inaquoſas ſolitudines protentum, neque terribiles etiam audientibus Syrtes, Naſamones quoque & Mauri, & innumerabilis multitudo Numidarum virtutes impediere Romanas. Sed tertiam partem orbis terrarum, cujus ne numerare quidem nationes facile eſt, quæ ſcilicet ſub Atlantico mari & columnis Herculis usque ad rubrum mare infinitos numero & locis Æthiopas continet, totam tamen ceperunt armis: & præter fruges annuas, quibus Romanam multitudinem octo menſibus paſcunt, alia quoque vectigalia pendunt, expenſas quoque devotiſſimi imperio miniſtrant, nihil de his quæ jubentur, ſicut vos, contumelioſum putantes, & quidem una cum illis tantum legio commo-

Britannos Romani in ditionem ſuam redegerût.

Parthi.

Carthaginenſes ſub Scipionis dextera corruerunt.

Romani Mauris imperant.

moratur. Sed quid opus eſt longe petitis exemplis potentiam explicare Romanam? cum eam poſſitis de vicina vobis Ægypto diligenter inſpicere. Hæc enim cum usque ad Æthiopas porrigatur, opulentamque Arabiam, contigua quoque ſit Indiæ, quinquaginta & ſeptingentas myriadas incolarum habens, præter Alexandrinorum plebem, tamen vectigalia, quorum magnitudinem de cenſu ſingulorum capitum æſtimare licet, devotiſſime penditans, Romanum non dedignatur imperium: & certe quam magnum ſtimulum defectionis habens, Alexandriam ſcilicet, multitudine & divitiis abundantem, magnitudine quoque non imparem. Habet ſiquidem in longitudine ſtadia triginta, in latitudine vero non minus quam decem: tributorum vero multo amplius per menſes ſingulos infert, quam vos toto anno penditis: & præter pecuniam, quatuor menſium Romanæ plebi annonam miniſtrat. Munitur autem undique aut incommeabili ſolitudine, aut importuoſo mari, aut fluminibus, aut cœnoſis paludibus, quorum tamen omnium nihil Romana fortuna fortius fuit. Duæ enim legiones civitati inſidentes, profundam Ægyptum cum illa Macedonum nobilitate frenant. Quos igitur in bella de ſolitudinibus aliquibus ſocios aſſummetis? Siquidem omnes, qui in orbe habitabili degunt, Romani ſunt: niſi forte quis veſtrum ſpes ſuas ultra Euphratem porrigat, & Adiabenorum regionem gentiles ſuos æſtimet adjutores. Porro nec illi propter irrationabilem cauſam tanto ſe bello implicabunt: nec, ſi tam probroſo operi aſſenſum darent, Parthus tamen ſineret. Eſt ſiquidem ei cura tuendæ cum Romanis amicitiæ, & arbi-

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Alexandria Romanum imperium non dedignatur.

A. M. 4030. P.C.N. 68. trabitur fœdus eſſe temeratum, ſi quis de his, qui ſubjecti ſunt ejus imperio, adverſum Romanos in bello procedat. Supereſt igitur ut ad divinum confugiatur auxilium: verum & hoc apud Romanos eſt: ſine Deo quippe impoſſibile eſſet imperium tale conſiſtere. Conſiderate autem, quemadmodum hæc ipſa erga ipſam religionem immoderatio, etiam ſi cum longe inferioribus bellum geratis, tamen ad diſpenſandum ſit vobis difficillima, atque eadem transgrediendo offendatis Deum, per quæ eum auxiliaturum putatis. Si enim ſervetis ſabbatorum conſuetudinem, & ad nullum actum moveamini, facile profecto capiemini. Sic quippe etiam majores veſtri experti ſunt, hos maxime dies Pompejo ad bellum deſtinante: in quibus ſcilicet hi, qui oppugnabantur, otia gerebant. Transgredientes autem in bello legem patriam, neſcio propter quid in reliquum dimicetis. Una ſiquidem nunc vobis intentio eſt, ne quid de patria inſtitutione ſolvatur. Quemadmodum autem advocabitis in adjutorium Deum, ſi cultum ei debitum ſponte violetis? Aſſummunt autem ſinguli quique bellum, vel divinæ virtuti, vel humanis opibus confidentes. Cum vero utraque hæc, quantum ad ipſam pertinet conſequentiam, deſeruntur, in manifeſtam utique captivitatem volentes pugnare proſiliunt. Quid autem prohibet propriis manibus filios veſtros conjugesque laniare, & hanc pulcherrimam inflammare patriam? Erumpentes ſiquidem in furorem, lucrabimini vel ignominiam ſuperatorum. Bonum eſt, o amici, bonum eſt, dum adhuc ſtat navis in portu, præcavere tempeſtatem futuram, & non eo tempore, quo in medias ir-

Divinum apud Romanos auxilium.

Poſtremū argumentum: Judæos divino pariter atque humano auxilio deſtitutos, ad bella gerenda inutiles eſſe.

Dum adhuc ſtat navis in portu, præcavere tempeſtatem futuram bonum eſt.

rue-

rueris procellas, trepidare. His ſiquidem qui in improviſa mala inciderint, ſupereſt, ut digni vel miſeratione videantur: qui vero ſe in apertum diſcrimen injecerint, etiam exprobrationibus onerentur. Niſi forte aliquis veſtrum æſtimet, ſecundum pacta conflictum ire Romanos, aut poſtquam vicerint, moderate vobiſcum acturos, & non in exemplum aliarum gentium ſacram hanc urbem inflammaturos, interfecturos autem *univerſum* genus veſtrum. Neque enim *qui ſuperfueritis* armis, usquam locum fugæ habebitis, univerſis ſcilicet gentibus vel jam habentibus Romanos dominos, vel habere metuentibus. Periculum autem non ſolum vos manebit, ſed etiam in reliquis civitatibus habitantes Judæos. Neque enim eſt in toto orbe *populus*, in quo non veſtra portio ſit: quos certe *omnes* vobis rebellantibus, cæde crudeliſſima diverſi quique conficient, & propter paucorum virorum conſilia, univerſæ urbes Judaico ſanguine redundabunt. Manet autem venia *eos qui talia* patraverint, quod ſint nimirum veſtro vitio coacti. Si vero eadem exequi ſuperſederint, conſiderate quam impium ſit, adverſum tam benignos arma moviſſe. Subeat autem vos miſeratio, & ſi non filiorum veſtrorum atque *conjugum*, ſaltem iſtius civitatis, quæ mater urbium veſtræ regionis vocatur. Parcite mœnibus ſacris, parcite venerabilibus adytis, templumque vobis & ſancta ſanctorum ſervate. Neque enim ulterius victores Romani his abſtinebunt, quibus primo parcentes nullam receperunt gratiam. Ego teſtor quidem ſancta veſtra, ſacrosque Angelos Dei, patriamque communem, quod nihil eorum conſiliorum, quæ vobis

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Agrippæ de futura Judæorum calamitate prophetia.

Agrippa proteſtatur quod nihil conſiliorum, quæ Judæis viderit expedire, ſubtraxerit.

A. M. 4030. P.C.N. 68. bis viderim expedire, ſubtraxerim: vos autem decernentes quæ oportet, mecum in pace degetis: ſi vero protuleritis iras, absque me periculis ſubdemini. His dictis, aſtante etiam ſorore lachrymavit, & multam partem de eorum impetu lachrymis infregit, Succlamabant autem, non ſe adverſum Romanos, ſed adverſum Florum, ob ea quæ pertuliſſent, bellum gerere. Ad quos Rex Agrippa: Sed opera veſtra, inquit, talia ſunt, qualia adverſum Romanos pugnantium. Neque enim Cæſari vectigal *dediſtis*, & *Antonianas porticus incendiſtis*. Sopietis autem cauſam defectionis, ſi & porticus denuo conſtruatis, & tributa reddere maturetis. Neque enim Flori hoc præſidium eſt, aut pecuniam Floro dabitis. His conſultis populus acquievit, & cum Rege ac Berenice aſcendentes in templum porticus ædificare adorti ſunt. Per vicos autem & regiones principes quique decurionesque diſperſi, vectigal colligebant, celeriterque quadraginta talenta (tantum enim erat reliquum) redacta ſunt. Et belli quidem imminentes minas, eo tunc more Agrippa compeſcuit. Deinceps vero perſuadere populo tentabat, ut parerent Floro, donec ſucceſſor ei a Cæſare mitteretur. Ad quam orationem multitudo accenſa, nec a verborum in Regem contumeliis temperavit, ſed protinus eum urbe pepulerunt: auſique ſunt nonnulli ſeditioſorum etiam ſaxa in eum jacere. Rex autem videns tumultuantium irrevocabilem impetum, & conquerendo quod contumeliis eſſet affectus, Principes quidem eorum una cum aliis potentibus miſit ad Florum Cæſaream, ut ipſe ex eis eligeret, qui

Agrippa Rex a Judæis ſaxis petitus, urbe pellitur.

de

de tota regione vectigal exigerent: ipſe vero diſceſſit in regnum. A. M. 4030. P.C.N. 68.

## CAPUT XVII.

*De cœpta rebellione Judæorum contra Romanos.*

PEr idem tempus quidam eorum, qui bellum maxime movebant, congregati irruebant in quoddam præſidium, quod vocabatur Maſſada: & occulte eo pervaſo, Romanos omnes interfecerunt: alios autem de ſuis poſuerunt cuſtodes. In templo quoque Hieroſolymorum Eleazarus quidam filius Ananiæ Pontificis, juvenis audaciſſimus, dux illo tempore militum, perſuaſit his, qui ſacrificiis miniſtrabant, ut nullius munus aut hoſtia, qui non eſſet de Judæorum gente, ſuſciperetur. Id autem erat Romani belli ſeminarium atque materia. Rejecit ſiquidem hoſtias Cæſaris, quæ pro Romano populo offerri ſolitæ erant. Plurimum autem ſuper hoc Pontificibus, aliisque nobilibus deprecatis, ut non præterirent eum morem, quo ſupplicabatur pro Regibus, nihil tamen acquieverunt, non parum quidem & ſuæ multitudini confidentes: robur ſiquidem omne res novare cupientium, eorum voluntates juvabat: maxime autem aſpiciebant in Eleazarum, qui per idem tempus, ut dixi, Princeps erat. Convenientes igitur potentes quique cum Pontificibus, & Phariſæorum nobiliſſimis, & videntes quam gravibus malis pergerent ſubjicere civitatem, decreverunt ſeditioſorum animos experiri: & ante portam, quæ ærea vocatur, concionem advocantes (erat autem in interiori parte templi poſita, quæ reſpicit ad ſolis exortum) ac primo quidem multa

Judæi Cæſaris hoſtias pro Romano populo offerri ſolitas rejiciunt.

Concio potentum ad ſeditioſos.

A. M. 4030. P.C.N. 68. ta de temeraria eorum defectione conquesti, & quod tam grave bellum patriæ commoverent: deinceps irrationabilitatem causæ ipsius arguebant, dicentes, majores quidem eorum ornasse templum ex magna parte de muneribus gentium, semperque eorum, qui foris essent, populorum munera suscepisse: & non solum non prohibuisse aliquorum hostias (id siquidem esse impiissimum) sed etiam eas, quæ viserentur permanerentque ad præsens usque tempus, oblationes eorum in templi cultibus collocasse. At nunc eos, qui Romana arma irritarent, & despondererent eorum bella, novum statuere morem religionis, atque cum periculis etiam ream facere civitatem impietatis videri: siquidem ea sit, in qua præter solos Judæos, nullus alius immolet externus, neque ad orandum sinatur accedere. Et siquidem circa unius alicujus privati personam lex ferretur ejusmodi, posset nimirum jure nos inhumanitatis arguere: nunc autem despiciuntur Romani, & judicatur Cæsar profanus. Unde verendum esse, ne qui immolandas pro illis hostias repellunt, ipsi in reliquum etiam pro se sacrificia prohibeantur offerre: fiatque vere extra principatum civitas, nisi celerius resipiscentes reddiderint hostias, ac prius quam ad eos, in quorum contumeliam id tentatum est, hujus ausus perveniat fama. Simul autem ista dicentes, producebant in medium scientissimos morum paternorum, sacerdotes quoque narraturos, quomodo omnes eorum majores exterarum gentium semper sacrificia suscepissent. Attendebat autem nemo res novare cupientium his, quæ dicebantur, sed neque procedebant in medium altaris ministri, ut belli materiam præ-

Contra illos qui peregrinas hostias ferre nolebant.

Potentibus nemo seditiosorum obtemperat.

pa-

parantes. Videntes igitur nobiles quique seditionem eo jam processisse, ut eorum non posset autoritate compesci, & Romanorum armorum periculum se primos esse sensuros, in quantum poterant consulentes, amoliri causas parabant, & legatos quidem alios ad Florum miserunt, quorum erat princeps filius Ananiæ Simon: alios ad Agrippam, inter quos nobilissimi Saulus, & Antipas, & Costobarus erant, qui etiam Regem propinquitate tangebant. Precabantur autem *utrumque*, ut cum exercitu ascenderent in civitatem, & seditionem opprimerent, prius quam ea intolerabilis fieret. Et Floro quidem malum istud quasi bonus nuncius fuit, volensque inflammare bellum, nihil respondit legatis. Agrippa autem pariter utrisque parcens, scilicet deficientibus & iis, adversum quos bellum movebatur, volensque & Romanis conservare Judæos, & Judæis templum atque patriam, ad hæc autem nec sibi conducere talem conturbationem sciens, misit in auxilium populo equites ter mille, Auranitas scilicet, & Batanæos, & Trachonitas sub præfecto equitum Dario, duce vero Philippo Jachimi filio. His ergo venientibus, optimates quique cum pontificibus & omni multitudine, quæ optabat quietem, superiorem occupant civitatem: *inferiorem* siquidem & templum, seditiosorum manus tenebat. Missilibus igitur & fundis indesinenter utebantur, & continua erat emissio sagittarum ex utraque scilicet parte: erat autem quando ex insidiis procurrentes cominus dimicabant. Præstabant autem audacia quidem seditiosi, belli vero scientia Regii. Et his quidem erat propositum maxime templum obtinere, profanatoresque ejus expellere.

A. M. 4030. P. C. N. 68.

Legati, contra seditiosos ad Florum & Agrippam missi.

Bellum in Hierosolyma, inter pacificos & seditiosos.

A. M. 4030. P.C.N. 68. Seditiosis vero, qui cum Eleazaro agebant, ut præter ea, quæ obtinebant, etiam superiorem invaderent urbem. Per septem igitur dies gravis utriusque partis cædes fiebat, & neutri de eo loco, quem tenuerant, depellebantur. Deinceps vero adveniente ea festivitate, quæ Xylophorias dicitur, in qua mos est omnibus grandem lignorum materiam convehere ad templum, quatenus nunquam ignis deficiat esca (semper enim inextinguibilis perseverat) adversarios quidem a cultu religionis excluserunt: inter infirmiorem autem vulgum irrumpentes multi sicariorum (sic enim vocant latrones, gladios in sinibus gerentes) recepti, audacissime prosequebantur opus, quod adorti erant. Regii autem audacia & multitudine vincebantur. Ita superiore civitate cesserunt, cum isti protinus irruentes, Ananiæ pontificis domum, & Agrippæ ac Berenices palatium inflammaverunt: post quod ignem archivo intulerunt, volentes omnia creditorum documenta disperdere, ne esset unde ratio creditæ pecuniæ pateret, utque omnem sibi debitorum adjungerent multitudinem, & adversum locupletes egenis præberent insurgendi facultatem liberam. Fugientibus vero chartarum publicarum custodibus, ignem ædibus injecerunt: atque ita incensis civitatis nervis, in hostes irruebant. Quo loco pontificum atque nobilium quidam in cloacis latuerunt, quidam cum Regiis in superiorem regiam confugerunt, portas celeriter obserantes. Inter quos Ananias Pontifex, & Ezechias frater ejus erant: & illi quos apud Agrippam functos legatione diximus. Tunc ergo victoria & inflammatione contenti cessaverunt. Postridie autem, quinta-

Xylophoria festivitas.

Regios seditiosi vincunt.

tadecima ſcilicet die Auguſti menſis, fecerunt impetum in Antoniam: & omnes in eo præſidio agentes, per biduum obſeſſos, ceperunt atque interfecerunt, præſidiumque incenderunt. Poſtea vero tranſierunt in regiam, ad quam confugere Agrippæ milites: & in quatuor partes agmen ſuum dividentes, muros evertere moliebantur: eorum vero qui intus erant, erumpere nullus audebat, propter multitudinem oppugnantium: ſed diſtributi per propugnacula & turres, ſubeuntes interficiebant, ac frequentes omnino latrones ſub muris cadebant. Nec die autem conflictus nec nocte ceſſabat: ſeditioſis videlicet exiſtimantibus in deſperationem cogi eos, qui in præſidio erant, propter inopiam victus: Regiis vero credentibus oppugnatores ſuos ceſſuros labori. Interea Manahemus quidam, filius Judæ Galilæi, callidiſſimi illius Sophiſtæ, qui quondam ſub Cyrenio exprobraverat Judæis, quod poſt Deum ſubjicerentur Romanis: aſſumptis quibusdam nobilium, perrexit in Maſſadam, ubi armamentarium Herodis Regis erat: eoque perrupto populares aliosque latrones diligenter armavit, hisque utens ſtipatoribus, veluti Rex Hieroſolymam revertitur: factusque Princeps ſeditionis, oppugnationem diſponebat. Machinarum autem inopia erat, nec poterat palam ſuffodere muros ſuperne hoſtibus tela jacientibus. Cuniculum igitur longe cœptum ſub unam turrim agentes, ſuſpenderunt eam materie ſubjecta: ac poſtea in ſuſtinentia ligna igne immiſſo egreſſi ſunt. Sicque ſubjicibus exuſtis, turris quidem ex templo emota eſt: alter autem murus intus ædificatus apparuit. Regii quippe molitiones eorum præſen-

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Antoniam ſeditioſi capiunt atque incendunt.

A. M. 4030. P.C.N. 68.

tientes, forte etiam de concussione turris, alium sibi murum celerius ædificaverunt. Inter hæc autem hi quidem, qui oppugnabant, & statim se victores credebant, cum vidi lent alium murum, stupore defecti sunt: Regii tamen ad Manahemum aliosque seditionis principes mittebant, precantes, ut eis discedere liceret. Quod cum solis Regiis ejusque religionis reliquis Manahemus annuisset, protinus discesserunt. Romanos autem, qui soli relicti erant, grandis animi occupavit defectus. Neque enim vi contra tantam multitudinem pares erant: & precari, ut exire liceret, ignominiam judicabant: quanquam & si permitteretur, nequaquam tutum putabant. Derelinquentes igitur inferiorem locum, qui Stratopedon vocabatur, quippe quasi capi facilem, in turres Regias confugerunt: quarum una appellabatur Hippicos, alia Phasaelus, tertia Mariamme. Hi vero, qui cum Manahemo erant, protinus irruentes in ea loca, e quibus milites fugerant, si quos eorum comprehenderent, trucidantes, omnem reliquum apparatum diripientes, Stratopedon incenderunt. Hæc igitur acta sunt sexto die Septembris.

Regiis ejusque religionis reliquis Manahemus discedere facultatem concedit.

Romani Stratopedon relinquentes in turres regias confugiunt.

## CAPUT XVIII.

*De cæde Ananiæ Pontificis, Manahemi, & militum Romanorum.*

Ananiæ Pontificis & Ezechiæ fratris mors.

SEquenti autem die Pontifex Ananias circa Euripos Regiæ domus latens capitur, & a latronibus interficitur cum Ezechia fratre. Circumsidentes autem etiam turres seditiosi, custodiebant, ne quis militum posset effugere. Manahemum autem & munitorum locorum destructio,

ctio, & Pontificis Ananiæ mors, in crudelitatem erexit: & neminem parem sibi in negotiis arbitrans, intolerabilis erat tyrannus. Insurrexerunt autem duo de sociis Eleazari: & mutuo collocuti, quod non deceret a Romanis desiderio libertatis deficientes, eandem populari suo prodere, dominumque ferre, etsi non violentum, tamen seipsis humiliorem: nam si oporteat cunctis aliquem præesse, quemvis magis alium, quam illum decere: atque ita pacti, adoriuntur eum in templo: magno enim fastu adoraturus accesserat, regali habitu indutus, & studiosos sui in armis habebat. Cum igitur hi, qui circa Eleazarum erant, in illum prosiluissent, reliquus quoque populus rapiens saxa lapidavit sophistam: existimantes, quod illo interempto tota seditio solveretur. Paululum autem stipatores Manahemi resistentes, postquam viderunt totam adversum se multitudinem irruere, quisque quo potuit diffugit. Et cædes quidem erat eorum, qui comprehensi sunt, persecutio autem latentium sequebatur: paucique ex eis clam in Massadam perfugerunt: cum quibus & Eleazarus filius Jairi, propinquus genere Manahemo, qui postea etiam in Massada tyrannidem egit. Ipsum autem Manahemum, cum fugisset in locum, qui Ophlas vocatur, atque illic humiliter delitesceret, capientes extraxerunt in publicum, multisque tormentis excruciatum interfecerunt. Similiter autem sub eo agentes principes, præcipuumque tyrannidis ejus adjutorem Absalomon nomine. Et populus quidem, sicut dixi, in his adjutor fuit, suspicans aliquam totius seditionis correctionem futuram. Hi vero non ut comprimerent bellum, sed ut cum majori licentia ge-

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Eleazari sectatores Manahemum in templo adoriuntur.

Manahemus cum Principibus interficitur.

A. M. 4030. P.C.N. 68. gererent, interfecerunt Manahemum. Denique cum populus multum precaretur, ut oppugnationem militum relaxarent, vehementius insiſtebant, donec ulterius reſiſtere non valentes, Metilius Romanorum præfectus & reliqui mittunt ad Eleazarum, precantes, ut ſolam eorum paciſceretur vitam: arma autem & reliqua quæ haberet, ipſis tradentibus ſummeret. Qui precationem illico arripientes, remittunt ad eos Gorionem Nicodemi filium, & Ananiam Sadducæum, & Judam Jonathæ, ſcilicet eis dextras & Sacramentum daturos. Quibus actis, deducebat milites Metilius: ſed quamdiu Romani arma retinebant, nemo adverſus eos ſeditioſorum fraudis aliquid molitus eſt: poſtea vero quam ſecundum pactiones omnes ſcuta gladiosque poſuerunt, neque quicquam ulterius ſuſpicantes diſcedebant, facto in eos impetu ſtipatores Eleazari, comprehenſos trucidabant, neque reſiſtentes, neque ſupplicantes, ſolas autem pactiones & juramenta, quæ dederant, inclamantes. Et hi quidem ita crudeliter interfecti ſunt, præter Metilium. Hunc enim deprecantem, & usque ad circumciſionem Judaizare ſe promittentem, ſervaverunt ſolum. Detrimentum autem Romanis quidem erat leve: ex copiis ſiquidem ampliſſimis pauci fuerunt interempti: Judæorum autem captivitatis illud exordium videbatur. Videntes autem graves jam inſtare cauſas bellorum: urbem autem tali facinore fuiſſe reſperſam, ex quo nimirum divina indignatio imminebat, etiamſi a Romanis nulla ultio timeretur: lugebant publice, & triſtitia civitas premebatur: moderati autem quique, quaſi pro ſeditioſis cauſas reddituri, turbabantur; ſiquidem

Romani ulterius reſiſtere non valentes, ſeſe dedunt.

Romani contra pacta uno Metilio excepto ab Judæis crudeliter interfecti.

Cædes Sabbato perpetrata.

ſab-

Sabbato illam cædem contigerat perpetrari, quo ſcilicet die propter religionem a ſanctis quoque operibus agunt quietem. A. M. 4030. P.C.N. 68.

## CAPUT XIX.

*De Judæorum maxima ſtrage Cæſareæ & in omni Syria.*

EOdem autem die, eademque hora, quaſi aliqua cæleſti providentia Cæſarienſes quoque Judæos apud ſe habitantes trucidaverunt: ita ut uno tempore ſuper viginti millia hominum cæderentur, & cunctis Judæis vacuata Cæſarea remaneret. Nam & eos, qui effugerant, comprehendens Florus, vinctos in arenam deduxit. Poſt Cæſarienſem vero cladem, tota gens efferata eſt. Diviſique Judæi, Syrorum vicos ac finitimas civitates protinus vaſtaverunt: id eſt, Philadelphiam, & Gebonitin, & Geraſam, & Pellam & Scythopolim. Deinceps vero irruerunt & in Gadaram & Hippon & Gaulanitidem: & alia quidem ſubruentes loca, alia vero inflammantes, etiam in Cedaſam Tyriorum & Ptolemaidem, Gabam quoque Cæſareamque tendebant. Obſtitit autem eorum incurſui neque Sebaſte, neque Aſcalon: ſed his quoque flamma vaſtatis, Anthedonam & Gazam everterunt. Multa autem circa fines harum civitatum diripiebantur, vici ſcilicet & agri, eorumque, qui capiebantur virorum, immenſa cædes fiebat. Neque tamen Syri minorem numero multitudinem de Judæorum gente vaſtabant: ſed etiam eos, qui in civitatibus erant, comprehenſos diſperdebant: non ſolum ob vetus odium, ſed ut diſcrimen imminens prævenirent. Gravis ergo

Judæi Syrorum vicos ac finitimas civitates protinus vaſtant.

A. M. 4030 P.C.N. 68. conturbatio totam Syriam pervaſerat, & omnis civitas in binos dividebatur exercitus: unaque alterutris ſalus erat, ſi præveniſſent alteros cæde facienda: & dies quidem ducebantur in ſanguine, noctes autem moleſtiores formido faciebat. Nam licet viderentur amoliri Judæos, tamen etiam aliarum gentium Judaizantes cogebantur habere ſuſpectos: & ob hoc ipſum quod in eis videbatur ambiguum, neque temere eos placebat interfici, & rurſus ob ipſam religionis commixtionem quaſi penitus externos timebant. Provocabat autem ad cædes adverſæ partis, etiam illos, qui prius fuerant manſueti, avaritia: ſiquidem ſubſtantias cæſorum paſſim diripiebant: & quaſi victores eorum prædam, quos trucidaverant, in domos alias transferebant. Glorioſior autem erat qui plura collegiſſet, quaſi ſcilicet plures virtute ſuperaſſet. Erat autem cernere civitates plenas cadaveribus inſepultis, & inhumatos paſſim jacere cum parvulis ſenes, fœminas autem neque pudenda contectas. Et omnis quidem provincia plena erat inenarrabilium calamitatum: majorum autem metus, quam quæ peracta erant, facinorum imminebat. Et hactenus quidem Judæis, adverſum alienigenas conflictus erat. Incurrentes autem in Scythopoleos fines, etiam Judæos, qui illic habitabant, experti ſunt hoſtes. Hi enim cum Scythopolitis conſpirantes, & conſanguinitatem utilitati propriæ poſtponentes, adverſum Judæos cum gentilibus dimicabant. Suſpecta tamen eorum ipſa belli fuit aviditas. Denique Scythopolitæ veriti, ne civitatem noctu adirent, & magna ſua calamitate civibus excuſarent defectionem, ediderunt eis, ut ſi vellent inter eos firmare con-

Omnis Syria inenarrabilium calamitatum plena

Judæi Judæos hoſtes expectantur.

ſen-

ſenſum, & circa alienigenas oſtendere fidem, A. M. 4030. P.C.N. 68.
tranſirent cum omnibus filiis ſuis in lucum: quibus quæ fuerant juſſa ſine ſuſpicione facientibus, diebus quidem ſecutis duobus quieverunt Scythopolitæ: tertia vero nocte exploratores, alios incautos, alios vero dormientes invadunt, ſubitoque omnes interfecerunt, qui fuerunt numero tredecim millia: poſtquam eorum bona diripuerunt. Dignum autem etiam videtur, Simonis interitum enarrare. Hic enim Sauli cujusdam non ignobilis viri filius erat, fortitudine quoque corporis & audacia animi inſignifſimus: quibus utrisque ad incommoda ſuæ gentis abuſus eſt. Multos ſiquidem Judæorum propinquos Scythopoli, quotidie obtruncabat, & frequenter integros cuneos fudit, ita ut totius aciei momentum ſolus exiſteret. Comprehendit autem eum digna civili cæde pœna. Nam cum Scythopolitæ circumfuſi Judæis, paſſim per lucum eos jaculis configerent, educto Simon gladio, in nullum quidem hoſtium impetum fecit. Nihil enim ſe in tanta multitudine promoturum videbat. Exclamans autem miſerabiliter: digna, inquit, Scythopolitæ his, quæ geſſi, patior: quippe qui tam multa cæde civium meorum, benignitati erga vos noſtræ fidem feci. Digne enim nobis extera gens infida eſt, qui in noſtrum genus tanta impietate deliquimus. Morior ergo quaſi profanus propriis manibus: neque enim decet hoſtili manu cadere. Iſte autem ipſe finis mihi & ſceleris digna pœna, & idoneum virtutis decus erit: ut nemo ſcilicet hoſtium de meo interitu glorietur, neque inſultet cadenti. Hæc dicens, miſerantibus ſimul ac furentibus oculis circumſpicit omnem fami-

Scythopolytæ tredecim millia Judæorum trucidant.

Simon multos Judæorum propinquos Scythopoli quotidie obtruncat.

A. M. 4030. P.C.N. 68. liam ſuam: erat autem ei uxor & filii, & provecti in ſenectutem parentes. Ille igitur primum quidem patrem a cæſarie comprehendens, & ſuper eum ſtans enſe penetravit: poſt quem non ſane invitam matrem ſuam interfecit: ſuper hos autem conjugi, & filiis intulit ferrum, ſingulis ſane horum pene occurrentibus gladio, & hoſtes prævenire cupientibus. Cum vero omnem ſuam neceſſitudinem trucidaſſet, cæſis ſuperſtans extulit dexteram, ut neminem poſſet latere, & totum in viſcera ſua enſem demerſit: dignus quidem miſeratione juvenis propter robur corporis atque animi firmitatem, cæterum quantum ad fidem, quam alienigenis præſtitit, digno fine conſumptus.

Simon parentes, uxorem ac liberos, denique ſeipſum quoque trucidat.

## CAPUT XX.

### *De Judæorum alia gravi cæde.*

Judæorum alia cædes. AD cædem autem, quæ in Scythopoli facta eſt, reliquæ quoque urbes in Judæos apud ſe habitantes irruebant: & duo millia quingentos Aſcalonitæ, Ptolemais autem duo millia interfecit. Vinxerunt quoque non paucos Tyrii, multosque trucidaverunt: plures autem eorum vinctos cuſtodiis tradidere. Hippeni quoque & Gadarenſes ſimiliter audaciſſimos quidem amoliebantur, terribiles autem ſolicite adſervabant. Reliquæ quoque urbes adverſum Judæos ſingulæ, prout habebant, vel timore vel odio movebantur. Soli autem Antiocheni, & Sidonii, & Apameni, ſuis cohabitatoribus pepercerunt, & neque interfecere quempiam Judæorum, neque vinculis tradiderunt: forte autem & propter multitudinem ſuam deſpexerunt eorum ſi

Urbes adverſus Judæos moventur.

qui

qui motus fuiſſent: mihi autem videntur magis erga eos miſeratione moti, quos utique nihil moliri videbant. Geraſeni autem neque in eos, qui apud ſe remanere delegerunt, quicquam geſſerunt mali: & egredi volentes usque ad fines ſuos deduxerunt. Excitata eſt autem etiam in regno Agrippæ adverſum Judæos pernicies. Ipſe ſiquidem perrexerat ad Ceſtium Gallum Antiochiam, relicta adminiſtratione cuidam ex amicis, nomine Varo, Sohemo Regi genere propinquo. Venerunt autem de Batanæa regione ſeptuaginta numero viri, & nobilitate & prudentia civium ſuorum præſtantiſſimi, poſcendi præſidii gratia: ut ſi qui ſcilicet apud eos quoque motus fierent, haberent idoneam cuſtodiam, per quam poſſent inſurgentes quoque comprimere. Hos Varus, quosdam armatos de Regiis præmittens, interfecit in itinere omnes. Auſus autem eſt tale facinus præter conſilium Agrippæ, & propter nimiam avaritiam impie in gentiles ſuos agere non recuſans, regnum omne corrupit, perſeverans poſt tale ſcilicet principium in totum genus exercere iniquitatem: donec diſcuſſis Agrippa rebus animadvertere quidem in eum veritus eſt propter propinquitatem Sohemi, procuranda tamen eum regione ſummovit. Seditioſi autem capto præſidio, quod appellatur Cyprus, imminens finibus Hierichuntis, cuſtodes quidem interfecerunt, munimenta autem deſtruxerunt. Per eosdem dies etiam in Machærunte multitudo Judæorum perſuadebat in præſidio relictis Romanis, deſerere caſtellum, eisque tradere. Illi autem quod rogabantur cogi metuentes, pacti ſunt cum eis diſceſſionem ſuam: & accipientes fidem, tradunt præſidium,

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Varus 70. Judæos in itinere interficit.

Romani Judæis in Machærunte caſtellum tradunt.

A. M. 4030. P.C.N. 68. quod diligentibus cœperunt Machæruntii cuſtodiis obtinere.

## CAPUT XXI.

*Judæi Alexandriæ occiſi.*

VErum in Alexandria ſemper quidem erat incolis adverſum Judæos ſeditio, jam ab illo tempore, ex quo ſtrenuis Alexander contra Ægyptios uſus Judæis, præmium ſocietatis tradidit eis, & habitandi apud Alexandriam facultatem, & jus civitatis æquale cum gentibus: permanebat autem eis honor iſte apud ſucceſſores quoque Alexandri: denique & in parte urbis locum eis proprium deputaverunt, quatenus haberent converſationem per omnia mundiorem, a communione ſcilicet gentium ſequeſtratam: præſtiteruntque eis, ut etiam Macedones appellarentur. Deinceps vero cum in ditionem Romanorum Ægyptus veniſſet, neque Cæſar primus, neque poſt eum quispiam, honores, quos Alexander Judæis decreverat, minuit. Conflictus autem eorum adverſus Græcos pene continuus erat: & judicibus in multos quotidie ab utraque parte animadvertentibus, ſeditio accendebatur. Tunc vero cum & apud alios turbata res eſſet, illic magis exarſit tumultus. Nam cum Alexandrini in concionem veniſſent, ut ordinarent pro certis negotiis legationem ad Neronem ferendam, occurrerunt in amphitheatrum permixti Græcis plurimi Judæorum. Quos cum vidiſſent æmuli, ex templo clamare cœperunt, Judæos hoſtes & exploratores eſſe: ac deinceps inſilientes intulerunt eisdem manus: & reliqui quidem fugientes diſſipati ſunt, tres vero ex his com-

comprehenſos, trahebant quaſi vivos incenſuri. Commoti ſunt autem univerſi Judæi ad opem ferendam: & primum quidem in Græcos ſaxa jaciebant, poſtea vero etiam facibus raptis in amphitheatrum impetum fecerunt, comminantes, quod in ipſo loco tantum ſimul populum concremarent: & pene minas impleſſent rebus, niſi iras eorum compreſſiſſet Tiberius Alexander, magiſtratus civitatis. Nec tamen ipſe coercendi *principium* ab armis ſumpſit, ſed nobiles eorum *quosque* ſubmittens, hortabatur, ut deſinerent, neque adverſum ſe milites Romanos commoverent. Seditioſi autem benignam deprecationem ridentes, Tiberium contumeliis appetebant. Qui poſtquam vidit absque magna calamitate tumultuoſos non poſſe compeſci, immiſit *in eos* duas Romanorum legiones, quæ in civitate erant: & cum his alios quinque millia milites, caſu ad Judæorum interitum de Lybia venientes: præcipitque, ut non ſolum interficerent, ſed etiam bona eorum diriperent, domosque *inflammarent*. Qui protinus concurrentes in locum, qui vocatur Delta (illic quippe erat Judæorum multitudo collecta) exequebantur ſtrenue juſſa, nec ſane ſine cruenta victoria. Conglobati enim Judæi, his quos melius armatos *habebant*, in fronte poſitis, aliquamdiu quidem reſtiterunt: ſemel vero in fugam verſi mactabantur: nec unus erat exitii modus, cum alii ſub divo atque in campo deprehenderentur, *in* ædes autem alii concluderentur, & eas quoque ſuccenderent Romani, una etiam diripiendo, quæ in his reperiſſent: cum neque illos aut infantum miſericordia, aut reverentia ſenectutis moveret, ſed in omnes ætates pari cæde ſævirent.

A. M. 4030. P.C.N. 68.

Seditio Alexandriæ inter Judæos & Græcos.

Tiberius Alexander ſeditioſos Judæos, ut deſinerent hortatur.

Cruenta victoria in qua 50. millia Judæorum interficiuntur.

A. M. 4030. P.C.N. 68. rent. Unde totus quidem ille locus sanguine redundabat: quinquaginta vero congesta sunt millia mortuorum: nec tamen saltem reliquiæ remansissent, nisi ad preces se contulissent, eorumque misertus Alexander, Romanos jussisset abscedere. Sed illi quidem, quibus erat consuetum obedire præceptis, primo ejus nutu necibus pepercerunt: populares autem Alexandrini propter odii magnitudinem difficulter ab incepto revocabantur, vixque a cadaveribus distrahebantur: apud Alexandriam quidem talis casus evenit.

## CAPUT XXII.

*De clade Judæorum, autore Cestio.*

Ingentes Romanorum copiæ

CEstio vero jam quiescendum esse non videbatur, infensis ubique Judæis: sed duodecimam legionem integram ex Antiochia secum ducens, & ex reliquis bina millia lecta peditum, & quatuor alas equitum: insuperque Regum auxilia, hoc est Antiochi duo millia equitum & peditum tria millia, sagittarios omnes, Agrippæ vero tantundem peditum, & equitum mille, cum & Sohemus sequeretur, quatuor millibus comitatus, quorum tertia pars equitum erat, pluresque sagittarii, Ptolemaida progressus est. Plurimi autem ex civitatibus auxilio convenere, peritia quidem militibus inferiores, quod autem scientiæ deerat, in Judæos odio, itemque alacritate supplentes. Aderat autem ipse quoque Agrippa Cestio, & eorum quæ conducerent simul & itineris princeps. Ibi cum abducta exercitus parte Cestius in validissimam Galilææ civitatem

tatem contendit Zabulon, quæ appellatur virorum, & ab Judæorum finibus Ptolemaida discernit. Cumque offendisset eam civibus destitutam (in montes enim multitudo refugerat) omnigenum autem rerum plenam, illas quidem militibus diripiendas concessit: ipsum vero oppidum, quamvis admiratus esset ejus pulchritudinem, quippe domus habebat similiter, ut apud Tyrum & Sydona & Berytum ædificatas, incendit. *Deinde* cursu territorio peragrato, quicquid *inveniret* obviam depopulatus est: inflammatisque etiam circum eam positis vicis, in Ptolemaida revertit. Syris autem adhuc prædæ inhærentibus, & præcipue Berytiis, recepta Judæi fiducia (Cestium enim recessisse cognoverant) repente in eos, qui remanserant, irruunt, & prope *ad duo millia* cædunt. Cestius autem ex Ptolemaide profectus, ipse quidem Cæsaream pervenit: in Joppen vero partem præmisit exercitus cum præceptis hujusmodi, ut oppidum *custodirent*, si eo potiri possent: aut si oppidani *impetum* præsensissent, tam suum quam cæterorum militum præstolarentur adventum. Illorum igitur alii mari, alii terra profecti, utrinque Joppen facillime capiunt: ita ut ne fugæ *quidem habitatores* copiam reperirent, nedum ad pugnam se pararent. Aggressi autem cunctos interficiunt cum familiis, direptamque civitatem incendunt. Interfectorum autem numerus octo millia quadringenti fuerunt. Simili modo & in finitimam Samariæ Narbatenen toparchiam non paucos misit equites, qui & partem *finium* vendicaverunt, magnamque indigenarum multitudinem peremerunt: direptisque patrimoniis, etiam vicos igni dederunt.

A. M. 4030. P. C. N. 68.

Zabulon, validissima Galilæa civitas direpta & incensa.

Judæi Syrorum ad duo millia cædunt.

Romani Joppen capiunt, & incendunt & octo millia quadringentos interficiunt.

A. M. 4030. P.C.N. 68.

## CAPUT XXIII.

*De pugna Ceſtii contra Hieroſolymam.*

IN Galilæam quoque miſit Cæſennium Gallum, ductorem duodecimæ legionis: eique tantam militum manum attribuit, quantam genti expugnandæ ſufficere poſſe credebat. Eum validiſſima Galilææ civitas Sepphoris cum favore ſuſcepit. Hujusque prudens conſilium ſecutæ civitates aliæ, quieſcebant. Qui vero ſeditionibus & latrociniis operam dabant, in Galilææ montem undique medium receſſere, qui eſt contra Sephorim, & vocatur Aſamon. Adverſus eos Gallus ductabat exercitum. Illi autem quamdiu ſuperiores erant, facile Romanos ad ſe aſcendentes arcebant, & ex his plures quam ducentos interfecerunt. Ubi vero eos viderunt circumacto itinere ad celſiora progreſſos, mature victoriam conceſſerunt: & neque pugnam minus armati ferebant, neque, ſi terga dediſſent, equitum poterant manus effugere: adeo ut pauci locis aſperis deliteſcerent, amplius vero quam duo millia trucidarentur. Gallus igitur cum nihil jam tentari novitatis apud Galilæam videret, Cæſaream cum exercitu remeabat. Ceſtius vero cum omni manu reverſus in Antipatridem perrexit. Cognitoque non parvam multitudinem Judæorum in turrim, quæ Aphæci vocabatur, eſſe collectam, qui cum his congrederentur, præmiſit. Sed prius quam in manus venirent, Judæi metu diſperſi ſunt: eorumque caſtra jam deſolata milites adorti, cum vicis circumpoſitis incenderunt. Ex Antipatride autem Ceſtius in Lyddam profectus, vacuam viris civitatem offendit: nam propter ſcenopegio-

Sepphoris aliæque Galilææ civitates, Romanos cum favore ſuſcipiunt.

Duo millia ſeditioſorum in Galilæa ab Romanis trucidati.

Antipatris devaſtata & incenſa.

giorum dies feſtos, in Hieroſolymam populus omnis aſcenderat, quinquaginta vero quos ibi comprehendit occiſis, exuſtoque oppido ulterius procedebat: perque Bethoron profectus, in quodam loco, cui nomen eſt Gabao, caſtra poſuit, diſtante ab Hieroſolymis ſtadiis quinquaginta. Judæi vero cum jam civitati propinquare bellum viderent, omiſſis dierum feſtorum ſolennibus, ad arma properabant: ſatisque freti multitudine, incompoſiti ad pugnam & cum clamore proſiliebant, ne dierum quidem ſeptem habita ratione feriatorum: erat enim Sabbatum, quod apud eos religione maxima curabatur: idem autem furor, qui eos ab obſequio pietatis emoverat, in prælio quoque ſuperiores effecit. Tanto namque impetu Romanos aggreſſi ſunt, ut eorum & aciem perrumperent, viaque aperta cædibus in medios ruerent: ac niſi ei militum parti, quæ necdum locum amiſerat, equites ex circuitu ſubveniſſent, quique nondum defecerant pedites, in periculo totus Ceſtii exercitus fuiſſet. Interfecti ſunt autem quingenti & quindecim Romani milites: ex quibus quadringenti pedites, cæteri equites erant: Judæi vero viginti duo. Fortiſſimi autem videbantur Monobazi Regis Adiabenæ propinqui, Monobazus & Cenedæus, & poſt hos Peraita Niger, & Silas Babylonius, qui ad Judæos ab Agrippa Rege transfugerat, cui pridem militabat. A fronte igitur repulſi Judæi, ad civitatem revertebantur. Romanos autem ad Bethoron aſcendentes Gioræ filius Simon invadit, multosque poſtremi agminis coactores laniavit: ac multos carros cum ſarcinis captos, in civitatem reduxit. Ceſtio vero in agris triduo com-

A. M. 4030. P. C. N. 68.

Lydda excuſſa. Ceſtius ab Hieroſolymis ſtadiis 50 caſtra ponit.

Impetus & victoria Judæorum contra Romanos.

Audacia Judæorum contra Romanos.

A. M. 4030. P.C.N. 68. morante, Judæi locis ſuperioribus occupatis, obſervabant ejus tranſitum: neque ceſſaturos eos certum erat, ſi Romani proficiſci cœpiſſent.

## CAPUT XXIV.

*De obſidione Hieroſolymæ a Ceſtio, & ſtrage.*

ITaque dum Agrippa, infinita hoſtium multitudine montes amplexa, ne Romanos quidem a periculo tutos eſſe perſpiceret, verbis Judæos experiri decrevit, vel omnes ſibi parituros exiſtimans, ut bello deſiſterent: vel ſi qui adverſarentur, revocandos qui ab eorum ſententia diſcreparent. Miſit igitur ex comitibus ſuis Borcæum & Phœbum, quos illis ſciebat notiſſimos: ut a Cæſtio fœdus amicitiæ, certamque pro peccatis a populo Romano veniam pollicerentur, ſi projectis armis, ſecum ſentire voluiſſent. Verum ſeditioſi metu, ne cuncta multitudo ſpe ſecuritatis ad Agrippam ſeſe conferret, legatos obtruncare ſtatuerunt: & Phœbum quidem, priusquam verbum faceret, peremerunt: nam Borcæus vulneratus effugit: populares autem, hoc indigne ferentes factum, cædendo fuſtibus atque lapidibus in oppidum compulerunt. Ceſtius vero, quia inteſtinam eorum diſcordiam, opportunum ad irruendum tempus invenit, totum in eos duxit exercitum, inque fugam verſos, usque ad Hieroſolymam perſecutus eſt. Caſtris autem in loco poſitis, qui appellatur Scopus, intervallo ſeptem ſtadiorum a civitate diſcedens, nihil per triduum adverſus oppidum conabatur: ſperans fortaſſe intus degentes aliquid remiſſuros. In vicos autem

Seditioſi legatum regium interficiunt, alter vulneratus effugit.

Ceſtius totum exercitum in Judæos ducit.

tem circa civitatem, non parvam militum manum ad rapienda frumenta dimisit. Quarto autem die, qui tricesimus mensis erat Octobris, ordinatum in oppidum introduxit exercitum. Populus quidem a seditiosis custodiebatur: ipsi autem Romanorum disciplina territi, exterioribus cessere partibus civitatis, & in partem interiorem templi refugerunt. Cestius vero transgressus Bezetham, quæ sic vocatur, & Cænopolim & forum, quod appellatur materiarum, incendit. Deinde cum ad superiorem civitatem venisset, prope aulam regiam castra posuit. Et si tunc voluisset intra muros violenter irrumpere, civitatem illico possedisset, belloque finem dedisset: sed Tyrannus & Priscus præfectus castrorum & plures equitum magistri, a Floro pecunia corrupti, conatum ejus averterunt: & Judæos intolerandis repleri cladibus contigit. A. M. 4030. P.C.N. 68.

Interea plurimi popularium nobilissimi, & Ananus Jonathæ filius, Cestium quasi portas ei patefacturi, vocabant: ille autem & ira fastidiens, & quod non satis eis credendum putaret, tamdiu id neglexit, donec proditione comperta, seditiosi Ananum quidem cum cæteris de muro dejectis lapidibus feriendo, in domos suas refugere coegerunt: ipsi vero per turres dispositi, murum tentantibus repugnabant. Per dies igitur quinque Romanis undique tentantibus frustrabatur conatus: sexto autem Cestius cum plurimis selectis, itemque sagittariis, a septentrionali tractu templum aggreditur, Judæis ex porticu resistentibus: qui frequenter quidem Romanos ad murum adeuntes avertere, postremo autem repulsi telorum multitudine, recesserunt. Itaque Romanorum qui anteibant, scutis suis

Populariti plurimi Cestium quasi portas ei patefacturi, vocant.

A. M. 4030. P.C.N. 68. muro nixi, & qui eos ſequebantur, aliis ac per ordinem aliis ſimiliter ſuperadjunctis, quam ſic ipſi appellant, teſtudinem contexuerunt: unde ſagittæ in eam delatæ, irritæ delabebantur: & ſine aliqua noxa milites mœnia ſuffodiebant, templique portas incendere moliebantur. Vehemens autem ſeditioſos ſtupor invaſerat, jamque multi ex civitate diffugiebant, veluti continuo caperetur. His autem populus alacrior efficiebatur: & quantum nequiſſimi cadebant, tantum ut ipſi portas aperirent, Ceſtiumque tanquam optime de ſe meritum, reciperent, appropinquabant. Et profecto ſi paululum in obſidione perſeveraſſet, ſtatim civitatem obtinuiſſet: ſed credo jam tunc infeſtus Deus peſſimis, ejusque ſancta illo die finem bello dare prohibuerunt. Denique Ceſtius, neque armis populi, neque obſeſſorum deſperatione perſpecta, repente militem revocat: & ſine ulla ſpei repulſa, inconſulte nimis ac injuſte diſceſſit: inopinata vero ejus fuga, latronum fiduciam recreavit: inſecutique noviſſimos aliquot equitum, peditumque peremere. Et tunc quidem Ceſtius in caſtra, quæ apud Scopion munierat, tetendit: altero autem die ulterius recedendo, magis hoſtes provocavit: jamque poſtremos aſſecuti multos necabant, tum utraque itineris parte vallata, in transverſos tela jactabant, & neque in eos ſe retorquere, a quibus a tergo ſauciabantur, noviſſimi audebant, quandam infinitam multitudinem inſequi exiſtimantes: neque a lateribus inſtantium vim repellere ſufficiebant: cum ipſi quidem graves eſſent, ordinemque irrumpere formidarent, viderent autem Judæos leves, & ad excurrendum faciles eſſe: unde evenie-

Romani teſtudinem contexunt: mœnia ſuffodiunt, templique portas incendere moliuntur.

Inopinata Ceſtii fuga latronum fiduciam recreat.

niebat, ut multa mala perpeterentur, cum nihil contra inimicis nocerent. Tota igitur via perculſi, dejectique agmine ſternebantur: donec multis occiſis, in quibus erat Priſcus ſextæ legionis dux, & Longinus tribunus, & Æmilius Jucundus alæ Præfectus, vix in Gabao pervenirent, ubi caſtra prius poſuerant, multis impedimentis amiſſis. Hic autem Ceſtius biduum commoratus, inops conſilii quid ageret, cum tertio die majorem hoſtium vidiſſet numerum, & omnia circum loca plena Judæis, tarditatem ſibi obfuiſſe cognovit: & ſi adhuc ibi maneret, plures ſe hoſtes habiturum. Itaque pro compendio fugæ cuncta, quæ militibus impedimento erant, amputari præcepit: occiſisque mulis atque aſinis, aliisque jumentis, præter illa quæ ſagittas & machinas ferrent (hæc enim velut uſui futura ſervabat, maxime, quia timebat ne Judæis contra ſe capta prodeſſent) Bethoron verſus antecedebat exercitum. At Judæi latioribus quidem locis minus inſtabant: contractos vero in anguſtias atque deſcenſus, alii ab exitu prohibebant, alii poſtremos agminis trudebant in vallem: fuſaque omnis multitudo per itineris juga, militem ſagittis operiebat: ubi etiam peditibus, quo pacto ſibimet ſubvenirent, hæſitantibus equitum periculum promptius erat: nec enim ordinate viam proſequi poterant, obſtantibus jaculis: & ne contra hoſtes irent, aſcenſus ardui prohibebant equitantibus invii, jaculatoribus autem rupes ac valles tenebantur: in quas dejecti, qui aberraſſent conſummebantur: nullusque locus aut fugiendi, aut reſiſtendi rationem habebat. Itaque incerti quid agerent, ad ululatus, quod deſperati ſolent, fletusque converſi ſunt: qui-

A. M. 4030. P. C. N. 68.

Judæi hoſtes perſequuntur, eosque in extremam neceſſitatem adigunt.

Ululatus fletusque Romanorum, & Judæorum exhortatio

A. M. 4030. P.C.N. 68. quibus resonabat Judæorum exhortatio, cum clamore lætantium pariter atque sævientium, totusque pene, qui cum Cestio fuerat, periisset exercitus, nisi nox advenisset: qua Romani quidem in Bethoron confugerunt, Judæi vero obsessis circum omnibus locis, eorum transitus custodiebant. Denique ubi Cestius aperto itinere desperato, jam de fuga cogitabat, lectos prope ad 400. omnium fortissimos milites, tectorum fastigiis imposuit, hisque præcepit, vigilum, qui in castris excubarent, signa clamare: ut eo modo Judæi omnem illic militum numerum arbitrarentur remanere. Ipse autem cum cæteris otiose usque ad 30. stadia progreditur. Unde mane cum Judæi locum, quo Romani tetenderant, desolatum vidissent, in quadringentos, a quibus decepti fuerant, concurrerunt: & illos quidem sine mora jaculis confecerunt: mox autem Cestium persequi properabant, sed ille cum nocte non parvum spatium itineris peregisset, die vehementius quoque fugiebat: adeo ut metu perculsi milites, machinas sive tormenta muralia, itemque balistas, multaque alia instrumenta relinquerent: quibus tunc ablatis Judæi rursus contra illos, qui ea reliquerant, usi sunt. Insequendo autem Romanos, Antipatridem usque venerunt. Deinde cum eos assequi non potuissent, inde redeuntes & machinas secum asportarunt, mortuosque spoliarunt, & prædam quæ remanserat collegerunt: & pæana canentes in metropolim remearunt, suis quidem paucis amissis, Romanorum autem & auxiliarium quinque millibus peditum, ac 300. itemque nongentis & octoginta equitibus interemptis. Hæc

Stratagema Cestii.

qui-

quidem Novemb. mensis 8. die gesta sunt, anno 12. Neronis principatus. A. M. 4031. P. C. N. 69.

## CAPUT XXV.

*De Damascenorum sævitia in Judæos, deque Josephi studiis in Galilæa.*

POst Cestii vero casus adversos, nobilium Judæorum multi, tanquam e navi pessum itura, ex civitate enatabant. Denique Costobarus & Saulus fratres, una cum Philippo Jachini filio, qui princeps erat exercitus Regis Agrippæ, inde dilapsi ad Cestium transfugeruut. Qui vero cum his in aula regia fuerat obsessus Antipas, fuga despecta, quemadmodum a seditiosis interemptus sit, alias indicabimus. Cestius autem Saulum & cæteros in Achaiam ad Neronem misit, & propriam necessitatem indicaturos, & belli causas derivaturos in Florum: speravit enim, & iram in illum excitatum iri, & sua pericula summovenda. Tunc autem Damasceni, cæde Romanorum cognita, Judæos apud se degentes opprimere studuerunt: & cum eos in publicis thermis collectos haberent (namque id olim propter suspiciones meditabantur) facilem quidem sui conatus exitum fore putabant, verebantur autem mulieres suas, fere omnes præter paucas Judaizantes, & eorum religione imbutas, quare hic magna cura fuit eas celandi, quid agerent. Judæorum autem decem millia, quippe ut in angusto loco, atque omnes inermes aggressi una hora sine metu jugulaverunt. Qui vero Cestium fugaverant, in Hierosolymam reversi, quos adhuc Romanorum studiosos inveniissent, partim vi, partim blanditiis sibi etiam

Nobilium Judæorum multi, tanquam e navi pessum itura, ex civitate enatant.

Damasceni Judæorum decem millia una hora jugulant.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

sociabant: & in templum congregati, plures belli duces eligendos esse censebant. Declaratus est igitur Josephus, Gorionis filius, & Pontifex Ananus: omnia quæ in civitate gerenda essent, imperaturi: maximeque ut civitatis muros erigerent. Filium namque Simonis Eleazarum, quamvis Romanorum prædam, & ereptas Cestio pecunias, & insuper his plurima ex thesauris publicis in potestate haberet, tamen nullis necessitatibus præposuerunt: quod & ipsum tyrannidis superbia viderent efferri, ejusque studiosos sive imitatores, satellitum more versari. verum paulatim Eleazarus, ambitione pecuniæ, itemque astutia persuasit populo, ut in omnibus sibi parerent. In Idumæam vero quos mitterent, alios militum duces optarunt, JEsum filium Sapphæ, unum e Pontificibus, & Eleazarum novi Pontificis filium. Nigro autem mandaverunt, qui tunc Idumæam regebat, ex regione trans Jordanem posita genus ducens, unde Peraides cognominabatur, ut ducibus obtemperaret. Sed ne alias quidem regiones omittendas putabant. namque in Hierichuntem Josephus filius Simonis, & trans flumen Manasses, & Tamnam Joannes Essæus, toparchias administraturi missi sunt: huic autem Lydda, & Joppe, & Ammaus erant additæ. Gophniticæ autem & Acrabatenæ regionum Joannes, filius Ananiæ, rector designatus est: & utriusque Galilææ Josephus, Matthiæ filius: hujus autem præfecturæ juncta erat & Gamala, munitissima civitatum quæ ibi fuere. Aliorum igitur rectorum, pro alacritate ac prudentia sua, quisque res sibi creditas administrabat. Josephus autem, cum in Galilæam venisset, primum curæ habuit, indi-

Josephus Gorionis filius & Pontifex Ananus, omnia quæ in civitate gerenda essent, imperaturi declarantur.

Josephus Historiographus Galilææ rector designatur.

ge-

genarum ſibi conciliare benevolentiam: multa ſciens ea confici poſſe, licet in aliis peccaviſſet. Deinde conſiderato, quod potentiſſimos quidem amicos haberet, ſi eos participes poteſtatis feciſſet, omnem vero multitudinem, ſi pleraque per indigenas & conſuetos fieri præciperet, 70. de ſenioribus ejus gentis prudentiſſimos elegit: eosque rectores totius Galilææ conſtituit. VII. vero per ſingulas civitates minorum litium judices: nam majora negotia cauſasque capitales ad ſe referre juſſit, & illos LXX. Cæterum diſpoſito per civitates jure, quo inter ſe uterentur, etiam quemadmodum extrinſecus tuti eſſent, animadvertit: certusque in Galilæam Romanos eſſe venturos, opportuna loca muro cingebat, hoc eſt, Jotapatam, & Berſabeæ, & Selamin: nec non & Pereccho, & Japha, & Sigoph, & montem cui nomen eſt Itaburio, & Taricheas, & Tiberiada, adhæc etiam circa Geneſar lacum ſpeluncas in ea, quæ inferior Galilæa vocabatur, munivit. Superioris autem Galilææ Petram, quæ Achabrorum dicitur, & Seph, & Jamnith, & Mero: in Gaulanitide vero Seleuciam, & Soganen, & Gamalam munitione circumdedit. Solis autem Sepphoritis permiſit, ut murum ſibimetipſis fabricarent: quod eos pecunioſos eſſe, & ad bellum promptos etiam ſine præcepto videret. Similiter autem Giſchalam, Joſephi juſſu per ſe muro cinxit Joannes Leviæ filius. Cæteris autem caſtellis omnibus ipſe Joſephus intererat, jubendo ſimul atque opem ferendo. Quin & exercitum ex Galilæa, ſupra centum millia virorum comparavit: quos omnes undique collectis armis veteribus inſtruebat. Deinde reputans, hoc maxime Romanorum in-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Joſephus ſeptuaginta de ſenioribus, quos rectores totius Galilææ conſtituit, ſeptem vero per ſingulas civitates, minorum litium judices, eligit.

Joſephus opportuna loca muro cingit.

Joſephus Galilæos armis inſtruit.

A. M. victam esse virtutem, quod dicto essent audien-
4031. tes rectoribus suis, & armorum exercitationi
P.C.N. operam darent, doctrinam quidem urgente ne-
69. cessitate despexit: parendi autem facultatem ratus regentium multitudine posse contingere, ita ut Romani solent, divisit exercitum: plures-que fecit ordinum principes. Diversisque militum generibus constitutis, alios decadarchis, alios centurionibus, alios tribunis subdidit: & insuper his ipsis rectores, majorum rerum administratores dedit. Docebatque signorum disciplinas, & provocationes revocationesque buccinarum, & principia cornuum, & circumductiones, & quemadmodum oporteret laborantibus succurrere fortiores, & cum defatigatis partiri pericula: quæque ad fortitudinem animi, corporisque tolerantiam pertinerent, instituebat. Maxime vero eos erudiebat ad bellum, usqueqūaque Romanorum referens disciplinam: & quod cum viris essent præliaturi, qui & viribus corporis, & animi obstinatione, totum pene orbem terræ superassent. His addidit, quo pacto belli tempore suis essent parituri præceptis, jam nunc periculum se facturum, si consuetis delictis, hoc est, furtis & latrociniis & rapinis abstinuissent, sed neque aut gentilibus fraudem facerent, aut consuetissimorum damna proprium quæstum putarent. Illa enim bella optime administrari, quorum milites bonam conscientiam gererent: qui vero per se pravi fuissent, his non solum inimicos, sed etiam Deum hostem futurum. Multa in hunc modum admonendo perseverabat. Et jam quidem quantum prælio parandum esset, conflatum erat. Nam sexaginta peditum millia, CCL. equites, ac

Josephus Galilæos ad bellum, & quo pacto essent parituri præceptis, erudit.

præ-

præter hos etiam mercenarios, quibus maxime fretus erat, habebat quatuor millia quingentos: nec non & ſexcentos circa ſe electos cuſtodes corporis atque ſatellites. Exceptis autem mercenariis, facile cæteri milites a civitatibus alebantur. Namque ſingulæ quas enumeravimus, cum mediam ſui multitudinem mitterent in militiam, reliquos ad comparandum eis victum tenebant: ut pars armis, atque alia pars faciendis operibus dirimeretur, & armati ſecuritatem rependerent ſuggerentibus commeatum. A. M. 4031. P.C.N. 69.

Singulæ Galilææ civitates mediam ſui multitudinem in militiam mittunt, reliquos ad comparandum eis victum tenent.

## CAPUT XXVI.

*De Joſephi periculis & evaſione, & Joannis Giſcalei malitia.*

JOſepho autem hoc modo adminiſtranti Galilæam, inſurrexit quidam inſidiator, patria Giſcala ortus, Leviæ filius, nomine Joannes, callidiſſimus, ac dolis plenus: & nequitia quidem nobiliſſimus omnium, antea vero pauper: & aliquamdiu malitiæ ſuæ impedimentum paſſus inopiam, facile mentiri paratus, mirusque fidem adhibere mendacio: & qui fallaciam virtutem putaret, eaque adverſus amiciſſimos uteretur: ſimulator humanitatis, & ſpe lucri appetentiſſimus cædium: qui ſemper quidem immoderata concupiſſet, ſpem vero levioribus maleficiis aluiſſet. Latro enim erat, ſui moris, ac ſolitarius: deinde etiam comitatum invenit audaciæ, primo quidem parvum, ampliorem autem proficiens. Curæ autem habebat, neminem ignavum aſciſcere: ſed qui & habitudine corporis, & animi magnitudine, bellorumque peritia præſtarent, hos eligebat: donec CCCC.

Joannes ſimulator humanitatis, & ſpe lucri appetentiſſimus cædium.

A. M. 4031. P.C.N. 69. virorum catervam congregavit, quorum plures ex Tyriorum finibus, & vicis erant. Isque omnem Galilæam depopulabatur: & multos futuri belli metu ſuſpenſos lacerabat. Hunc igitur jam dudum regendi milites cupientem, & majora deſiderantem, diu pecuniæ retardabat inopia: cumque videret Joſephum ſua induſtria lætari, perſuadet ei primum, ut fabricandi muri patriæ ſolicitudinem ſibi committeret: in qua re quæſtus magnos a locupletibus fecit. Deinde callidiſſima fraude compoſita, velut oleo, quod non a gentilibus ſuis tractatum eſſet, uti caverent omnes apud Syriam Judæi, ut ad confinia oleum mitteretur depopoſcit: nummoque Tyrio, qui quatuor Atticos faceret, emptis quatuor amphoris, eodem precio amphoræ dimidium venundabat: cumque Galilæa ferax eſſet olei, maximeque illo tempore magna ubertate redundaret, in ea loca ubi erat penuria ſolus multumque mittendo, infinitam ſummam pecuniæ congregavit: qua mox in eum uſus eſt, qui hoc ſibi beneficium præſtitiſſet. Denique exiſtimans ſi Joſephum depoſuiſſet, rectorem ſe Galilææ futurum, quibus præerat latronibus imperavit prædam vehementius exercere, quo multis rebus novis per eas regiones excitatis, aut inſidiis alicubi rectorem perimeret, ſi cui ferret auxilium: aut ſi latrocinia negligeret, ob hoc eum apud indigenas accuſaret. Jamdudum autem rumores diſſipaverat, quod res Galilææ Joſephus Romanis prodere cogitaret: multaque in hunc modum ad ejus perniciem comparabat. Itaque illo tempore, cum quidam ex vico Dabaritarum, in magno campo cuſtodias agentes, Ptolemæum Agrippæ & Berenices procuratorem

Joannes pecunia in eum cujus beneficio acceperat, abutitur.

Agrippæ procurator ſpoliatur.

rem aggreſſi, omnes quas ferebat ſarcinas abſtu- A. M.
liſſent, in quibus erant non paucæ veſtes pretio- 4031.
ſæ, plurimaque argentea pocula, & DC. aurei: P.C.N.
neque hanc prædam occulte adminiſtrare potuiſ- 69.
ſent, omnia Taricheas ad Joſephum comporta-
runt. Ille autem reprehenſa violentia, quam
regiis intuliſſent, reponi res ablatas apud ali-
quem ejus civitatis potentiſſimum jubet: para-
tus eas dominis opportune remittere: unde ma-
ximum ei periculum comparatum eſt. Namque
raptores earum, quia prædæ nullam partem ac-
cepiſſent, ægre ferentes, & perſpicientes, quod
Joſephus cogitaverat laborem ſuum Regibus
condonare, per vicos nocte diſcurrunt, omni-
busque prædicant Joſephum proditorem eſſe:
eodemque tumultu civitates proximas repleve-
runt, adeo ut C. armatorum millia contra Joſe- Centum armato-
phum prima luce concurrerent. Denique mul- rum millia
titudo quidem, in circo apud Taricheas congre- contra Jo-
gata, plurima per iracundiam conclamabat, par- ſephum
tim deponi, partim concremari vociferans pro- concurrit.
ditorem: plerosque autem incitabat Joannes,
& cum eo Jeſus quidem Sapphæ filius, tunc ma-
giſtratus Tiberiadis. Joſephi igitur amici & ſa- Joſephi
tellites, tantæ multitudinis incurſu perterriti, amici &
omnes præter quatuor diffugerunt. Ipſe vero præter
dormiens, prope cum jam ignis admoveretur quatuor
exurgit: & monentibus eum quatuor, qui re- omnes dif-
manſerant, ut fugeret, neque ſolitudine ſua, ne- fugiunt.
que illorum qui contra ſe venerant copiis per-
turbatus, in conſpectum illorum proſilit, veſte
diſciſſa, infuſoque capiti pulvere, averſisque
poſt tergum manibus, ſuoque cervici gladio an-
nexo. Hæc autem amicos ei, maxime Tari-
cheatas ad miſericordiam commoverant: ruſti-

A. M. 4031. P.C.N. 69. ca vero plebs, & finitimorum, quibus moleſtior videbatur, non ſine maledictis eum jubebant publicas proferre pecunias, & facta proditionis fateri. Nam ex habitu ejus opinabantur, nihil eorum, de quibus nata fuerat ſuſpicio, penitus negaturum: & impetrandæ veniæ cauſa feciſſe omnia, quæ miſericordiam provocarent. At illius iſta humilitas conſilium præſtruebat: & contra ſe indignantes arte circumveniens, ut ſuper his, unde iraſcerentur, inter ſe ipſi diſcordarent, omnia confeſſurum ſe pollicetur. Deinde ſibi loquendi facultate conceſſa, ego, inquit, has pecunias neque Agrippæ remittere cogitabam, neque in propria lucra convertere (abſit enim, ut amicum putem unquam, qui vobis ſit inimicus: aut quæſtum ex re capiam, quæ vos communiter læderet) ſed quia videbam o Taricheatæ, maxime civitatem veſtram munitionis egere, & ad extruenda mœnia minus habere pecuniæ, timebamque Tiberienſem populum, & alias civitates raptis pecuniis inhiantes, pedetentium eas retinere decrevi, ut vos muro circumdarem. Si hoc non videtur, profero, quæ ablata ſunt, & diripienda propono: ſin recte conſului, bene de vobis meritum coercetis. Hæc Taricheatæ quidem ab eo dicta, cum favore receperunt: Tiberienſes vero cum aliis depravando, inſuper etiam minitabantur: utrique autem relicto Joſepho, inter ſe litigabant. Ille autem fretus jam ſecum ſentientibus (erant enim prope ad XL. millia Taricheatæ) cum multitudine liberius loquebatur: multumque in eorum temeritatem invectus, ex præſenti quidem pecunia Taricheam ait eſſe muniendam: curæ autem ſibi fore ſimiliter, ut etiam cæteræ tutæ ſint civi-

Oratio Joſephi ad ſeditioſos Judæos.

vitates: nec enim pecunias defore, si concordare velint in eos, unde parandæ sunt, & non in eum moveantur, qui parat. Itaque tum alia quidem multitudo, quæ decepta fuerat, quamvis irata recedebat: duo vero armatorum millia impetum in eum fecere. Cumque se ille tecto ante recepisset, instabant ei minitantes. Iterum autem Josephus in hos quoque altera fraude utitur: cumque in summum tectum evasisset, compresso dextera strepitu, nescire ait se, quid peterent sibi præstari; voces enim se non exaudire confusas: omnia vero quæ juberent esse facturum, si aliquos intromisissent, qui secum otiose colloquerentur. His auditis, illico nobiliores cum magistratibus ad eum ingrediuntur: quos ille in intimas ædium partes inductos, clausa janua tamdiu verberavit, quoad omnium viscera nudata sunt. Circumstabat autem interim populus, existimans eos prolixis allegationibus concertare, cum subito Josephus foribus patefactis, cruentos eos dimisit: unde tanto terrore qui minabantur affecti sunt, ut projectis armis aufugerent. Ob hæc Joannes etiam atque etiam crescebat invidia, aliasque nihilominus Josepho moliebatur insidias: morboque simulato per epistolam postulavit, ut sibi medicinæ gratia Tiberiensibus aquis calidis uti permitteret. Josephus autem, quia nondum ei suspectus erat insidiator, ad præfectos civitatis literas fecit, ut & hospitium, & utensilia Joanni præberent. Quibus ille potitus, biduo post cujus rei causa venerat, agebat: & his fraude circumventis, aliis vero pecunia corruptis, ut Josephum deserent, persuasit. His autem cognitis Silas, quem Josephus custodiæ præposuerat, propere de in-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Josephus in Judæos altera fraude utitur.

Joannis ergo Josephum invidia & insidiæ.

Joannes Tiberiensibus, ut Josephum deserant, persuadet.

A. M. 4031. P. C. N. 69. fidiis ei ſcripſit: atque ille accepta epiſtola, noctuque itinere maturato, matutinus ad Tiberiadem pervenit. Et cætera quidem multitudo obviam ei proceſſit. Joannes autem quamvis eum contra ſe venturum eſſe ſuſpicaretur, tamen miſſo quodam ex notis, infirmitate ſimulata, quod lectulo detineretur, obſequio ſeſe defuiſſe mandavit. Tiberienſibus autem a Joſepho in ſtadium congregatis, ut ad eos quæ ſibi ſcripta fuerant loqueretur, miſſis armatis Joannes juſſit eum interfici. Quos cum jam nudare gladios perſpexiſſet, populus exclamavit: atque ita converſus ad ejus vocem Joſephus, ubi ferrum prope jugulo ſuo imminere proſpexit, in littus deſiliit e tumulo, excelſo cubitis ſex, in quo verba faciens cum populo ſteterat: aſcenſaque inde navicula cum duobus ſatellitibus ſuis, quæ illuc applicuerat, in medium lacum refugit: milites vero ejus, illico raptis armis, contra inſidiatores irruebant. Mox autem veritus Joſephus, ne bello inteſtino concitato, propter paucorum invidiam civitas conſummeretur, nuncium ſuis miſit, qui eos moneret, ut propriæ tantum ſaluti conſulerent: neque vero quemquam vel occiderent, vel arguerent noxiorum. Et illi quidem dicto parentes, conquieverunt: qui vero circum civitatem per agros habitabant, auditis inſidiis, & quis earum fabricator eſſet, contra Joannem veniebant: ſed ille prius in Giſcala patriam ſuam fuga receptus eſt. At Galilæi totis jam civitatibus ad Joſephum confluebant, & cum multa eſſent armatorum millia congregata, qui ſe adverſus Joannem communem inſidiatorem adeſſe clamabant: unaque cum eo civitatem, quæ illum ſuſcepiſſet,

Joannes miſſis armatis, Joſephum interfici jubet.

Joſephus in navicula in medium lacum refugit.

Joannes in Giſcala patriamſuam fugit.

Galilæi ad Joſephum contra Joannem confluunt.

ſet, ignibus traditurus: ad ea Joſephus, proba- A. M.
re ſe quidem eorum benevolentiam, impetum 4031.
autem cohibendum eſſe dicebat: prudentia ma- P.C.N.
gis inimicos vincere cupiens, quam perimere. 69.
His vero, qui de ſingulis civitatibus cum Joanne rebellaſſent, nominatim exceptis, quippe alacri animo ſuos quisque populus indicabat, præconum voce denunciabat, intra V. dies eorum, qui Joannem non reliquiſſent, patrimonia diripienda, domosque eorum cum familiis exurendas. Et tria quidem millia ſtatim ab eo revocavit, qui profugi ante pedes ejus arma projecerunt: cum reliquis autem Joannes prope mille Syris fugitivis, transtulit ſe iterum in occultas inſidias ex apertis: ac per nuncios in Hieroſolymam clam miſſos, Joſephum accuſabat, quod magnum exercitum collegiſſet: jamque niſi præveniatur vi, tyrannus metropoleos venturus eſſet. Verum ea populus quidem præſciens, negligebat: livore autem potentes, nonnullique magiſtratuum clam pecunias ad comparandos mercenarios milites miſere Joanni, ut per eos bellum cum Joſepho gereret: decretumque inter ſe conceperunt, quo idem Joſephus militum adminiſtratione decederet: non tamen id ſatis eſſe credebant: ideoque duo millia & D. armatos, & quatuor miſerunt nobiles viros, jurisperiti filium Joazarum, & Ananiam Sadducæum, & Simonem & Judam Jonathæ filios, omnes eloquentia validiſſimos: ut eorum ſcilicet monitu, averteretur ab Joſepho benevolentia multitudinis: & ſiquidem ipſe ſponte ſua veniret, paterentur eum rationem reddere: ſin remanere contenderet, pro hoſte haberent. Amici autem Joſepho militem quidem ad eum

Joannis in Joſephum inſidiæ.

A. M. 4031. P.C.N. 69. venturum esse perscripserunt, causam vero non indicaverunt, quoniam secretum fuit inimicorum ejus consilium; unde factum est, ut quia præcavere non potuit, quatuor statim civitates ad inimicos tranſirent: hoc est, Sepphoris, & Gamala, & Gischala, & Tiberias: quas tamen continuo sine armis recepit: captos autem quatuor duces consiliis armatorumque fortissimos, remisit Hierosolymam: contra quos populus haud mediocri indignatione commotus, & ipsos, & a quibus præmissi fuerant, interfecisset, nisi ante fugissent.

Quatuor Galilææ civitates ad inimicos Josephi transeunt.

## CAPUT XXVII.

*Tyberias a Josepho recuperatur & Sepphoris.*

Tiberias a Josepho recuperatur, & stratagemate servatur.

JOannem vero jam intra muros Giscalæ, Josephi timor custodiebat. Et paucis diebus post iterum rebellavit Tiberias, habitatoribus Agrippam Regem vocantibus. Et cum ille constituto die ad eos non venisset, paucique Romani equites ibi tum comparuissent, a Josepho defecerunt. Hisque apud Taricheas cognitis, Josephus, qui milites frumentatum miserat, neque solus egredi contra desertores, neque se continere patiebatur, metuens, ne dum ipse tardaret, regii civitatem occuparent: nec enim postero die obstante Sabbato quicquam facere poterat. Itaque dolo eos, qui se deseruerant, circumvenire cogitabat. Et portas quidem Tarichearum claudi jussit, ne quis consilium suum illis proderet, contra quos suscipiebatur: omnibus autem scaphis, quas in lacu comperit, congregatis (ducentæ autem & triginta fuerunt, quaternique nautæ non amplius singulis inerant) mature ad Tibe-

beriadem navigat: cumque tanto ab ea distaret spatio, unde facile videri non posset, inanibus scaphis in salo relictis, septem ipse solos inermes satellites secum habens, propius ut conspiceretur accessit. Quem cum inimici adhuc maledicentes ei ex muro conspexissent, metu perterriti, & scaphas armatorum esse plenas existimantes, arma projiciunt: manusque supplices agitantes, ut civitati parceret, precabantur. Josephus autem, postquam multis eos minis & exprobrationibus castigavit: primum quod bello contra pop. Rom. suscepto, intestinis dissensionibus vires suas ante consumerent, inimicorumque vota complerent: deinde, quod securitatis suæ curatorem de medio tollere properarent, civitatemque non erubescerent sibi claudere, qui eam muro cinxisset: non repudiaturum se ait, si qui sibi satisfacerent, quibus intervenientibus amicitiam cum civitate firmaret. Itaque statim ad eum decem Tiberiensium potentissimi descenderunt: his autem in unam receptis naviculam piscatoriam, & procul abductis, alios L. senatores venire jussit, maxime nobiles, velut illi quoque fidem sibi præbere deberent. Deinde novas causationes excogitans, alios insuper atque alios obtentu fœderis evocabat: utque mature Taricheas recurrerent, gubernatoribus navium repletarum imperabat: quosque avexissent, in carcerem collocarent: donec omnem curiam, quæ DC. haberet viros, duoque millia popularium comprehensa in Taricheas scaphis abduxit. Reliquis autem vociferantibus, Clitum quendam esse præcipuum defectionis autorem, iramque ipsius pœna illius precantibus satiari, nullum quidem Josephus

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Josephus cum 7. satellitibus Tiberiadem pervenit, hostesque perterret.

Josephus callido consilio Tiberiensium potentissimos evocat, & in Taricheas scaphis abducit.

A. M. 4031. P.C.N. 69. volebat occidere: ſuorum vero ſatellitum quendam Leviam egredi juſſit, qui Cliti manus abſcinderet. Cum vero præ timore ſolum ſe globo inimicorum commiſſurum negaret, eaque cauſa indignari Joſephum ſtantem in ſcapha videret, ipſumque velle deſcendere, ac de ſe ſupplicium ſummere, ut ſaltem unam manum ſibi concederet, orabat: neque hoc abnuente Joſepho, dummodo alteram ſibimet Clitus ipſe præcideret, educto ille dextera gladio, lævam ſibi truncavit: tantus eum timor Joſephi invaſerat. Ita tunc Joſephus vacuis ſcaphis, & ſatellitibus VII. populo capto, rurſus Tiberiadem ſibi ſociavit. Paucis autem diebus poſt, Giſcalam, quæ cum Sepphoritis defecerat, militibus deprædari permiſit: omnemque prædam conquiſitam popularibus reddidit. Similiter etiam Sepphoritis & Tiberienſibus. Nam & hos captos rapinarum damno corrigere voluit: & redhibitione rerum rurſus eos ad benevolentiam revocare.

Clitus defectionis autor educto dextera gladio lævam ſibi truncat.

## CAPUT XXVIII.

*Quomodo Hieroſolymitæ bello ſe præparaverint: deque Simonis Gioræ tyrannide.*

HActenus apud Galilæam motus erat: jamque ab inteſtinis diſſenſionibus quieſcentes, adverſus Romanos inſtruebantur. Hieroſolymis autem Ananus Pontifex & potentiores, qui non cum Romanorum parte ſentirent, muros inſtaurare properabant: multaque bellica inſtrumenta, perque omne oppidum ſagittæ, aliaque arma fabricabantur: & exercitationibus juſſis manus juvenum operam dabat. Erantque univerſa plena tumultus, magnaque triſtitia

tia moderatos occupaverat: multique futuras clades prospicientes, fletum cohibere non poterant: infestaque pacem cupientibus omnia videbantur. Belli autem incentoribus, quæ illis placerent, ex tempore fingebantur, statusque jam tunc quasi perituræ civitatis erat, antequam Romani venirent. Anano autem apparatum belli omittere cura fuit: & seditiosorum, quos Zelotas vocabant, amentiam ad utiliora convertere: qui tamen victus est, & quis illius finis fuerit, *in posterioribus explanabimus.* At in Acrabatena toparchia Gioræ filius Simon, multis novarum rerum cupidis congregatis, ad rapinas conversus, non solum in domos locupletum irrumpebat, verumetiam corpora verberibus conficiebat: jamque tunc palam tyrannidem inceptabat. Ab Anano autem missis adversus eum militibus magistratuum, ad latrones qui erant Masadæ, cum his quos habebat, effugit: ibique manens, donec Ananus & alii ejus inimici perempti sunt, Idumæam cum cæteris populabatur: adeo ut magistratus ejus gentis, propter cædium multitudinem & prædarum assiduitatem, collecto milite, vicos præsidiis tuerentur. Et Judæorum quidem res ita se habebant.

A. M. 4031. P. C N. 69. Hierosolymæ status perturbatus.

Simon Gioræ filius in Acrabatena & Idumæa ingentes rapinas & cædes exercet.

FLA-

# FLAVII JOSEPHI DE BELLO JUDAICO

## LIBER III.

### SUMMA CAPITUM LIBRI III.

De bello Judaico.


1. *De Vespasiani Ducis adventu, & clade duplici Judæorum.*
2. *Descriptio Galilææ, Samariæ & Judææ.*
3. *De auxilio Sepphoritis misso, & Romanorum disciplina militari.*
4. *Impetus Placidi contra Jotapatam.*
5. *Galilæa a Vespasiano invaditur.*
6. *Gadaræ expugnatio.*
7. *Jotapatæ obsidio.*
8. *Obsidio Jotapatenorum a Vespasiano, & diligentia Josephi, deque Judæorum excursione in Judæos.*
9. *De oppugnatione Vespasiani contra Jotapatam, ariete, & aliis tormentis bellicis.*
10. *De iterata impugnatione Jotapatenorum.*
11. *Japhæ expugnatio a Trajano & Tito.*
12. *De Samaritis a Cereale devictis.*
13. *Jotapatæ excidium.*
14. *Quomodo Josephus captus vitam suam redemerit facto & verbis.*
15. *Joppe denuo capitur.*
16. *Deditio Tiberiadis.*
17. *Tarichearum obsidio.*
18. *De lacu Genesar, & fontibus Jordanis.*
19. *Tarichearum excidium.*


CA-

# CAPUT I.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

## *De Vespasiani ducis adventu, & clade Judæorum duplici.*



Æterum Neronem, ubi res apud Judæam non prospere gestas accepit, latens quidem, quod necesse fuit, cum timore stupor invadit: aperte autem superbiam simulans, ultro etiam indignabatur: magisque ducis negligentia, quam virtute hostium, quæ contigerant, facta esse dicebat: decere se putans, propter pondus imperii tristiora contemnere, viderique malis omnibus superiorem animum gerere: verum tamen curis arguebatur mentis ejus perturbatio, cum deliberaret, cuinam commotum crederet orientem, qui una & Iudæos rebellantes ulciscceretur, proximasque his nationes simili morbo correptas ante caperet. Invenit igitur solum Vespasianum his necessitatibus parem, & qui tanti belli magnitudinem suscipere posset, virum ab adolescentia usque ad senectutem bellis exercitatum, & qui populo Romano jam pridem pacasset occidentem, Germanorum tumultu concussum: armisque ante illud tempus incognitam Britanniam vendicasset: unde patri quoque ipsius Claudio præstiterat, ut sine proprio sudore triumpharet. Itaque his omnibus fretus, ætatemque illius cum peritia stabilem cernens, obsidesque fidei liberos, eorumque florem manus esse paternæ prudentiæ, jam tum fortasse de tota Rep. Deo aliquid ordinante, mittit eum ad regendos exercitus in Syria constitutos, multis pro tempore blandimentis atque obsequiis animatum, qualia necessitas imperare con-

Neronem ob res apud Judæam gestas, cum timore stupor invadit.

Vespasianum Nero ad regendos exercitus in Syria constitutos, mittit.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

consuevit. Ille autem protinus ex Achaia, ubi cum Nerone fuerat, Titum quidem filium suum mittit Alexandriam, ut inde quintam itemque decimam legiones moveret: ipse vero transmissus ad Hellespontum, terreno itinere in Syriam pervenit, ibique Romanas vires, multaque a vicinis Regibus auxilia congregavit. At Iudæi post malam Cestii pugnam insperata felicitate sublati, animorum impetus cohibere non poterant: sed tanquam fortuna eos exagitante perciti, bellum ulterius producebant. Denique omni, quanta fuit, manu pugnacissima congregata, Ascalonem petierunt: ea est civitas antiqua, DCC. & XX. stadiorum spatio ab Hierosolyma distans & Iudæis semper invisa: quæ res fecit, ut etiam tunc primis eorum incursibus propior videretur: tres autem viros aggressionis duces habebant, & corporibus & prudentia præstantissimos. Nigrum Peraitam, & Silam Babylonium, & Ioannem Essenum. Ascalon vero validissimo quidem muro cincta erat, sed vacua pene præsidiis: una enim cohors eam peditum, & una equitum ala tuebatur, cui præfectus erat Antonius. Illi igitur ira multa velocius itinere peracto, ac si ex propinquo venirent, præsto erant. Antonius vero (nec enim fore eorum impetum nesciebat) equites jam ex civitate duxerat, & neque multitudinem veritus vel audaciam, primas hostium coitiones fortiter sustinuit: murumque properantes aggredi frenavit. Itaque Iudæi, qui cum peritioribus imperiti, & pedites cum equitibus, cum stipatis autem inordinati, leviterque armati cum instructis, plusque indignationi quam consilio tribuentes, cum morigeris & nutu rectoris omnia

Vespasianus & Titus multa contra Judæos auxilia congregant.

Judæi in Ascalonem copias movent.

Antonius pugnat cum Judæis.

nia facientibus dimicabant, facile profligantur: nam ut ſemel eorum primæ ab equitibus turbatæ ſunt acies, fugam petunt: & murum verſus ſe a tergo urgentibus incidentes, ſuimetipſi hoſtes erant: donec omnes incurſibus equitum victi per totum campum diſperſi ſunt, qui fuit plurimus, totusque habilis equitantibus: quod quidem Romanos juvit, ut magna cæde Iudæos proſternerent: nam & fugientes prævertendo, curſum *in eos* flectebant: & quos occupaſſent, *curriculo* transfigendo infinitos peremere. Alii vero alios quocunque ſe vertiſſent circumdatos, exagitantes, facile jaculis opprimebant. Et Iudæis quidem propria multitudo, per deſperationem ſalutis, ſolitudo videbatur: Romani vero licet ad pugnam pauci eſſent, rebus tamen ſecundis animati, etiam ſuperfluere ſe putabant. Et illi quidem res adverſas ſuperare certantes, dum pudet cito fugere, mutari fortunam ſperant. Romani autem, in his quæ proſpere agerent *minime delaſſati*, ad majorem usque diei partem pugnam protrahunt: donec Iudæorum quidem perempta ſunt decem millia, duoque duces Ioannes & Silas: cæteri vero plerique ſaucii, cum Nigro, qui unus reſtabat ex ducibus, in *oppidum Idumææ*, quod Salis dicitur, confugere: *nonnulli* tamen etiam Romanorum in illo prælio vulnerati ſunt. Sed non Iudæorum ſpiritus clade tanta ſedatus eſt, multoque magis eorum dolor incitavit audaciam, & contemnentes quantum ante pedes mortuorum jaceret, priſtinis rebus feliciter geſtis ad cladem alteram illiciebantur denique parvo tempore intermiſſo, quod ne curandis quidem vulneribus ſatis eſſet, cunctisque aggregatis viribus, majore cum indignatione,

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Romani Judæos vincunt, & magna cæde proſternunt.

Decem millia Judæorum perempta.

A. M. 4031. P.C.N. 69. ne, multoque plures Aſcalonem recurrebant, eadem ſe præter imperitiam aliaque belli vitia, comitante fortuna. Etenim cum Antonius qua tranſituri fuerant, poſuiſſet inſidias, ex improviſo in eas delapſi, & ab equitibus circumdati, prius quam ſe ad pugnam componerent, iterum ſuper octo millia procubuerunt: cæteri vero omnes aufugerunt: cumque his Niger, multis dum fugeret magni animi facinoribus demonſtratis: & quoniam hoſtes inſtarent, in turrim quandam tutiſſimam compelluntur cujusdam vici, cui nomen eſt Bezedel. Antonius vero cum ſuis, ne vel moras circum turrim, quæ inexpugnabilis eſſet, diu tererent, vel ducem hoſtium fortiſſimum vivum relinquerent, ignem muro ſupponunt: turrique inflammata Romani quidem exultantes recedunt, quaſi etiam Nigro conſumpto: ille autem in caſtelli ſpecus intimum ex turri ſaltu demiſſus evaſit: triduoque poſt ſociis cum fletu eum ad ſepulturam inveſtigantibus ſeſe oſtendit, gaudioque inſperato replevit omnes Judæos, tanquam Dei providentia dux eis in poſterum ſervatus. At Veſpaſianus Antiochiam exercitu adducto (quæ Syriæ metropolis eſt, magnitudine ſimul aliaque felicitate ſine dubio tertium inter omnes, quæ in Romano orbe ſunt, locum obtinens) ubi etiam adventum ſuum Regem Agrippam cum omni manu propria offenderat præſtolari, ad Ptolemaidem properabat. In hac autem civitate occurrerunt ei Sepphoritæ cives oppidum Galilææ colentes, ſoli mente pacata: qui tam ſuæ ſalutis providentia ſoliciti, quam Romanarum virium gnari, etiam prius quam Veſpaſianus veniret, Ceſtio Gallo fidem dederant, dextras-

Octo millia Judæorum ad Aſcalonem occumbunt.

Veſpaſianus cum omni manu ad Ptolemaidem properat.

Sepphoritæ benigniſſime Romanos ſuſcipiunt.

trasque junxerant, præsidiumque militare susce- A. M.
perant: tunc quoque benignissime duce susce- 4031.
pto, alacri animo etiam contra gentiles suos au- P.C.N.
xilia promiserunt. Quibus interim Vespasia- 69.
nus præsidii causa poscentibus, equitum pedi-
tumque tantum numerum tradidit, quantum
obstare posse arbitrabatur incursibus, si quid
Judæi commovere tentassent: non enim mini-
mum esse videbatur futuri belli periculum, au-
ferri civitatem Sepphorim Galilææ maximam, &
in *loco tutissimo* conditam, totiusque gentis fu-
turam præsidio.

## CAPUT II.

### *Descriptio Galilææ, Samariæ & Judææ.*

Situs superioris Galilææ secundum mundi plagas.

DUæ sunt autem Galilææ, quæ superior & inferior appellantur, easque Phœnice & Syria cingunt. Discernit vero ab occidente Ptolemais territorii sui finibus, & quondam Galilæorum, *nunc* autem Tyriorum mons Carmelus: cui conjuncta est Gabaa civitas equitum, quæ sic appellatur, eo quod equites ab Herode Rege dimissi, coloni eo deducebantur. A meridie autem Samaritis & Scythopolis, usque ad flumen Jordanem. Ab oriente vero Hippene & Gadaris, sed & Gaulanitis definit, qui etiam regni Agrippæ fines sunt. Septentrionalis autem ejus tractus Tyro, itemque Tyriorum finibus terminatur. Inferioris quidem Galilææ longitudo a Tiberiade usque ad Zabulon, cui vicina est in locis maritimis Ptolemais, protenditur. Latitudine autem patet a vico Xaloth, qui in magno campo situs est, usque ad Bersaben: unde etiam superioris Galilææ latitudo incipit us-

Longitudo & latitudo inferioris Galilææ.

A. M. 4031. P.C.N. 69. que ad Baca vicum, qui terram dirimit Tyriorum. Longitudo vero ejus a Thella vico Jordani proximo usque ad Meroth extenditur. Sed cum tanta ſint utræque magnitudine, tantisque gentibus alienigenis cinctæ, ſemper tamen omnibus belli periculis reſtiterunt: nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi, neque aut formido unquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupavit: quoniam totæ optimæ ac fertiles ſunt, omniumque generum arboribus conſitæ, ut etiam minime agriculturæ ſtudioſos ubertate ſua provocent: denique excultæ ſunt ab incolis totæ, nec pars ulla eſt earum otioſa: quin & civitates ibi crebræ ſunt, & ubique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa, ut qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat: prorſus ut etiam ſi quis magnitudine minorem Galilæam dixerit, quam trans fluvium regionem, viribus tamen eam prætulerit; hæc enim universa colitur, tota fructuum ferax: at illa, quæ trans flumen eſt, licet multo major ſit, pleraque tamen aſpera atque deſerta eſt, & nutriendis fructibus manſuetis inhabilis. Peræa ſane mollities & ingenium fructuoſum, campos habet cum variis arboribus conſitos, tum maxime olivetis ac vineis & palmetis excultos: irrigatur autem abunde montanis torrentibus, & fontibus aquæ perennis, quoties illi, Syrio æſtuante, defecerint. Et longitudo quidem ejus eſt a Machærunte in Pellam: latitudo vero a Philadelphia usque ad Jordanem. Et Pella quidem quam ſupra diximus, ſeptentrionalis ejus eſt tractus: occiduus vero Jordanis: meridianum autem

Fertilitas Galilææ.

Deſcriptio regionis quæ trans flumen eſt.

tem Moabitis regio terminat: ab oriente autem Arabia & Silbonitide, necnon & Philadelphia, itemque Geraſis clauditur. Samarienſis autem regio, inter Judæam quidem & Galilæam ſita eſt: incipiens enim a vico in planitie poſito, cui nomen eſt Ginæa, in Acrabatenam deſinit toparchiam: ſed natura nihil a Judæa diſcrepat: nam & utræque montoſæ ſunt & campeſtres, agroque colendo molles atque opimæ, necnon & arboribus plenæ: pomisque tam ſylveſtribus quam manſuetis abundant, eo quod natura ſunt aridæ, imbriumque ſatis habent: dulces autem per eas ſupra modum aquæ ſunt, bonique graminis copia præter alias earum pecora lactis abundant: quodque maximum virtutis atque opulentiæ ſpecimen eſt, utraque viris referta eſt. Harum confinium eſt Anuath vicus, qui etiam Borceos appellatur, Judææ limes a ſeptentrione. Meridiana vero pars ejus, ſi in longitudinem metiare, adjacenti vico Arabum finibus terminatur, cui nomen eſt Iordan. Latitudo ſane a Iordane flumine usque ad Ioppen explicatur. Media vero ejus eſt Hieroſolyma: unde quidam non ſine ratione, umbillicum ejus terræ, eam urbem vocaverunt. Sed nec marinis quidem Iudæa deliciis caret; ad Ptolemaidem usque locis extenta maritimis. In undecim autem ſortes diviſa eſt: quarum prima eſt tanquam regia Hieroſolyma, præ cæteris inter omnes accolas eminens, velut caput in corpore: aliis vero poſt hanc toparchiæ ſunt diſtributæ. Gophna eſt ſecunda, & poſt eam Acrabata: adhoc Thamna & Lydda, itemque Ammaus, & Pella, & Idumæa, & Engadda, & Herodium, & Hierichus: deinde Iamnia & Ioppe finitimis præſunt: & præ-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Samarienſis regionis deſcriptio.

Deſcriptio Judææ, cujus media Hieroſolyma.

Judææ diſtributio.

A. M. 4031. P.C.N. 69. præter has Gamalitica, & Gaulanitis, & Batanæa, & Trachonitis: quæ etiam regni Agrippæ partes ſunt. Eadem vero terra incipiens a monte Libano & fontibus Iordanis, usque ad Tiberiadi proximum lacum latitudine panditur: a vico autem, qui appellatur Arphas, ad Iuliada oppidum longitudine tendit: & habitatur ab incolis Iudæis Syrisque permixtis.

## CAPUT III.

*De auxilio Sepphoritis miſſo, & Romanorum diſciplina militari.*

DE Judæa quidem, & quibus eſſet cincta regionibus, quam maxime potui breviter expoſui. Quod autem Veſpaſianus miſerat auxilium Sepphoritis, hoc eſt equites mille, ſexque millia peditum, Placido eos regente tribuno, caſtris in magno campo poſitis bifariam dividuntur. Et pedites quidem in civitate ipſius tuendæ cauſa, equitatus vero in caſtris degebat: utrinque autem aſſidue prodeundo, & circa eam regionem loca omnia incurſando magnis incommodis Ioſephum ejusque ſocios quamvis quietos, afficiebant: & præterea civitates extrinſecus deprædabantur: civiumque conatus, ſi quando excurrendi habuiſſent fiduciam, repellebant. Ioſephus tamen adverſus civitatem impetum fecit, ſperans eam poſſe capere: quam ipſe, antequam a Galilæis deficeret, ita muris cinxerat, ut Romanis quoque eſſet invicta, unde etiam ſpe fruſtratus eſt, cum nec vi nec ſuaſu Sepphoritas in ſuas partes pertrahere potuiſſet: magisque in Iudæa bellum accendit Romanis indigne ferentibus inſidias, & propterea nec

Sepphoritis Veſpaſianus auxilium mittit: Galilæam vexo ignis & ſanguis repleat.

die

die nec nocte ab agrorum depopulatione ceſſantibus, ſed paſſim diripientibus quicquid rerum in his reperiſſent: qui tamen cum mortem pugnacibus ſemper inferrent, imbelles ad ſervitium capiebant: ignis vero & ſanguis Galilæam totam repleverat, nec quisquam expers ejus acerbitatis aut cladis erat: unam ſalutis ſpem fugientes habebant in civitatibus, quas murorum ambitu Joſephus communierat. Titus autem Alexandriam transmiſſus ex Achaia citius, quam per hyemem ſperabatur, manum militum, cujus cauſa miſſus fuerat, ſuſcepit: contentoque uſus itinere, mature ad Ptolemaidem pervenit. Cumque ibi patrem ſuum reperiſſet, duabus quas ſecum habebat legionibus (erant autem nobiliſſimæ quinta & decima) junxit etiam quam ille adduxit quintamdecimam. Eas autem ſequebantur decem & octo cohortes: quibus acceſſere ex Cæſarea quinque cum una ala equitum, & alæ quinque Syrorum equitum. Decem autem cohortium ſingulæ mille pedites habebant: in cæteris vero tredecim ſexcenti pedites, & centeni viceni equites erant. Satis autem auxiliorum etiam a Regibus congregatum eſt. Antiochus enim & Agrippa & Sohemus bina millia peditum, & ſagittarios equites mille præbuerunt: cum Arabiæ quoque Rex Malchus, præter quinque millia peditum, equites mille miſiſſet, quorum pars major erant ſagittarii: ut tota manus computata cum Regiis, ſexaginta millia circiter peditum equitumque colligeret, præter calones: qui plurimi ſequebantur, & meditationi bellicæ aſſueti nihil a pugnaciſſimis aberant: quod tempore quidem pacis dominorum exercitationibus intereſſent. belli autem pericu-

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Ingentes copias Titus in Judæam ducit.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

la cum ipſis experirentur, & neque peritia, neque viribus a quoquam, niſi a dominis vincerentur: qua quidem in re nimis admirandam quis exiſtimaverit Romanorum providentiam, ita ſervos inſtituentium, ut non ſolum vitæ miniſterio, ſed belli etiam neceſſitatibus utiles ſint. Quod ſi quis eorum aliam quoque reſpexerit militiæ diſciplinam, profecto cognoſcet tantum eos imperium non fortunæ munere, ſed propria virtute quæſiſſe. Armis enim uti non in bello incipiunt, neque ſolum, ſi neceſſe ſit, manus movent, cum in pacis otio ceſſaverint: ſed armis veluti natura cohærentes, nullas capiunt exercitationis inducias, nec tempora præſtolantur. Meditationes autem eorum nihil a vera contentione diſcrepant: ſed in dies ſingulos militum quisque omnibus armis, tanquam in procinctu poſitus, exercetur: quo etiam facillime prælia tolerant. Neque enim ordo neglectus eos a conſueta diſpoſitione diſpergit, neque metus ſtupefacit, neque laſſitudo exhaurit. Unde ſequitur, ut ſemper ſuperent, quos non itidem confirmatos invenerint. Nec erraverit ſi quis eorum meditationes conflictus eſſe dixerit ſine ſanguine, contraque prælia meditationes cum ſanguine. Nam ne repentino quidem hoſtium incurſu opprimi poſſunt: ſed quocunque in hoſtilem terram irruperint, nonniſi permunitis caſtris prælio decernunt: quæ quidem non levi opere, nec iniquo loco erigunt, nec inordinate deſcribunt: ſed ſi quidem inæquale ſolum fuerit, complanatur: quatuor vero angulis horum dimenſio deſignatur. Nam & fabrorum multitudo, & ferramentorum copia, quæ uſus exſtructionis poſtulat, ſequitur exercitum.

Diligentia & labor Romanorum in parandis bello neceſſariis.

Studium indefeſſum Romanorum belligerandi.

Ordo Romanorum in caſtris.

tum. Et interior quidem pars caſtrorum tabernaculis diſtribuitur, ambitus autem eorum extrinſecus muri faciem præfert: ordinatis etiam turribus pari ſpatio diſpoſitis: quarum intervalla catapultis atque baliſtis, & aliis machinis ſaxa intorquentibus, omnibusque inſtrumentis miſſilium complent, ut cuncta ſcilicet jaculorum genera in promptu ſint: portas autem quatuor ædificant, tam jumentis aditu faciles, quam ipſis, ſi quid urgeat, intro currentibus latas. *Intus* autem caſtra vici ſpatiis interpoſitis dirimunt, mediaque rectorum tabernacula collocant, & inter hæc prætorium divum templo ſimillimum: prorſus ut quaſi repentina quædam civitas exiſtat: forum quoque & opificum ſtationes, & ſedes militum primatibus, ordinumque principibus, ubi, ſi qua ſit inter alios ambiguitas, judicent. Ipſe vero ambitus, & omnia quæ in eo ſunt, multitudine ſimul & ſcientia fabricantium opinione citius communitur: qui ſi res urgeat, foſſa extrinſecus cingitur, depreſſa *cubitis* quatuor, parique ſpatio lata. Armis autem ſepti, per contubernia cum decore atque otio in tentoriis agunt: omniaque ab his ordinate etiam alia cauteque per contubernia expediuntur: veluti ſi ligno aquave opus ſit aut frumento: nec enim cœna vel prandium cum voluerit, in poteſtate cujusquam eſt, ſimul autem omnibus ſomnus eſt, excubias & vigilandi tempora buccinæ ſignificant, neque eſt omnino quicquam quod ſine edicto geratur. Mane autem milites quidem ad centuriones, illi vero ad tribunos conveniunt ſalutatum: cum quibus ad ſummum omnium ducem univerſi ordinum principes. Ille autem his ſignum aliaque dat ex

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Reverentia & obedientia Romanorum militum erga Præfectos.

A. M. 4031. P.C.N. 69. more præcepta proferenda ſubjectis: quibus etiam in acie circumaguntur quo opus eſt, ac univerſi pariter incurrunt itemque ſeſe recipiunt. Cum autem caſtris egrediendum eſt, tuba indicium facit: nemoque otioſus eſt; ſed vel ſolo nutu moniti, tabernacula tollunt, omniaque ad profectionem inſtruunt: deinde iterum tuba, ut ſint parati, ſignificat. Illi autem cum mulos & jumenta ſarcinis oneraverint, velut in curruli certamine ſignum expectant. Caſtra vero incendunt, eo quod ſibi alia munire facile ſit, & ne quando hoſtibus eadem uſui ſint. Et tamen tertio quoque tubæ ſigno indicant, ut exeatur: urgendo aliqua ex cauſa morantes, ne quis ordinem deſerat. Dexterque duci præco aſtans, ſi ad bellum parati ſunt, voce patria ter percontatur: illique toties alacri & magna voce paratos eſſe ſe reſpondent, interrogantemque præveniunt: & Martio quodam ſpiritu repleti cum clamore dextras erigunt. Deinde otioſe & cum omni decore progredientes ambulant, ſuum quisque ordinem velut in bello cuſtodiens: pedites quidem thoracibus & galeis ſepti, & utroque latere gladiis accincti: lævus autem gladius multo eſt longior, cum dexter menſuram palmæ non excedat: qui vero ducem ſtipant lecti pedites ſcuta & lanceas geſtant: cætera manus haſtas & clypeos longos, ſerramque & corbem & ſarculum & ſecurim, necnon & habenam & falcem & catenam, triduique viaticum, ut parum interſit inter onuſta jumenta & pedites. Equitibus autem ad dexteram gladius eſt longior, & contus in manu, transverſusque ad equi latus clypeus: ternaque in pharetra vel amplius dependent lata cuspide ja-

Quomodo Romani caſtris egrediantur.

Arma Romanorum peditum.

Arma Romanorum equitum.

jacula, nihil ab haſtis magnitudine differentia. Caſſides vero & thoracas peditibus habent ſimiles: nulloque armorum genere ab equitum alis diſcrepant lecti, qui circum ducem verſantur. Agmina autem ſemper cui ſorte id obtigerit, antecedit. Talia quidem ſunt Romanorum itinera & manſiones, itemque armorum varietas. A. M. 4031. P.C.N. 69.

Romani nihil in prœliis inconſultum aut ſubitum agunt

Nihil vero nec in prœliis inconſultum aut ſubitum agunt: ſed omnia ſemper ſequuntur facta ſententiam: opusque adhibetur ante decretis. Unde aut minime peccant: aut ſi peccaverint, facilis eſt errati correctio. Fortunæ autem ſucceſſibus meliores conſiliorum, etiam ſi aliter ſucceſſerit, arbitrantur eventus: quaſi bonum quidem fortuitum ad rem inconſulte gerendam illiciat: quæ vero ante cogitata fuerint, etiam ſi adverſus caſus exceperit, bene jam meditatos exhibeant ad cavendum, ne idem rurſus eveniat: & bonorum quidem fortuitorum non is autor ſit, cui contigerint, triſtium vero, quæ præter ſententiam acciderint, ſaltem recte conſulta videantur eſſe ſolatium. Armorum quidem exercitatione comparant, ut non modo corpora, ſed animi quoque militum fortiores ſint. Major autem illis eſt ex timore diligentia: namque leges apud eos non deſertionis ſolum, verumetiam minimæ negligentiæ ſunt capitales: ducesque magis quam ipſæ leges terribiles: namque bonos honorando redimunt, ne in coercendis noxis videantur crudeles. Tanto autem obſequio rectoribus parent, ut & in pace ornamento ſint, & in acie corpus unum totius conſpiciatur exercitus: ſic eorum copulati ſunt ordines, ita circumduci ſunt mobiles: & acutis auribus ad præcepta, oculisque ad ſi-

Major diligentia eſt Romanis ex timore.

Obedientia Romani militis victoriæ cauſa.

A. M. 4031. P. C. N. 69.

gna & ad opera manibus: unde facere quidem ſemper ſtrenui ſunt, pati vero tardiſſimi: nec eſt ubi præliantes aut multitudinem hoſtium, aut conſilia ſenſere ducum, aut difficultatem regionum: ſed ne fortunæ quidem ſuccubuere: nam & ea certiorem putant eſſe victoriam. Quorum igitur actus a conſiliis incipiunt, conſultaque adeo ſtrenuus exequitur exercitus, quid mirum, ſi Euphrates ab oriente, & Oceanus ab occidente, itemque a meridiano tractu Africæ fertiliſſima regio, & a ſeptentrione Rhenus atque Danubius ſunt imperii limites, cum minorem eſſe poſſidentibus poſſeſſionem recte quis dixerit? Hæc ergo proſecutus ſum, non tam propoſito laudandi Romanos, quam ſolatio devictorum, & ut novarum rerum cupidos deterrerem: fortaſſe autem & ad experientiam proderunt bonarum artium ſtudioſis, Romanæ inſtituta militiæ neſcientibus: redeo tamen unde digreſſus ſum.

Tractus Romani Imperii.

## CAPUT IV.

### *Impetus Placidi contra Jotapatam.*

VEſpaſianus quidem una cum Tito filio in Ptolemaide interim degens, ordinabat exercitum: At vero Galilæam pervaſerat Placidus, ubi maximam eorum quos comprehendiſſet multitudinem interemit: hæc autem fuit Galilæorum imbecillior turba, animisque deficiens: pugnaciſſimos autem ut vidit ſemper in civitates confugere, quas Joſephus communierat, in Jotapatam, quæ omnium tutiſſima erat, impetum vertit: exiſtimans eam repentino aggreſſu facillime captum iri, magnamque & ſibi ex ea re

Placidus in Jotapatam impetum vertit, repulſus vero aufugit.

alios

alios apud rectores gloriam comparandam, & illis commodum ad reliqua maturius explicanda, quasi metu cessuris aliis civitatibus, si quæ validissima esset, occupatam vidissent. Multum tamen opinione deceptus est: Jotapateni enim, cum ejus impetum præsensissent, prope civitatem advenientem excipiunt: congressique cum Romanis ex improviso plurimi & ad pugnam parati, necnon & alacres (quippe ut pro salute patriæ, item conjugum liberorumque dimicantes) in fugam eos vertunt, multosque sauciant, septem solum interfectis: quia neque inordinate pugna decesserant, septisque undique corporibus leviter fuerant vulnerati: cum Judæi quoque magis eminus jaculari, quam manus conserere inermes cum armatis confiderent: ex ipsis autem Judæis tres ceciderunt, paucis præterea sauciatis. Placidus igitur ab oppido repulsus aufugit. A. M. 4031. P. C. N. 69.

## CAPUT V.

### *Galilæa a Vespasiano invaditur.*

GAlilæam vero Vespasianus ipse cupiens invadere, ex Ptolemaide proficiscitur, ordinato militum itinere, sicut Romani consueverunt. Auxiliatores enim, qui levius armati essent, itemque sagittarios præire jussit, ad repentinos incursus hostium cohibendos, & ut suspectas atque opportunas insidiis sylvas scrutarentur. Hos sequebatur Romani peditatus equitatusque pars: post quos e singulis centuriis deni armaturam suam ferentes, mensurasque castrorum. Post hos stratores viarum ibant, qui aggeris maligna corrigerent, ac aspera complana- Vespasianus Romanorum militum iter ordinat.

na-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

narent, ſylvasque obſtantes præciderent, ne perplexo itinere fatigaretur exercitus. Deinde ſuas, itemque ſubjectorum ſibi rectorum ſarcinas, & tutelæ cauſa multos cum his equites ordinavit: poſt quos ipſe veniebat, lectos pedites equitesque, necnon & lancearios ſecum ducens, equitumque præterea ſuorum agmine comitatus. De ſingulis enim turmis proprios centum & viginti equites deputatos habebat: hos ſequebantur, qui expugnandis civitatibus machinas & cætera tormenta portarent, deinde rectores, itemque præfecti cohortibus tribuni, ſtipati lectis militibus, & poſt hos circum aquilam ſigna alia, quæ omnibus apud Romanos agminibus præeſt, quod & univerſarum avium regnum habeat, & ſit validiſſima. Itaque illam & Principatus inſigne putant, & omen victoriæ quoscunque bello petierint. Sacras vero ſignorum effigies ſequebantur cornicines, & poſt eos acies, in latitudinem ſenis digeſta militibus: hisque adhærebat ex more quidam centurio, diſciplinæ atque ordinis cuſtos. Servi autem ſingularum legionum cuncti cum peditibus erant, mulis aliisque jumentis vehentes militum ſarcinas. Poſtremum agmen, in quo erat mercenaria multitudo, cogebant armati pedites, equitumque non pauci. Ita peracto itinere, Veſpaſianus cum omni exercitu ad fines Galilææ pervenit: ibique poſitis caſtris, quamvis promptos ad bellum milites continebat, una & oſtendendo exercitum, quo hoſtes metu percelleret, ſpatiumque indulgendo pœnitudinis, ſi quis ante prælium voluntatem mutaret, nihilominus autem murorum inſtruebat obſidium. Itaque multos quidem rebelliones fugere vel ſolus fecit ducis aſpe-

Aquilam Romani Principatus inſigne & omen victoriæ putant.

aſpectus: metum vero univerſis incuſſit. Joſephi enim ſocii, qui non longe a Sepphori caſtra poſuerant, ubi bellum appropinquare cognoverunt, & jam jamque Romanos prælio ſecum congreſſuros, non modo ante pugnam, ſed antequam hoſtes omnino conſpicerent, fuga disjecti ſunt: cum paucis autem relictus Joſephus, ubi animadvertit neque ſe ad excipiendos hoſtes ſufficientem manum habere, & Judæorum animos concidiſſe; ac ſi fides his haberetur, plerosque libenter ad hoſtes defectum ire; jam tum quidem bello omni abſtinebat, quam longiſſime autem periculis abeſſe decrevit, abductisque qui ſecum remanſerant, in Tiberiada confugit. A. M. 4031. P. C. N. 69.

Joſephus a ſuis deſertus in Tiberiada confugit.

## CAPUT VI.

### *Gadaræ expugnatio.*

VEſpaſianus autem Gadarenſium civitatem aggreſſus, primo impetu capit, quod eam pugnaci multitudine vacuam reperiſſet. Deinde hinc transgreſſus interius, cunctos puberes interfecit, cum Romanos odio gentis, & cladis memoria, quam pertulerat Ceſtius, nullius ætatis miſericordia commoveret. Incendit autem non ſolum civitatem, ſed etiam omnes circum vicos, & oppidula quædam penitus deſolata, nonnulla quorum habitatores ipſe cepiſſet. Joſephus autem, quam tuitionis cauſa optaverat civitatem, ipſe metu replevit. Nam Tiberienſes nunquam eum, niſi de omni bello deſperaſſet, in fugam verſum iri credebant: neque in hoc eos voluntatis ejus fallebat opinio. Videbat enim res Judæorum, quorſum eva-

A. M. 4031. P.C.N. 69. derent: unamque illos viam ſalutis habere, ſi propoſitum mutaviſſent, Ipſe vero, quamvis adhuc ſibi ſperaret a Romanis veniam tribuendam, mori tamen ſæpe maluiſſet, quam prodita patria, cum dedecore adminiſtrationis ſibi creditæ, apud illos feliciter agere, contra quos fuerat miſſus. Decrevit igitur Hieroſolymam primatibus, quemadmodum ſeſe res haberent, cum fide perſcribere: ne vel nimis extollendo vires hoſtium, timiditatis mox argueretur: vel minus aliquid nunciando, fortaſſe cœpti etiam pœnitentes ad ferociam revocaret: utque ſi fœdus eis placeret, cito reſcriberent: aut ſi bellandum eſſet, dignum ei contra Romanos exercitum mitterent. Ille quidem hac epiſtola ſcripta mature mittit, qui Hieroſolymam literas ferret.

Joſephus ab Romanis ſibi timet, & Hieroſolymam primatibus ſcribit.

## CAPUT VII.

### *Jotapatæ obſidio.*

VEſpaſianus autem Jotapatam excindere cupiens (nam in eam plurimos hoſtium refugiſſe cognoverat, & præterea validiſſimum hoc eorum eſſe receptaculum) præmittit pedites cum equitibus, qui montanum iter coæquarent, ſaxis aſperum, ac peditibus quoque difficile, omnino vero equitibus invium. Et hi quidem quatriduo fecere quod juſſum eſt, latamque aperuere exercitui viam. Quinto autem die, qui Menſis Maji vigeſimus & primus erat, prior Joſephus in Jotapatam ex Tiberiade venit, abjectosque Judæorum ſpiritus erigit. Cum vero tranſitum ejus Veſpaſiano quidam transfuga nunciaſſet, utque mox civitatem peteret, in-

Joſephus in Jotapatam ex Tiberiade venit.

incitaret, veluti cum ea totam Judæam capere posset, si Josephum subjugasset: hoc ille nuncio pro maxima felicitate percepto, Dei providentia factum ratus, ut qui hostium prudentissimus videretur, ultro se etiam in custodiam traderet voluntariam: statim quidem cum equitibus mille Placidum mittit, unaque decadarchum Ebutium, tam manu quam prudentia virum insignem, circumvallare civitatem jussit, ne clam inde Josephus elaberetur. Postero autem die cuncta manu comitatus ipse consequitur, & post meridiem usque acto itinere, ad Jotapatam pervenit: adductoque in septentrionalem ejus partem exercitu, in quodam tumulo castra ponit, distante ab oppido stadiis septem. Consulto autem quam maxime conspici ab hostibus affectabat, ut visu attoniti turbarentur: quod etiam factum est: eosque tantus continuo stupor invasit, ut muris egredi nullus auderet. At Romanos tota die ambulando fatigatos, civitatem statim aggredi piguit: ob eam causam duplici acie circumdato oppido, tertium extrinsecus agmen equitum posuere, omnes Judæis exitus obstruentes. Sed ea res illos in salutis desperatione audaciores effecit: quippe in bello nihil est necessitate pugnacius. Itaque postridie impetu in muros facto, Judæi primo quidem locis suis manentes, Romanis castra ante muros habentibus resistebant: postea vero quam Vespasianus & sagittarios & funditores, omnemque jaculatorum multitudinem adhibitam, missilibus in eos permisit uti: atque ipse cum peditibus in adversum collem, unde murus expugnabilis erat, niti cœpit: tunc civitati metuens Josephus, & cum eo cuncta Judæorum prosiluit

A. M. 4031. P.C.N. 69.

obsidio Jotapatæ.

in bello nihil est necessitate pugnacius

A. M. 4031. P.C.N. 69. multitudo, omnesque in Romanos pariter irruentes, procul a muris eos deterruere, multa manu simul & audacia patrando facinora. Neque minora tamen patiebantur, quam faciebant: nam quantum ipsos salutis desperatio, tantum pudor incendebat Romanos; & hos quidem peritia cum fortitudine, illos autem duce iracundia ferocitas armabat. Denique cum tota die pugnatum fuisset, prælium nox diremit: in quo Romanorum plurimis sauciatis, tredecim interfecti sunt: Judæorum autem cum sexcenti essent vulnerati, septem & decem ceciderunt. Nihiloque minus Romanis postridie iterum irruentibus occurrunt, multoque fortius restiterunt: ex eo scilicet fiduciam nacti, quod eos pridie præter spem sustinuerant: sed eos quoque pugnaciores experti sunt, quod eorum iracundiam pudor incenderat, vinci credentium, nisi cito vicissent. Itaque per dies quinque Romanis minime ab aggressione cessantibus, etiam Jotapatenorum excursus agebantur, murique fortius oppugnabantur, & neque Judæi vires hostium formidabant, neque Romanos difficultas oppidi capiendi lassabat. Etenim Jotapata paulominus tota rupes est, ex aliis quidem partibus undique vallibus immensis præceps, ut earum altitudinem oculis deprehendere cupientium aspectus ante deficiat. Ab una vero tantum Boreæ parte adiri potest, ubi per transversum latus desinentis montis ædificata est: quod quidem ipsum muro civitatis Josephus fuerat amplexus, quo inaccessa essent hostibus superiora cacumina. Aliis vero circum montibus tecta, prius quam in eam perveniretur, a nullo poterat conspici. Jotapata quidem sic erat com-

Prælium inter Romanos & Judæos tota die commissum, nox dirimit.

Jotapatæ situs.

mu-

munita. Vespasianus autem & cum natura loci simul certandum putans, & cum audacia Judæorum, incipere obsidionem acriter statuit: advocatisque rectoribus sibi subditis, de aggressu deliberabant. Cumque aggerem fieri placuisset, qua parte murus facilis erat accessui, totum ad comparandam materiam misit exercitum: oppidoque propinquis montibus excisis, magnaque vi lignorum & lapidum comparata, cratibusque ad evitanda jacula desuper missa per vallos dispositis, his protecti aggerem construebant: nulla autem noxa vel minima telorum erat, quæ de muro jacerentur. His autem alii terram ex propinquis tumulis eruentes, sine intermissione suppeditabant: cunctisque trifariam distributis, nullus erat otiosus. At Judæi super eorum tegmina saxa ingentia, & omne telorum genus curabant immittere: quæ licet minime penetrarent, magnos tamen crepitus dabant, & horribile impedimentum erat operantibus. Tunc igitur Vespasianus machinis missilium circumpositis (erant autem omnes centum sexaginta) in eos, qui super murum astarent, jussit tela contendi, simulque ex catapultis lanceæ percurrebant, saxaque tormentis ingentia mittebantur, ignisque & sagittarum frequentissima multitudo, quæ non solum murum, sed etiam totum intra jactum earum spatium Judæis inaccessum fecere. Arabum enim sagittariorum manus, & jaculatores, itemque funditores & omnes machinæ tela jaciebant. Neque tamen his Judæi prohibiti, ne desuper propugnarent, quieti erant: sed excurrendo per cuneos more latronum, tegmina operantium detrahebant, nudatosque feriebant: & ubi illi cessissent, aggerem

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Vespasianus obsidionem acriter incipere statuit.

Judæi per cuneos excurrunt, aggeremque dissipant.

A. M. 4031. P.C.N. 69. dissipabant, vallorumque munimenta cum cratibus igni tradebant: donec Vespasianus cognito, hujus damni causam ex distributione operum contigisse, quod interjecta spatia Judæis locum aggrediendi præberent, adunavit tegmina: conjunctisque pariter viribus obreptiones hostium præpeditæ sunt. Erecto autem propemodum aggere, pauloque minus æquato propugnaculis, indignum esse ratus Josephus, nihil contra moliri, quod oppido saluti foret, convocat fabros, murumque altius jubet extolli. Cumque illi tam multis obstantibus jaculis minime ædificare posse affirmarent, hanc eis defensionem excogitavit. Sudibus fixis per eos boum coria recentia extendi præcepit, quæ emissos tormentis lapides sinuata susciperent, quibusque repulsa tela cætera dilaberentur, & ignis humore langueseeret: hisque ante fabros oppositis, illi murum die noctuque operando, ad viginti cubitorum altitudinem erexerunt, crebris etiam turribus in eo constructis, minisque validissimis aptatis. Quæ quidem res Romanis jam intra civitatem se esse credentibus, magnum mœrorem comparavit, tam Josephi molitione, quam oppidanorum obstinatione perterritis.

Josephus sudibus fixis per eos boum coria recentia extendi præcipit, quæ emissos tormentis lapides sinuata susciperent, murum altius erigit.

## CAPUT VIII.

*De obsidione Jotapatenorum a Vespasiano, & diligentia Josephi, deque Judæorum excursione in Romanos.*

AT Vespasianus & calliditate consilii, & hostium audacia magis irritabatur: qui jam recepta ex munitione fiducia, Romanos ultro incursabant: inque dies singulos prælia catervatim,

tim, & cujusque modi latrocinales doli, & eorum quæ casus obtulisset rapinæ, aliorumque incendia fiebant: donec Vespasianus retento milite a pugna, statuit obsidere civitatem, ut eam usui necessariorum penuria caperet. Aut enim coactos inopia sibi supplicaturos, aut si ad finem usque in eadem pertinacia duravissent, fame consumendos ejus habitatores putabat: multoque faciliores expugnatu fore, si post intervallum rursus anxiis incubuisset. Itaque omnes exitus eorum asservari præcepit, Illi autem frumenti quidem, aliarumque omnium rerum intus habebant copiam, præter salem: aquæ vero penuria eos affligebat: quia neque fons erat intra civitatem, & imbre contentis habitatoribus, rara est in illo tractu æstivis mensibus pluvia: quo tempore obsessi etiam hoc vehementius afficiebantur, quod arcendæ siti fuerat excogitatum: quodque fieri, velut omnis aqua jam defeciisset, ægre ferebant. Josephus enim, cum & civitatem videret abundare aliis rebus, fortesque animo viros esse, quo longiorem Romanis obsidionem faceret, quam sperabant, jam tum potum mensura civibus ministrabat: illis autem conservari aquam penuria gravius esse videbatur: amplioremque cupiditatem movebat, quod jus bibendi liberum non haberent: ac velut ad extremam sitim perventum esset, labori cedebant. Hoc autem modo affecti, Romanos latere non poterant, qui ex adverso colle trans murum in unum eos confluere locum, & aquæ mensuram accipere prospectabant: quo etiam balistarum pervenientibus telis, plurimos occidebant. Vespasianus quidem non multo post, exhaustis puteis, ipsa sibi necessitate tradi-

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Vespasianus retento milite a pugna civitatem obsidere statuit.

Josephus potum mensura civibus ministrat.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

ditum iri civitatem ſperabat. Joſephus autem, ut hanc ejus ſpem frangeret, juſſit quam plurimos per murorum minas demerſa undis atque humida veſtimenta ſuſpendere, ut omnes repente aqua perfluerent: ex quo mœror ſimul Romanis ac timor erat, cum tantum aquæ viderent eos ludibrio conſummere quos potu indigere credebant. Denique dux belli etiam ipſe, quia penuria civitatem poſſe capere deſperaſſet, iterum conſilium ad vim atque arma convertit: Judæis quoque id maxime cupientibus: quod nec ſe nec civitatem ſalvam fore credebant, & prius quam fame vel ſiti perirent, mortem bello optabant. Joſephus tamen, præter hoc etiam aliud conſilium, quo ſibi copia pararetur, per quandam vallem deviam, proptereaque minus curioſe habitam a cuſtodibus excogitavit. Mittendo enim per occiduas ejus partes literas ad quos vellet Judæos extra civitatem degentes, ab his omnia uſui neceſſaria, & quæ in civitate defecerant, accipiebat: mandato commeantibus, ut plerumque ad excubias reperent, terga velleribus tecti: quo ſi qui eos nocte vidiſſent, canum ſimilitudine fallerentur: idque factitatum eſt, donec ejus fraudem vigiles perſenſerunt, vallemque cinxerunt. Itaque tunc Joſephus non diu civitatem ſuſtinere poſſe proſpiciens, ſuamque pariter ſalutem, ſi vellet remanere, deſperans, cum optimatibus de fuga tractabat: verum id populus ſenſit, & circa eum fuſus, ne ſeſe negligeret, precabatur, in quo ſolo recumberent: ipſum enim ſaluti eſſe civitati manentem, velut omnes ejus cauſa alacri eſſent animo certaturi: quod ſi etiam capiantur, eundem ſolatio fore: decere autem illum nec inimicos fugere, nec

Stratagema Joſephi

Aliud callidum Joſephi conſilium.

Populus Joſephum ne ſeſe negligeret precatur.

ami-

amicos deſerere, aut quaſi ex navi tempeſtate oppreſſa deſilire, qui ad eam tranquillo mari veniſſet: ipſum enim magis demerſurum eſſe civitatem, cum jam nemo audebit hoſtibus repugnare, ſi diſceſiſſet, cui confiderent. Joſephus autem, quod ſibi caveret occultans, illorum commodo ſe exitum parare dicebat: nam intra civitatem manendo, neque ſervatis grande aliquid ſe profuturum: & ſi caperentur, una cum his eſſe fruſtra periturum: obſidione vero liberatum, extrinſecus maximo eis emolumento fore: mature enim congregatis ex territorio Galilæis, alio bello Romanos ab eorum civitate revocaturum: nunc autem non videre, quid apud eos reſidens utilitatis afferret, niſi quod Romanos ad obſidionem magis incitaret, ut ſe caperent magni pendentes: quem ſi fugiſſe cognoviſſent, multum eſſent de obſidionis impetu remiſſuri. Non flexit his populum Joſephus, ſed hoc circumſiſtere ſe magis incendit: denique pueri & ſenes, itemque mulierculæ cum infantibus flentes ad ejus pedes accidebant, eumque omnes complexi tenebant, & ut fortunæ ſocius ſibi remaneret, cum ululatibus ſupplicabant: non invidia ſalutis ejus, quantum ego arbitror, ſed propria ſpe, nihil enim ſe mali, remanente Joſepho, exiſtimabant eſſe paſſuros. Ille autem ſiquidem paruiſſet, hæc preces eſſe ratus: cuſtodiam vero, ſi per vim cogeretur (multum enim propoſitum diſceſſus etiam querelarum miſericordia fregerat) remanere ſtatuit: communique deſperatione civitatis armatus, & nunc tempus eſſe dicens pugnam incipere, cum ſpes nulla ſalutis eſt: pulchrumque vitam paciſci pro laude, ac forti aliquo patrato facinore in me-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Prudentia Joſephi.

Joſephus in Jotapata remanet.

Cum ſpes nulla ſalutis eſt, bellum extremum remediam.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

moriam posteritatis occumbere: ad opera sese convertit. Cum pugnacissimis ergo egressus, disjectis custodibus, usque ad Romanorum castra excurrebat: & nunc pelles aggeribus impositas, sub quibus tendebant, discerpere: nunc operibus ignem immittere, posteroque die similiter ac tertio, & per aliquot deinceps dies ac noctes bellando non defatigabatur. Sed Vespasianus Romanos his excursibus male affectos aspiciens (nam & terga dare Judæis pudebat, & fugientes insequi armorum pondere *tardabantur*: cum Judæi semper aliquid agentes, priusquam paterentur, in civitatem refugerent) armatis imperat, ut eorum impetum declinarent, neve cum hominibus mortis avidis manum consererent. Nihil esse fortius desperatis. Restingui autem illorum impetus, si proposito *frustrentur*, *quasi* flammam, si materiam non inveniat. *Ad hoc* oportere Romanos cautius quærere victoriam, augendæ possessionis causa, non ex necessitate pugnantes. Per sagittarios autem Arabum & Syriæ, & funditores, perque saxa tormentis emissa plerumque repellebat Judæos: nulla enim telorum machina quiescebat. Illi autem his quidem male accepti cedebant: verum eminus missa intra jactum subeuntes, sævius Romanis instabant: cum neque corpori, neque animæ parcerent: sed per vicem utrinque pugnarent, suorum quisque laborantibus subvenientes.

Audacia Judæorum in extrema desperatione.

Vespasianus per sagittarios funditoresJudæos repellit.

## CAPUT IX.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

*De oppugnatione Vespasiani contra Jotapatam, ariete, & aliis tormentis bellicis.*

IGitur Vespasianus ultro se existimans longitudine temporis, hostiumque incursibus obsideri, cum prope jam muris aggeres æquarentur, arietem admovere decrevit. Est autem aries, immensa materia, malo navis assimilis: cujus summum gravi ferro solidatum est, in arietis effigiem fabricato, unde etiam nomen accepit: dependet autem funibus medius ex trabe alia, velut ex trutina, palis utrinque fultus, bene fundatis: retrorsum autem magna virorum multitudine repulsus, iisdemque simul rursus impellentibus missus, in fronte prominente ferro mœnia percutit: nec est ulla tam valida turris, aut murorum ambitus adeo latus, ut etsi priores ictus fortiter sustinuerit, assiduos vincat. Ad hujus periculum rei duci Romano transire placuit vi capere oppidum properanti: quoniam pernicioſa videbatur obsidio, Judæis minime quiescentibus. Itaque Romani quidem balistis cæterisque missilium machinis, ut facilius ferirentur, qui de muris obstare tentassent, propius adhibitis utebantur: neque sagittarii aut funditores longius aberant: cum vero ea causa muros nemo auderet ascendere, ipsi arietem applicabant, cratibus desuper itemque pellibus septum, tam pro sui defensione quam machinæ. Et primo quidem impetu mœnia concussa sunt: clamorque oppidanorum, velut jam capti essent, maximus factus est. Josephus autem eundem locum sæpe feriri, neque multo post murum disturbatum iri prospiciens, quo commento vim ma-

Aries.

Josephus commentum, quo vim machinæ paulatim falleret excogitavit.

A. M. 4031. P.C.N. 69. machinæ paulatim falleret, excogitavit. Saccos enim paleis confertos, qua ſemper impetum arietis ferri viderent, demitti juſſit ex muro: ut eo modo ſecundi ictus errarent, aut etiam excepta vulnera laxitas fruſtraretur. Quæ quidem res multum Romanis moræ attulit: nam quocunque hi machinam convertiſſent, contra illi qui ſuper murum ſtabant, palearum traducentes ſaccos, ictibus ſupponebant: nihilque murus repercuſſione lædebatur, donec etiam Romani adverſus hoc aliud machinati ſunt: proceris enim contis expeditis, in his ſummis falces, quibus ſaccos abſcinderent, alligarunt. Cum autem hoc modo efficax eſſet opus arietis, ac murus (qui recens ædificatus erat) ictibus cederet, quod reliquum erat, Joſephus ejusque ſocii ad ignis auxilium ſe contulerunt: accenſumque totum quod aridæ fuit materiæ, tribus ex locis pariter inflammarunt, unaque machinas & propugnacula Romanorum & aggeres concremarunt. Illi vero non ſine malo ſubveniebant, audacia ſimul eorum territi, & ne adjumento eſſent, flammis proruentibus impediti; quæ aridum nactæ fomitem, & præterea bitumen ac picem, necnon etiam ſulphur, opinione citius volitabant, operaque Romanorum multo labore curata, unius horæ ſpacio peſſum dederunt. Hic etiam vir quidam Judæus, prædicatione ac memoria dignus inventus eſt, Samæi filius Eleazarus, cui Saab Galilææ patria fuit. Is enim ſaxum ingens alte ſublatum, tanta vi ſuper arietem, ex muro dimiſit, ut machinæ caput abrumperet, idque ex mediis hoſtibus, ſaltu ad eos delatus, auferret, nulloque metu reportaret ad murum. Poſtremo tanquam ſignum, quo tela mitte-

Joſephus machinas & propugnacula Romanorum & aggeres concremat

Eleazari robur & audacia.

terent, hoſtibus propoſitus, nudo corpore quinque ſagittarum vulneribus fixus eſt: earumque nulla reſpecta, ubi murum aſcendit, unde jam videri ab omnibus poterat, ſua audacia ibi conſtitit, contractusque dolore plagarum cum ariete decidit. A. M. 4031. P.C.N. 69.

Poſt hunc fortiſſimi extiterunt duo fratres Netiras & Philippus de vico Ruma Galilæi: qui cum ſuper milites decimæ legionis proſiliiſſent, tanto impetu vique irruerunt, ut & aciem Romanorum perrumperent, quique adverſum ierant, omnes in fugam verterent. Netiræ & Philippi contra Romanos audacia.

Præter hos Joſephus quoque & cætera multitudo, raptis ignibus, machinas & refugia, cum operibus quintæ, itemque decimæ, ejus quæ terga dederat legionis, incendunt. Cæteri autem qui mox conſecuti ſunt, & inſtrumenta & omne genus materiæ obruerunt. Rurſus autem Romani ſub veſperam, erectum arietem ad eam muri partem, quæ pridem quaſſata fuerat, appulere: ibique propugnatorum quidam Veſpaſiani plantam ſagitta percuſſam leviter vulnerat, quia vis teli ſpatio defeciſſet. Veſpaſiani plantam miles ſagitta percuſſam vulnerat.

Maximam tunc id Romanis perturbationem fecit: his enim, qui prope aderant, viſo ſanguine perterritis, per omnem fama cucurrit exercitum: relictaque obſidione, plerique cum ſtupore atque formidine ad ducem belli concurrebant: & ante omnes Titus aderat metuens patri. Unde contigit, ut & benevolentia circa rectorem, & filii trepidatio confunderet multitudinem: facile tamen pater & timore filium, & perturbatione liberavit exercitum: ſuperato enim dolore vulneris, & ab omnibus, qui ſui cauſa pertimuerunt, conſpici ſtudens, bellum in Judæos ſævius incitavit: nam velut ultor quisque Imperatoris omne periculum adire cupiebat: Bellum in Judæos reiteratur.

A. M. 4031. P.C.N. 69. bat: & clamore alius alium adhortantes, murum petebant. Josephus autem cum suis, licet assiduis balistarum itemque tormentorum ictibus caderent, nequaquam tamen deterrebantur a muro: sed flammis & ferro & saxis eos appetebant, qui arietem protecti cratibus impellerent. Nihil autem aut parum proficiebant, cum sine intermissione procumberent in conspectu hostium positi, quos ipsi contra videre non possent: nam & suis ignibus collucebant, tanquam si dies esset, & certum erant signum, quo tela dirigerent: machinisque procul non apparentibus, missilia cavere non poterant. Ergo propterea tam catapultarum, quam jaculorum vi simul multi transfigebantur: missaque machinis saxa & murorum minas auferebant, & frangebant angulos turrium: virorum autem nulli tam fortiter constipati erant, ut non usque ad extremam aciem saxi magnitudine ac violentia sternerentur. Sciet autem aliquis, hujus machinæ vis quantum valeat, ex his quæ illa nocte contigerunt: in muro cuidam ex circumstantibus Josepho, saxo percusso caput avulsum est, ejusque ad tertium stadium veluti funda excussa calvaria. Interdiu quoque prægnantis fœminæ transjecto utero, ad dimidium stadium infans abactus est: tanta tormento vis fuit. Ergo machinis terribilior erat impetus & missilium strepitus. Crebri autem mortui, cum per muros dejicerentur, sonabant: & acerbissimus quidem intus excitabatur mulierum clamor: extrinsecus autem occumbentium gemitus concrepabant: totusque ambitus muri, ad quem pugnabatur, sanguine confluebat, jamque ascendi poterat congestione cadaverum: montes autem

Vis Romanorum jaculorum

reso-

reſonantes, multo amplius horrorem augebant: nec quicquam illi nocti defuit, quod vel auribus vel oculis terrorem poſſet incutere. Plurimi quidem pro Jotapata decertantes, fortiter ceciderunt, plurimi etiam ſauciati ſunt, & tamen vix circa matutinas vigilias murus aſſiduis machinarum ictibus ceſſit. Tumque illi quidem corporibus atque armis eam partem, quæ dejecta fuerat, priusquam Romani pontes apponerent, munierunt. A. M. 4031. P.C.N. 69.

## CAPUT X.

*De iterata impugnatione Jotapatenorum.*

MAne autem Veſpaſianus ad occupandam civitatem jam ducebat exercitum, ex nocturno labore paululum recreatum. Idemque cupiens de convulſa muri parte alios propugnatores depellere, equitum quidem fortiſſimos equis depoſitos trifariam collocat: ut tecti armis dirutum latus undique obſiderent, contosque prætenderent: & cum pontes admoveri cœpiſſent, ipſi priores introirent. Poſt illos autem pedites validiſſimos ordinavit. Reliquam vero equitum multitudinem ſecundum muri ſpatium per montana loca diſtendit, ne quis fugiens excidium civitatis lateret. Deinde qui hos ſequerentur conſtituit ſagittarios, paratas ſagittas habere juſſos: funditores quoque ſimiliter, & appoſitos machinis. Aliis autem integris muri partibus ſcalas applicare præcepit: ut qui hos prohibere tentaſſent, dejectæ partis defenſionem relinquerent: cæterique omnibus ſimul telis oppreſſi, violentiæ irrumpentium cede-

*Veſpaſianus ad occupandam civitatem, exercitum ducit.*

A. M. 4031. P.C.N. 69.

derent. Joſephus autem hoc conſilio cognito, per murum quidem integrum labore fatigatos, itemque ſenes diſpoſuit, quaſi lædi non poſſent: in parte vero collapſa validum & potentiſſimum quemque: ſenosque ante omnes viros, in quibus & ipſe fuit, ad pericula ſubeunda ſortitus eſt: hisque præcepit, ut agminum ululatibus, ne metu quaterentur, aures obſtruerent: contra ſagittarum vero multitudinem communiti protegerentur deſuper ſcutis: paulatimque recederent, donec ſagittarii pharetras exinanirent. Si vero pontes a Romanis apponerentur, ipſos proſilire mandavit: atque hoſtibus perſuaſit per ſua inſtrumenta reſiſtere: unumquemque vero ita certare debere, non quaſi conſervandam tueretur, ſed quaſi perditam jam patriam vindicaret: atque oculis ſuis proponere mactari ſenes ac liberos, conjugesque ſuas propemodum ab hoſtibus capi: vimque futuræ cladis jam nunc collectam in autores ejus effundere: ita quidem in utroque diſpoſuit. Civitatis autem vulgus imbelle, mulieres ac pueri, poſtquam oppidum triplici acie videre circumdatum (nullus enim ad pugnam translatus fuerat a cuſtodiis) ſtrictisque gladiis ad partem muri dejectam hoſtes inſtare, armisque montana loca omnia deſuper collucere, atque Arabum quendam ſagittariis tela ſuggerere, tunc extremo ululatu quaſi capta urbe conſonuerunt, non ut impendere mala, ſed ut adeſſe jam crederes. Quare Joſephus mulieres, ne miſericordia ſuorum animos effœminarent, intra domos cum interminatione concludit, ſilere juſſas: ipſe vero ad partem muri, quæ ſibi obtigerat, tranſivit: & ſcalas quidem applicantibus animum non intendit, ſed tantum ſpe-

Joſephi contra hoſtes callidum conſilium.

Mulierum ac puerorum ululatus in pugna.

ſpeculabatur impetum ſagittarum. Simul autem ac tubicines univerſarum legionum conſonuerunt, & graviter infremuit exercitus: ſignoque dato, miſſis undique ſagittis lux obſcurari cœpit: Joſephi ſocii memores præceptorum, & adverſus clamorem obſtructis auribus, & contra ſagittarum vulnera corporibus communitis, cum admoverentur pontium machinæ, ipſi eas curſu, & antequam hoſtes pedem in his ponerent, occupant: eosque aſcendere nitentes prælio deturbant, varia manuum itemque animi facinora demonſtrantes: & ne vel in extremis calamitatibus deteriores illis viderentur, qui ſine periculo fortes contra ſe eſſent, curabant: nec prius a Romanis divellebantur, quam vel caderent, vel occiderent. Itaque Judæis perpetuo dimicantibus, cum nec unde mutarent, propugnatores haberent, defeſſis autem Romanorum aſſidue ſubſtituerentur: proque his quos violentia repuliſſent, alii ſuccederent: invicem ſe adhortati latera copulant: protectique deſuper longioribus ſcutis, inexpugnabilis globus effecti ſunt: totaque acie velut uno corpore repellendo Judæos, in muro jam pedem ponebant. Tum Joſephus, his rerum anguſtiis conſilio neceſſitatis adhibito, machinis excogitandis cum deſperatione ſtimulatur: ferventique oleo perfundi milites jubet, ſcutorum conjunctione defenſos; id autem Judæi multi, qui & paratum haberent, & plurimum, cito Romanis infundunt: ipſis etiam in eos ahenis miſſis calore bullientibus. Hæc res Romanorum ardentium aciem diſſipavit, & cum dolore ſæviſſimo devolvebantur a muro: ſiquidem facile a vertice ad pedes usque ſub armatura oleum per totum corpus fluebat,

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Prælium Romanorum cum Judæis in ponte.

Romanos Judæi ferventi oleo perfundunt.

A. M. 4031. P.C.N. 69. carnemque non ſecus ac flamma depaſcebatur: quod natura facile caleſceret, ſeroque pro ſui pinguedine refrigeſceret: thoracibus autem & galeis illigatis incendii fuga non erat. Nunc autem ſalientes, nunc incurvati dolore, de pontibus decidebant. Ad ſuos autem contra nitentes tuto recedere non poterant, quoniam facile ab inſequentibus vulnerabantur. Sed neque Romanis virtus in rebus adverſis, nec Judæis prudentia defuit. Romani enim licet oleo perfuſi mirabilia pati viderentur, tamen in eos, qui perfuderant, ferebantur, præcedentem quisque incurſando, tanquam ipſe impetum retardaret. Judæi vero progreſſum eorum dolo altero deceperunt, cum fœno græco decocto pontium tabulata perfunderent: quibus illi dilabentes retrahebantur, ut neque fugientium quisquam, neque aggredientium firmo poſſet eniti veſtigio: ſed alii quidem reſupinati per ipſas pontium tabulas calcarentur, multi vero ſuper aggeres dejicerentur: & qui cecidiſſent, a Judæis feriebantur: qui Romanis deſilientibus conflictu jam liberi, facillime tela dirigebant. Cum autem multa milites mala in hac perpeti pugna dux videret, ſub veſperam eos revocat: quorum non paucis trucidatis, plures ſunt vulnerati. Ex Jotapata vero ſex viris mortuis, plures quam trecenti ſaucii translati ſunt. Hoc autem modo pugnatum eſt Junii menſis die XX. At Veſpaſianus, eorum cauſa, quæ acciderant, conſolatus exercitum, poſtquam ira vidit accenſum, neque tam exhortationem quam opus deposcere, aggeres quidem altius tollit. Tres vero turres quinquagenum pedum in excelſum jubet erigi, ferro undique tectas, ut & pondere ſta-

Romani re infecta a pugna retrocedunt.

Veſpaſianus aggeres altius tollit & turres erigit.

ſtabiles eſſent, neque ignibus expugnarentur: easque ſuper aggeres collocat, jaculatoribus & ſagittariis, itemque levioribus miſſilium machinis plenas, funditorum quoque fortiſſimis. Qui cum non conſpicerentur propter altitudinem turrium & loricas, ipſi eos, qui ſuper murum aſtarent facile conſpicuos, telis feriebant: at illi cum neque a vertice venientes ſagittas facile declinarent, neque ulciſci poſſent, quos non viderent: altitudine quidem turrium librata manu jacula ſuperante: ferro autem, quo erant ſeptæ, flammis obſtante: ob hæc defenſionem muri deſerunt: oppugnationemque tentantibus prompte occurrunt. Et Jotapateni quidem ita reſiſtebant, quamvis multi in dies ſingulos occumberent, neque contra mali quicquam hoſtibus facerent, quod eos ſine periculo prohibere non poterant. A. M. 4031. P.C.N. 69.

Jotapateni oppugnationem tentantibus prompte occurrunt.

## CAPUT XI.

### *Japhæ expugnatio a Trajano & Tito.*

His autem diebus Veſpaſianus ad finitimam quandam Jotapatæ civitatem evocatus, cui nomen eſt Japha, novas res affectantem, & propterea, quod Jotapatenos præter ſpem reſtitiſſe audierat, inſoleſcentem, mittit eo Trajanum decimæ legionis rectorem, dans ei duo millia peditum & equites mille. Ille autem cum oppidum contra expugnationem munitiſſimum reperiſſet (nam præter naturam, qua tutum erat, etiam muro duplici cingebatur) habitatores vero ejus vidiſſet paratos ad pugnam ſibi obvios proceſſiſſe, prælium cum his committit: eosque pauliſper reluctatos, in fugam vertit: quos

Japhæ expugnatio a Trajano.

Judæi ab Romanis intra duos muros concluſi trucidantur.

A. M. 4031. P.C.N. 69. vestigiis consecuti Romani, exterioris muri ambitum, quo confugerant, cum ipsis irrumpunt: secundum autem murum petentibus, cives sui clausere civitatem, metu scilicet, ne cum his rursus hostes intrarent. Profecto autem Deus Galilæorum clades Romanis donabat, qui etiam tunc civitatis ejus universum populum exclusum mœnibus propriis, ad interitum hostibus dedit avidissimis cædium. Multi enim simul ruentes ad portas, multumque nominatim præpositos inclamantes, inter ipsas preces mactabantur, quibus hostes unum murum, alterum cives clauserant: & inter medios coacti murorum ambitus, multi quidem sociorum gladiis transfigebantur, infiniti vero a Romanis interficiebantur, ne ad ulciscendum quidem recepta fiducia: nam præter hostilem metum, etiam domestica proditio eorum animos fregerat. Denique moriebantur, non Romanos, sed Judæos execrando, quoad omnes interiere numero hominum duodecim millia. Unde Trajanus vacuam esse civitatem pugnatoribus reputans, & si qui adhuc intus essent, nihil eos ausuros esse existimans præ timore, imperatori excidium reservavit: eumque per nuncios rogavit, ut filium suum Titum mitteret, finem victoriæ impositurum: ille autem laboris aliquid supereſſe ratus, cum milite filium misit, hoc est, quingentis equitibus & peditibus mille. Qui mature ad civitatem profectus sic ordinavit exercitum, ut in lævo quidem latere Trajanum constitueret, ipse vero in dextro obsidioni præesset. Itaque militibus scalas muris undique applicantibus, cum paulisper desuper Galilæi obstitissent, continuo mœnia reliquerunt. Titus vero ejusque comi-

Duodecim millia Judæorum interemit.

Titus cum copiis ad Japhan pervenit.

tes

tes saltu demissi, mature civitatem obtinuerunt. Tumque vehemens cum his, qui se intus congregavere, pugna commissa est: nunc per angusta viarum irruentibus validissimis, nunc fœminis ex tectorum culminibus, quæ forte inveniissent, tela jactantibus. Et hoc quidem modo usque ad sextam horam sustinuere conflictum: absumptis autem bellatoribus, cætera multitudo, & sub divo, & per domos, senes pariter ac juvenes mactabantur. Denique virilis sexus præter infantes nullus remansit, qui cum mulieribus abducti sunt servitio. Interemptorum quidem in civitate, & in primo congressu, numerus fuit quindecim millia: captivorum autem duo millia CXX. Hæc Galilæis clades contigit quinto & vigesimo die Junii mensis.

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Vehemens pugna in oppido inter Galilæos & Romanos.

## CAPUT XII.

*De Samaritis a Cereale devictis.*

SEd ne Samaritæ quidem alieni a calamitatibus remansere. Hi namque in monte Garizin, qui est illis sanctissimus, congregati, locis suis expectabant: belli autem minas eorum conventus ac spiritus habere videbatur: nec saltem vicinorum malis corrigebantur, sed inconsulta suarum virium infirmitate, secundis Romanorum rebus exterriti, prona in tumultum voluntate pendebant. Vespasiano autem placebat motus antecapere, eorumque impetus prævenire. Nam etsi præsidiis tota Samaritica regio cincta erat, tamen eorum multitudo qui coierant & conspiratio timebatur. Eaque causa Cerealem quintæ legionis tribunum, cum sexcentis equitibus tribusque peditum millibus mittit.

Samaritarum in monte Garizin congregatio.

A. M. 4031. P.C.N. 69. Ille autem ad montem quidem accedere, prælioque congredi nequaquam tutum esse duxit, quod hostes plurimi desuper essent: milites vero circumvallatis undique montis radicibus, tota eos die custodiebant. Evenit autem aquæ tunc indigentibus Samaritis, etiam graves accendi æstus (erat enim tempus æstatis, neque se rebus necessariis vulgus instruxerat) adeo ut nonnulli quidem una die siti morerentur, multi vero ejusmodi morti servitium præferentes, ad Romanos transfugerunt: ex quibus cognito Cerealis, illos etiam qui adhuc perseverarent, malis infractos, montem ascendit: & circum hostes exercitu constituto, primum eos ad fœdera hortabatur, atque ut salvi esse mallent rogabat: si arma projecissent, tutos fore promittens: denique quia persuadere non posset, aggressus eos occidit omnes. Erant autem undecim millia & sexcenti. Hæc Junii mensis vigesimo & septimo die gesta sunt: atque his calamitatibus Samaritæ oppressi sunt.

*Aquæ defectus in monte Garizim.*

*Undecim millia & sexcenti Samaritæ interfecti.*

## CAPUT XIII.

### *Jotapatæ excidium.*

JOtapatenis autem diu durantibus, & præter spem adversa tolerantibus, quadragesimo quidem ac septimo die, Romanorum aggeres super murorum altitudinem sunt elati: quidam vero ad Vespasianum eodem die profugus venit, paucitatem civium & infirmitatem simul eorum enuncians: quodque diuturnis vigiliis, & præliis assiduis consumpti, minime quidem ulterius vim ferre possent, verum dolo etiam caperentur, si quis instaret: circa extremam namque vi-

*Profugus quidam paucitatem Jotapatenorum & infirmitatem eorum enunciat.*

vigiliam, quando & malorum requiem habere viderentur, & maxime defatigatos cuſtodes matutinus ſomnus occupat, dormire eos dicebat, eademque hora invadendos eſſe ſuadebat. Veſpaſiano autem, quia fidem noſſet inter ſe Judæorum, quantaque ſuperbia pœnas contemnerent, transfuga ſuſpectus erat: nam & antea quidam ex Jotapata captus, omne tormentorum genus fortiter pertulit, & cum ne flammis quidem coactus, quid intus ageretur, hoſtibus exquirentibus prodidiſſet, mortem deridens cruci ſuffixus eſt. Fidem tamen proditori conjectura faciebat, fortaſſe illum vera dicere: ipſe autem nihil ex ejus fallacia magnum ſibi exiſtimans eſſe metuendum, aſſervari hominem juſſit, & ad occupandam civitatem parabat exercitum. Hora igitur quæ fuerat indicata, ſilentio muros petebat: primusque incedebat Titus cum uno e tribunis Domitio Sabino, paucis ex quintadecima legione comitatus. Interfectis autem vigilibus, in civitatem ingrediuntur, & poſt eos Sextus Cerealis tribunus, & Placidus, ſubjectos ſibi milites introducebant. Arce vero occupata, cum hoſtes in medio oppido verſarentur, jamque plane dies eſſet, ne tunc quidem illi qui capti tenerentur, adhuc excidium ſentiebant, multo labore ſomnoque pariter diſſoluti. Et ſi quis evigilaſſet, nebula viſus ejus hebetavit, quæ caſu tunc plurima ſe circa oppidum fuderat, donec totus irrupit exercitus: ſoloque malorum periculo exuſcitati ſunt, morientesque demum ſe periiſſe crediderunt. Romanos autem memores quid obſidionis tempore pertuliſſent, neque parcendi cuiquam, neque miſerendi quemquam tangebat cura: ſed ex arce

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Romani hoſtibus dormientibus urbe potiuntur.

Romanos neque parcendi neque miſerendi cura tangit.

A. M. 4031. P.C.N. 69. ce plebem ad prona compulsam facillime trucidabant, ubi loci difficultas pugnacibus quoque negaret copiam resistendi: viarum namque angustiis pressi, ac per declivia dilabentes, fluente desuper bello obterebantur. Id multos etiam qui circa Josephum lecti erant, ut manibus propriis liberarentur incitavit: nam cum se viderent Romanorum neminem posse occidere, ne Romanorum manibus oppeterent, prævenerunt, & in extrema parte civitatis congregati, semet interfecerunt. Quicunque tamen vigilum primi captam civitatem senserant, in quandam turrim septentrionalem fuga recepti, aliquamdiu quidem restiterunt: deinde circumfusi hostium multitudine, sero dextras dedere: hisque instantibus, mortem suam æquo animo præbuerunt. Potuissent autem incruento Romani obsidionis fine gloriari, nisi unus ex ipsis occidisset centurio, Antonius, peremptus insidiis. Nam quidam ex his, qui ad speluncas confugerant (erant autem plurimi) rogabat Antonium, dextram sibi porrigere, ad fidem salutis ac præsidium, quo tutus ascenderet: cumque is manum porrexisset incaute, hasta ille præventum sub inguine perculit, statimque confecit. Illo quidem die comparentem multitudinem peremere Romani: postea vero secutis diebus scrutando latebras, per cuniculos & speluncas in omnem sæviebant ætatem, præter infantes ac fœminas. Itaque captivi quidem mille ducenti congregati erant: quadraginta vero millia connumerata sunt excidii tempore pugnisque superioribus mortuorum. At Vespasianus civitatem ipsam excindi jubet, castellaque ejus omnia exurit. Jo-

Pugna Judæorum cum Romanis ex muri.

Antonius a Judæo insidiis peremptus.

Quadraginta millia Judæorum excidii tempore, pugnisque superioribus interemit.

ta-

tapata quidem ita devicta est tertiodecimo imperii Neronis anno, calendarum Juliarum die. A. M. 4031. P.C.N. 69.

## CAPUT XIV.

*Quomodo Josephus captus vitam suam redemerit facto & verbis.*

ROmani vero Josephum requirentes, & propriæ indignationis causa, & quod Imperatori operæ precium videbatur (captus enim maxima pars belli esset) mortuos, itemque abditos rimabantur: ille autem in exitio civitatis fortunæ quodam usus auxilio, per medios se hostes surripuit, & in quendam profundum puteum saltu demissus est, cui amplum specus adjunctum erat a latere, quod supra scrutantes videre non possent: ubi quadraginta insignes viros latitantes offendit, rerumque utilium apparatum, qui non paucis diebus sufficeret. Hostibus autem omnia complexis, interdiu quidem se occultavit: nocte vero sursum ascendens, vigilias explorabat, ut fugeret. Cumque omnia undique ipsius causa maxime custodirentur, neque fallendi spes esset, in speluncam iterum descendebat: biduumque ibi delituit. Tertia vero die, capta quadam muliere, quæ cum ipsis fuerat, indicatus est. Tumque Vespasianus propere duos tribunos, Paulinum & Gallicanum, jussos pacem dare Josepho, & hortari eum, ut ascenderet, mittit. Quibus tamen ille rogantibus, postquam ad eum venerunt, fidemque pro salute dantibus minime paruit. Ex his autem magis quæ pati meritus esset: qui plurima commisisset, quam ex naturali mansuetudine rogantium, suspicionem colligens, velut ad pœ-

Josephus in profundum puteum delilit, & in specu delitescit.

Vespasianus Josepho per tribunos dat pacem

A. M. 4031. P.C.N. 69. nam evocaretur, timebat: donec Veſpaſianus tertium quoque tribunum Nicanorem, Joſepho notum, atque olim conſuetum miſit. Is autem, quam mite in eos Romanorum eſſet ingenium, quos ſemel ſubjugaſſent, referens: quodque ipſe Joſephus virtutis cauſa magis admirabilis, quam inviſus ducibus haberetur: eſſetque Imperatori ſtudium non eum ad ſupplicium ducere, quod etiam ſine deditione ſibi liceret exigere, ſed conſervare potius virum fortem: his addebat, quod nec Veſpaſianus, ſi quid dolo moliretur, amicum ad id mitteret, ut rem optimam peſſimæ, hoc eſt perfidiæ prætexeret amicitiam: neque ſemetipſum illi, ut amicum falleret, obtemperaturum fuiſſe. Verum Joſepho etiam poſt Nicanoris dicta hæſitante, milites quidem irati, ſpeluncæ ignem ſubmittere properabant: ſed retinebat eos belli ductor: vivum Joſephum capere plurimi pendens. Nicanore autem vehementer inſtante ubi etiam hoſtilis multitudinis minas comperit Joſephus, nocturna ſomnia reminiſcitur: quibus ei Deus & futuras Judæorum clades, & quæ Romanis eſſent eventura principibus, oſtendit: erat autem interpretandis quoque ſomniis idoneus, & conjectare, quæ ambigue divinitus dicerentur, ſciebat: qui & ſacros prophetarum libros noverat, quod & ipſe ſacerdos eſſet, & parentibus ſacerdotibus procreatus. Illa igitur hora quaſi Deo plenus, & recentium ſomniorum, quæ horrenda viderat, ſimulacra mente complexus, occultas preces Deo offert. Et quia Judæorum, inquit labefactari tibi rem creator placuit, fortuna vero ad Romanos tota migravit, animamque meam, quæ futura prædiceret, elegiſti, do quidem manus

Nicanor tribunus Joſepho notus.

Joſephi de Judæorum clade nocturna ſomnia.

Joſephus Deo plenus occultas preces offert Deo.

nus ſponte Romanis, & vivo: teſtor autem, quod non proditor, ſed tuus miniſter ad eos ibo. Simulque his dictis, Nicanori conſentiebat. Verum qui una confugerant Judæorum, poſtquam intellexerunt Joſephum rogantibus cedere, univerſi circumſtantes clamabant, certe plurimum ingemiſcere leges patriæ. Ubi ſunt, quæ Judæis Deus annuit, quibus mortem contemnentes animas indidit? Vita Joſephe captus es, lucemque pateris intueri ſervientem? quam cito tui oblitus es? quam multos pro libertate mori perſuaſiſti? falſam profecto opinionem fortitudinis habebas, falſamque prudentiæ, ſi ſalutem apud eos ſperas, cum quibus ita dimicaſti: aut ſi hæc etiam certa ſunt, ab illis tamen te ſervari cupis. Sed quamvis te Romanorum fortuna tui oblivione perfuderit, nos tamen patriæ gloriæ conſulentes, & dexteram tibi & gladium commodabimus, Tu vero ſi quidem ſponte moriare, dux Judæorum: ſi vero invitus, proditor morieris. Vix hæc elocuti ſunt, & intentatis gladiis, occidendum illum comminabantur, ſi Romanis pareret. Timens igitur impetum Joſephus, & ſe Dei præceptorum proditorem eſſe ratus, ſi ea non renunciaſſet morte præventus, argumentis eos philoſophiæ neceſſario tractare incipit. Et quid enim tantopere, inquit, o ſocii propriæ cædis avidi ſumus? aut cur amiciſſimas inter ſe res, corpus & animam, in diſſenſionem vocamus? mutatum me eſſe quispiam dicet? ſed Romani hoc ſciunt. Optimum in bello mori? ſed lege belli, hoc eſt a victoribus trucidari. Proinde ſi quidem Romanorum ferrum deprecor, vere meo gladio meaque manu ſim dignus: ſin illi hoſti ſuo par-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Joſephus Nicanori conſentit.

Judæorum in Joſephum impetus.

Oratio Joſephi ad ſocios.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

cendum putant, quanto juſtius nos ipſi nobis pepercerimus? Quippe ſtolidum eſt eacirca nos admittere, pro quibus ab illis diſſenſimus. Pulchrum enim eſſe pro libertate mori, & ipſe fateor, pugnando tamen, & illorum manibus, qui eam præripuere: nunc autem neque prælio nobis obſtant, neque nos interficiunt. Itidem autem timidus eſt habendus, qui mori non vult, cum opus eſt, & qui vult, cum non oportet. Præterea quis nos metus prohibet ad Romanos aſcendere? nempe mortis. Ergo quæ ab hoſtibus dubie ſuſpecta formidini eſt, eam certam ipſi nobis irrogabimus? Verum ſervitutem dicet aliquis: valde quidem nunc liberi ſumus. At viri fortis eſt ſemet occidere: imo vero ignaviſſimi quantum opinor. Nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens, ante vim turbinis navem ſponte ſubmergit. Quinetiam propria manu perire, a communi omnium animalium natura diſcrepat, eoque modo in creatorem noſtrum Deum ſummum ſcelus admittitur. Nullum eſt animal, quod ex induſtria vel per ſe moriatur. Siquidem naturæ lex validiſſima, ut velint vivere, in omnibus ſita eſt: idcirco & qui nobis adimendum id putant, hoſtes ducimus, & quos noſtros inſidiatores putamus, pœna perſequimur. Deum vero indigne ferre non arbitramini, cum donum ejus homo deſpiciat? Ab illo enim accepimus ut eſſemus: rurſumque, ut eſſe deſinamus, illi reddendum eſt. Corpora quidem cunctis mortalia ſunt, ex caduca materia fabricata: anima vero ſemper immortalis eſt: Deique particula in corporibus collocata. Si quis ergo depoſitum hominis ſurripuerit aut male tracta-

Pulchrum eſt pro libertate mori, pugnando tamen.

Similitudo a nauta ſumpta.

Propria manu perire a communi animalium natura, diſcrepat, eoque modo in Deum ſummum ſcelus admittitur.

Anima immortalis eſt, Deique particula in corporibus collocata.

ve-

verit, peſſimus ſtatim ac perfidioſus habetur: A. M.
ſi Dei depoſitum ex proprio corpore quis ejece- 4031.
rit, eum ſe latuiſſe quem læſerit æſtimabit? Et P.C.N.
ſervos quidem fugientes ulciſci, juſtum creditur, 69.
quamvis nequam dominos fugerint: ipſi vero
Deum fugientes, & optimum Deum, impie fa-
cere non videbimur? An ignoratis, quod eo-
rum, qui lege naturæ vita exeunt, acceptumque
Deo debitum ſolvunt, cum id qui dedit recipe-
re voluerit, perpetua laus, domusque ac familia
ſtabiles ſunt? puræ autem & quæ invocantes
exaudiant animæ, retinent locum in cœlo ade-
ptæ ſanctiſſimum: atque inde rurſum, volven-
tibus ſeculis, caſta corpora jubentur incolere.
Quorum vero manus in ſeipſos inſanierunt, eo- Deus au-
rum animas tenebroſior Orcus ſuſcipit: pater tores in-
autem illorum Deus autores injuriæ per nepo- juriæ per
tes ulciſcitur. Hinc & Deo inviſum eſt, & a nepotes
ſapientiſſimo legis noſtræ conditore coercetur. ulciſcitur.
Denique ſi qui ſe occiderint, apud nos quidem Mos vete-
usque ad ſolis occaſum inſepultos abjici decre- rum cum
tum eſt, cum etiam hoſtes ſepeliri fas eſſe duca- iis qui ſibi
mus: apud alios autem & dextræ jubentur ab- ipſis vio-
ſcindi ejusmodi mortuorum, quæ in ipſos arma- lentas ma-
tæ ſunt: quoniam ut corpus ab anima, ita ma- nus intu-
num eſſe a corpore alienam exiſtimarent. Pul- lerunt.
chrum eſt igitur, o ſocii, juſta ſentire: neque
humanis cladibus addere, ut creatorem omnium
impietate lædamus: ſi ſalvi eſſe volumus, ſalvi
ſimus: nec enim ſalus apud eos ignobilis eſt,
quibus tantis virtutem operibus demonſtravi-
mus: ſin mori placet, ab his occidi perpulchrum
eſt, qui nos ceperint. Non migrabo ego in ho-
ſtium locum, ut ipſe mei proditor fiam: multo
enim ſtolidior ſim, quam qui ad hoſtes ultro

A. M. 4031. P.C.N. 69. profugiunt, ſiquidem illi ſalutis ſuæ cauſa id faciunt: ego vero interitus, & quidem mei. Romanorum tamen inſidias votis expeto: nam ſi me poſt junctas dextras perimant, magno animo paratoque moriar, mendacii perfidiam pro victoriæ ſolatio mecum auferens. Multa quidem in hunc modum Joſephus, ut a cæde propria ſocios dehortaretur, dicebat. Illi autem obſtructis auribus deſperatione, qua ſe jamdudum morti devoverant, concitantur: & *alii* aliunde cum gladiis accurrentes, *ignaviam* exprobrabant: & quaſi eum mox percuſſurus, quisque adoriebatur. Ille autem cum alium nominatim vocaret, alium vultu ducis intueretur, alterius dexteram prehenderet, alium precibus exoraret, varia mentis affectione (ut in tali neceſſitate) diſtractus, ferrum omnium a cæde ſua prohibebat, non ſecus, ut feræ beſtiæ circumcluſæ, ad eum ſemper, qui ſe contingeret, ora convertens. Illorum autem, qui ducem in extrema quoque clade re verendum putabant, debilitabantur dextræ, gladiique de manibus elabebantur: multi cum manus ei afferrent, ſponte frameas dimittebant. Joſepho autem non defuit in deſperatione conſilium, ſed fretus Dei providentia, ſalutem in periculum mittit. Et quoniam mori decretum eſt, inquit, agite, cædes mutuas ſortiamur: & cui obtigerit, manu ſequentis occumbat, atque ita omnium fortuna perambulet, neque ſua ſe quis dextera feriat: injuſtum eſt enim cæteris interemptis, ex *aliis* quemquam, ſi pœnituerit, ſalvum eſſe. Viſus eſt vera dicere, & quod perſuaſit agitur: ut ſors cuique obtigit, paratam ei, qui ſequeretur, necem ſuam præbebat, quaſi mox etiam duce peritu-

Peroratio Joſephi.

Joſephus vix ferrum a cæde ſua prohibet.

Aliud Joſephi conſilium.

rituro: cum Joſepho enim perire, vita dulcius æſtimabant. Remanſit autem ipſe cum altero, ſive fortuna dici poterat, ſive Dei providentia. Conſultoque proſpiciens, ne vel ſorte gravaretur, vel ſi noviſſimus receſſiſſet, gentilis cæde pollueretur: illi quidem, fide interpoſita, ut viveret, perſuaſit: ipſe vero hoc modo & Romanorum & domeſtico bello liberatus, ad Veſpaſianum per Nicanorem ducebatur. Omnes autem Romani viſendi ejus gratia occurrebant: & cum ſe circa ducem premeret multitudo, varius tumultus erat: his exultantibus, quod captus eſſet, aliis minitantibus, nonnullis autem propius eum videre certantibus. Et qui longius aberant, hoſtem interficiendum eſſe clamabant: qui vero propius erant, facta ejus reputantes, *mutitione* ſtupeſcebant. Rectorum autem nemo fuit, qui licet ante iraſceretur nomini ejus, viri aſpectu non mitior factus ſit. Titum vero præter alios & fortis Joſephi animus in calamitatibus, & ætatis ejus miſericordia capiebat: qualisque pridem fuiſſet in præliis reminiſcenti, & qualis nunc ſit in hoſtium manibus poſitus intuenti, ſuccurrebat quanta eſſet fortunæ potentia, quamque velox belli momentum: humanarum autem rerum nihil firmum atque perpetuum: quamobrem multos ad miſerationem Joſephi pertraxit: plurimaque ſalutis ejus pars Titus extitit apud patrem. Veſpaſianus tamen, quaſi miſſurus eum Cæſari, ut cautiſſime cuſtodiretur, præcepit. Quo audito, Joſephus aliquid ei ſoli ſe dicere velle ait. Summotisque ab illo omnibus aliis præter filium Titum, ac duos amicos: Tu quidem, inquit, Veſpaſiane, tantum hoc putas Joſephum te habere captivum:

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Joſephi ſocii per ſortem pereunt, Joſepho cum altero ſuperſtite.

Joſephus ad Veſpaſianum per Nicanorem ducitur.

Exemplum gratiæ & miſericordiæ Titi, erga Joſephum

Joſephus cum Veſpaſiano ſolus colloqui cupit.

Joſephus Veſpaſiano futura prædicit.

ego

A. M. 4031. P.C.N. 69. ego autem majorum ad te nuntius venio, præmissus a Deo: alioquin Judæorum legem sciebam, & quemadmodum duces exercituum mori deceret. Ad Neronem me mittis? quid ita? quasi qui Neroni usque ad te succesſuri sunt, maneant. Tu es Cæsar Vespasiane & Imperator, atque hic filius tuus: me autem colligatum arctius tibi asservato: nam dominus quidem non mei solius es tu Cæsar, verumetiam terræ marisque, ac totius hominum generis: me autem ad majorem pœnam custodiri oportet, si ex tempore & subito in dominum ista confingo. His dictis Vespasianus statim quidem fidem non habere videbatur, eaque Josephum existimabat salutis gratia comminisci: paulatim vero ad credendum impellebatur, jampridem illum excitante ad imperium Deo, sceptraque multis prænonstrante aliis portentis. Sed & in aliis verum esse Josephum deprehenderat. Altero namque amicorum, qui secretis intererant, admirari dicente, quemadmodum (nisi hæc deliramenta sint) neque Jotapatenis de excidio, neque sibi de captivitate quicquam divinasset, ut a se iram depelleret: Josephus Jotapatenis ait se prædixisse, quod post diem septimum & quadragesimum eos maneret exitium, quodque ipsum Romani vivum essent in custodia retenturi. Hæc in secreto quæsita, Vespasianus ubi vera esse comperit a captivis, etiam quæ de se dixisset credibilia cœperat existimare: sed neque custodiam Josepho nec vincula remittebat: vestimentis autem aliisque muneribus eum donare, benignissimeque fovere non desinebat, etiam Tito magnam honori ejus operam commodante.

Josephus in omnibus verax deprehenditur.

Vespasianus Josepho neque custodiam nec vincula remittit muneribus vero eum fovere non desinit.

te. Quarto autem die menſis Julii Veſpaſianus in Ptolemaida reverſus, inde in loca maritima Cæſaream pervenit, Judææ maximam civitatem, & quæ maiorem incolarum partem Græcos haberet. Igitur & exercitum & rectorem indigenæ omni favore ac benignitate ſuſcipiunt, affectu quidem quo Romanos diligerent: plus autem illorum, qui exciſi fuerant odio: unde etiam multi ſimul, ut de Joſepho ſupplicium ſumeret, cum clamore precabantur. Veſpaſianus autem de iſta quidem petitione, velut ab inconſulta multitudine oblata, nihil reſpondendo diſſolvit: legionum vero duas quidem hyematum apud Cæſaream poſuit, quod opportunam videret eſſe civitatem. Decimam vero & quintam Scythopolim miſit, ne totius exercitus moleſtia Cæſaream premeret. Erat autem illa quoque aprica per hyemem, quantum æſtatis caloribus æſtuoſa, ut in planitie ſita atque maritima. A. M. 4031. P.C.N. 69.

Cæſarea maritima Judææ maxima civitas majorem incolarum partem Græcos habet.

Scythopolis.

## CAPUT XV.

### *Joppe denuo capitur.*

DUm hæc autem aguntur, collecta non exigua multitudo, qui vel ab hoſtibus ſeditione defecerant, vel ex civitatibus everſis effugerant, Joppen ſibi receptacula renovant; quam antea vaſtaverat Ceſtius. Et quia terra, quam vaſtaverat, arcebantur, migrandum in mare cenſuerunt: ac piraticis navibus fabricatis, in Syriam ac Phœnicen, itemque in Ægyptum commeantes, plurimos latrociniis prædabantur: omnibusque navigiis invium faciebant illarum partium pelagus. Sed Veſpaſianus cognito quid

Joppe ſeditioſorum & latronum receptaculum.

A. M. 4031. P.C.N. 69. constituissent, equites in Joppen nec non & pedites mittit, hique nocte in civitatem, quod incustodita erat, ingressi sunt. Ejus autem habitatores, postquam irruptionem præsensérant, ne tunc Romanos arcerent, metu deterriti, naves fuga petierunt: & in his ultra contiguum sagittæ spatium, pernoctavere. Cum vero Joppe natura esset importuosa (namque in asperum cæteraque arduum litus desinit, ac summis utrinque cornibus leviter incurvum, quæ vaste supersunt, & ingentibus procellis pelagus turbant: ubi etiam nunc Andromedæ catenarum signis extantibus, fabulæ veteris fides ostenditur: adversus autem aquilo feriens littora, summos in objectas cautes fluctus affligit, solitudineque intutiorem efficit stationem) in eo salo fluctuantibus Joppenis: prima luce violentus, quem illac navigantes Melamboream vocant, flatus incumbit: & alias quidem naves inter se, alias vero collisit in scopulos: multæ autem cum magna vi adverso æstu niterentur ad pelagus (nam & littus saxis infestum, & hostes in eo constitutos timebant) sublatæ in sublime gurgite mergebantur: & neque fugæ uspiam locus erat: neque manentibus spes salutis: cum & mari ventorum, & civitate Romanorum violentia pellerentur. Itaque multi ululatus collisis navibus audiebantur, & multi crepitus fractis: Joppenorum autem fluctibus pars obruti, pars naufragiis implicati moriebantur: nonnulli autem ferro se interficientes, velut id satius esset, mare præveniebant: plurimi autem evecti fluctibus, scopulis carpebantur: ut & pelagus sanguine redundaret, omnisque ora maritima cadaveribus oppleretur: cum etiam ad littus appulsos, in eo stan-

De Andromeda vide Ovid. 4. Metam.

Ingens tempestas in mari Joppensi mergit.

ſtantes Romani milites trucidarent: ejectorum autem corporum quatuor millia ducenta fuerunt. Ita captam nullo prælio civitatem Romani funditus eruunt. Joppe quidem hoc modo brevi tempore bis a Romanis exciſa eſt. Veſpaſianus autem, ne rurſus eo piratæ confluerent, caſtris in arce munitis, ibi cum peditibus paucis equitatum reliquit: ut hi quidem locis ſuis manentes, eadem caſtra defenderent: equites vero omne circum territorium peragrantes ad fines Joppes, vicos & oppidula ſimul exurerent. Illi igitur præceptis obedientes, in dies ſingulos incurſando, excindebant totas regiones atque vaſtabant. Ubi vero Jotapatæ apud Hieroſolymam caſus nunciatus eſt, primo quidem plurimi & pro magnitudine calamitatis, & quod nemo, qui ſe vidiſſe diceret quæ jactabantur, advenerat, non credebant: nec enim vel nuncius aliquis ſuperfuerat: ſed ipſa per ſe fama excidium prædicabat, velox nuncia triſtium: paulatimque per finitimos veritas ambulabat, & apud omnes ambiguitate certior habebatur: quinetiam rebus geſtis plura, quæ facta non erant, affingebantur: & in excidio civitatis peremptus dicebatur eſſe Joſephus, quæ res maximo luctu replevit Hieroſolymam: & per ſingulas domos itemque cognationes, amiſſorum quisque lugebatur a ſuis: luctus vero ducis publicus erat, & hi quidem hoſpites, alii propinquos, amicos alii, nonnulli etiam fratres flebant: Joſephum autem univerſi, adeo ut per dies triginta nunquam lamenta in civitate ceſſarent, magnaque mercede conducerentur tibicines næniarum. Tempore autem veritate revelata, ubi de Jotapata quidem, ut res habebat, fictum vero, quod

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Quatuor millia ducenta corpora ejecta.

Veſpaſianus Joppen capit, & caſtra in arce munit.

Ipſa fama per ſe Jotapatæ excidium prædicat.

Joſephum Hieroſolymis peremptus eſſe dicitur.

A. M. 4031. P.C.N. 69. de Josephi morte vulgabatur, eumque vivere & cum Romanis esse compertum est, ac supra captivi fortunam a ducibus honorari, tantam in eum vivum iracundiam, quantam prius cum mortuum crederent, benevolentiam, concepe-

Odium, inimicitia, & iracundia in urbe erga Josephum.

runt. Et ab aliis quidem ignaviæ, apud alios proditionis arguebatur: totaque in eum civitas plena erat indignatione, atque conviciis. Ultro autem his vulneribus excitabantur, magisque accendebantur rebus adversis, & offensio, quæ prudentibus ne similia perferant, cautionis & custodiæ causam præbet, ad alias calamitates tanquam stimulus incitabat: & malorum semper incipiebat ex fine principium: denique majore in Romanos impetu ferebantur, velut in Josephum pariter vindicaturi. Hierosolymorum quidem habitatores ejusmodi turbis agitabantur.

## CAPUT XVI.

*Deditio Tiberiadis.*

Vespasianus in Agrippæ regnum venit, ibique per dies viginti recreato milite, in epulis vivit.

VEspasianus autem studio visendi regnum Agrippæ (nam & ipse Rex invitabat, rectorem simul cum exercitu paratus accipere domesticis divitiis, ac per eos ægras partes regni compescere) motis ex Cæsarea maritima castris, in eam, quæ Philippi dicitur, Cæsaream demigravit: ibique per dies 20. milite recreato, ipse quoque rerum gestarum gratias Deo referens in epulis erat. Postquam vero Tiberiada quidem novas res cupere, ac deficere Taricheas audivit, (ad regnum autem Agrippæ utraque pertinebat) decreto apud se undique Judæos exscindere, opportunum esse credidit adversus eos exercitum

du-

ducere, simul ut Agrippæ hospitio vicem rependeret, potestati ejus civitatibus creditis. Igitur filium suum in Cæsaream, ut inde militem Scythopolim traduceret, mittit. Hæc autem civitas Decapoleos maxima, & Tiberiadi vicina est. Quo cum ipse veniisset, ibi filium præstolabatur. Deinde cum tribus ultra legionibus progressus, ad trigesimum a Tiberiade stadium, in quadam mansione conspicua novarum rerum studiosis, cui nomen est Enabris, castra ponit; atque hinc decadarchum Valerianum cum equitibus 50. mittit, qui pacifico sermone oppidanos alloqueretur, & ad fidem invitaret: audierat enim, quod pacem populus desideraret: a nonnullis autem ad bellum eum cogentibus, seditionem pateretur. Itaque Valerianus ubi muro appropinquavit, & ipse de equo desiliit, & suos comites idem facere jussit: ne lacessendi prælii causa, potius veniisse videretur. Sed priusquam verbum faceret, armati excurrere in eum seditiosi, qui erant validiores, rectore quodam nomine Jesu, Tobiæ filio, latrocinalis agmine principe. Valerianus autem, neque præter mandata ducis prælio congredi tutum ratus, etiamsi de victoria certus esset: pugnamque periculosam esse, si cum multis pauci, & instructis imparati confligerent; inopinata præterea Judæorum stupefactus audacia, & ipse pedes refugit, & quinque alii similiter equis relictis: quos Jesus ejusque socii, veluti pugna non insidiis captos, læti in oppidum adduxerunt. Id autem veriti seniores, & qui eminere in populo videbantur, in Romanorum castra profugiunt: adhibitoque sibi Rege, ad Vespasiani genua supplici accidunt, ne se despiceret, obsecrantes: ne-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Valerianus pacifico sermone oppidanos alloquitur

Seditiosi excurrunt, ac Romanos in fugam vertunt.

Tiberiadés cives ad Vespasiani genua supplici accidunt, & veniam precantur.

A. M. 4031. P.C.N. 69. ve quæ paucorum esset, totius esse civitatis insaniam existimaret: sed populo parceret, qui semper amica Romanis sentiret: magisque ultum iret defectionis autores, a quibus ipsi olim ad fœdus venire properantes, nunc usque, ne id facerent, asservati fuissent. His eorum precibus, quamquam toti civitati propter equorum rapinam infensus esset, indulsit: nam & Agrippam videbat ejus oppidi causa trepidare. Fide autem per eos populo data, Jesus ejusque socii, tutum sibi non esse rati apud Tiberiada consistere, ad Taricheas confugiunt. Postero-que die Vespasianus in arcem præmittit cum equitibus Trajanum, qui multitudinem, an omnes pacem cuperent, experiretur: cognito autem populum eadem sentire, quæ supplices, ad civitatem ducebat exercitum. Illi autem portis ei patefactis, cum faustis ominationibus obviam prodeunt, salutis datorem ac bene meritum acclamantes. Cum vero militem angusti aditus remorarentur, murorum partem dirui Vespasianus ex meridiano latere jussit, eoque pacto dilatavit ingressum: ut præda tamen & injuriis abstinerent, in gratiam Regis edixit: ejusdemque causa muris pepercit, spondentis habitatores ejus posthac cum reliquis fore concordes: aliisque modis malis affectam civitatem ex dissensione recreavit.

Tiberiadis cives Vespasiano cum faustis ominationibus obviam procedunt.

CA-

## CAPUT XVII.

A.M. 4031. P.C.N. 69.

### *Tarichearum obſidio.*

DEinde ab ea digreſſus, inter ipſam & Taricheas caſtra poſuit, muroque firmavit, belli ſibi moras illic fore proſpiciens: quod omnis turbarum cupiens multitudo ad Taricheas confluereret, munitione confiſa civitatis, & lacu qui Geneſar ab indigenis appellatur. Etenim civitatem ita ut Tiberias ſub monte poſitam, qua lacu non alluebatur, undique muro validiſſimo, ſed minore tamen quam Tiberiada, Joſephus cinxerat: nam illam quidem in principio defectionis, pecuniarum itemque virium copia communierat: Taricheis vero largitatis ejus reliquiæ profecerunt. Scaphas autem plurimas, in lacu paratas habebant: ut in eas videlicet, ſi terreſtri prælio vincerentur, refugerent: ſimulque ad navale bellum, ſi opus eſſet, inſtructas. Romanis autem caſtra munientibus, Jeſus ejusque ſocii neque multitudine hoſtium, neque diſciplina militiæ perterriti, curſu in eos irruunt: primoque impetu diſjectis muri fabricatoribus, ac parte aliqua ædificii diſſipata, ubi armatos congregari viderunt, antequam mali aliquid paterentur, ad ſuos refugiunt: eosque inſecuti Romani, ad navigia compulere. Et illi quidem tantum provecti, unde Romanos contingere miſſilibus poſſent, anchoras jaciunt: & ſicut acies aſſolent, denſatis inter ſe navibus adverſus hoſtes in terra conſtitutos, navali prælio decertabant. Audito autem Veſpaſianus magnam eorum multitudinem in proxima civitati planicie congregatam, filium ſuum cum ſexcentis equitibus lectis eo mittit. Qui cum infinitum ho-

Veſpaſianus Taricheas obſidet.

Romani Judæos ad navigia compellunt.

A. M. 4031. P.C.N. 69. hostium numerum reperisset, patri quidem majoribus auxiliis opus esse mandavit. Ipse vero equitum plerosque, etiam priusquam subsidia venirent, alacres esse videns, cum nonnulli eorum multitudinem Judæorum formidarent, unde exaudiri posset, constitit: & o Romani, ait, pulchrum est namque in principio sermonis admonere vos generis vestri, ut qui cum quibus pugnaturi simus, sciatis: nostras enim manus nemo unquam toto orbe hostis ullus evasit: Judæi vero, ut etiam pro his dicamus aliquid, ad hoc usque tempus victi non defatigantur: itaque oportet illis in adversis rebus constanter dimicantibus, etiam nos in secundis perseverantius laborare: aperta quidem fronte vobis plurimum alacritatis inesse conspiciens, gaudeo: vereor autem, ne cui vestrum tanta timorem multitudo hostium latenter incutiat. Igitur quisque iterum cogitet, qualis cum quibus decertabit: quodque Judæi, licet satis sint audaces, mortemque contemnant, incompositi tamen bellorumque imperiti sunt, vulgus recte potius, quam exercitus appellandi, de vestra vero peritia atque ordinatione referre quid opus est? Nempe idcirco soli armis exercemur, pacis etiam tempore, ut ne in bello nos cum hostibus numero conferamus: nam quod perpetuæ militiæ commodum, si pares cum rudibus congrediamur? Quin reputate, quod armati cum inermibus, & equites cum peditibus, & ducis tuti consilio cum vagis neque rectorem habentibus decertabitis: quodque nos hæ virtutes multo plures efficiant, multum autem vitia de hostium numero detrahant. Nec sola

Oratio Titi ad milites perterrefactos.

Judæos non extimescendos.

ho-

hominum multitudo, quamvis pugnaciſſimi fuerint, in bello obtinet: ſed, etiamſi vel in paucis ſit, fortitudo; hi enim & ordinari faciles ſunt, & ſibimet ſubvenire: numeroſæ autem copiæ plus incommodi ex ſemetipſis, quam ex hoſtibus capiunt. Itaque Judæos audacia & ferocitas ac deſperatio, ſive mentis ſævitia ducunt: quæ rebus ſecundis aliquantum valent, minimis vero offenſionibus extinguuntur: nos autem virtus regit, & morigera voluntas, itemque fortitudo, quæ & *in* proſpera fortuna viget, nec ad finem usque inter adverſa decipitur. Ad hoc majores nobis ſunt, quam Judæis, cauſæ certaminis: nam ſi illi pro libertate ac patria belli pericula ſuſtinent, quid eſt nobis inclyta fama præſtantius? & ne poſt orbis terræ imperium videamur hoſtium adverſariorum loco Judæos habere? Præterea conſiderate, quod ne patiendi quidem alicujus intolerabilis mali metus eſt: multos enim, eosque in proximo adjutores habemus. Rapere autem victoriam poſſumus; & *quos a* patre mitti nobis ſperamus auxilio, convenit antecapere, ut & major ſit, & ſocium non habeat virtutis effectus. Equidem puto nunc de me ac patre meo vobisque pariter judicium *fieri*, ſi ille quidem rebus ante glorioſe geſtis dignus fuit, ego vero ejus ſum filius, vosque milites mei: nam illi vincere conſuetum eſt: ego vero reverti ad eum perpetiar victus? quo pacto autem vos non puduerit, duce veſtro periculis non occurrente, non ſuperare? appetam enim pericula, mihi credite, primusque in hoſtes irrumpam: nemo autem veſtrum a me diſceſſerit, perſuaſum habens, impetum meum ſuſtentari ope divina: & manifeſtiſſime præſu-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Non ſolæ hominum multitudo in bello obtinet, ſed etiam, ſi vel in paucis ſit, fortitudo.

Cauſæ certaminis Romanis ſunt majores quam Judæis.

Milites duci obtemperare par eſt.

A. M. 4031. P.C.N. 69. mite, quod multo plus mixti hostibus efficiamus, quam si extrinsecus pugnaremus. Postquam Titus hæc prosequutus est, divina quædam alacritas militibus incidit. Et quia Trajanum advenire cum CCCC. equitibus ante prælium contigit, ægre ferebant, tanquam minueretur victoria societate. Misit autem Vespasianus & Antonium Silonem cum duobus millibus sagittariorum: ut occupato monte, qui ex adverso erat oppido, murorum propugnatores pellerent. Et ab illis quidem, ita, ut præceptum fuerat, circumventi sunt ex ea parte subvenire tentantes. Titus autem primus perrexit citato equo in hostes, & post eum cæteri cum clamore, tanto spatio fusi, quantum adversa acies occupaverat, unde multo etiam plures quam erant apparuerunt. Judæi vero licet incursu eorum & disciplina conterriti, paulisper quidem primos sustinuere congressus. Perculsi autem contis, equorumque impetu deturbati conculcabantur: atque ita multis passim peremptis disperduntur, & in civitatem, ut quisque velocitatis habebat, effugiunt. Titus autem aliquos a tergo instans, alios per transitum occidebat, nonnullos cursu antecapiens, ictu ora transverberabat: multos autem alium super alium lapsos involvens, conficiebat: omnesque ad mœnia confugientes præveniens, detorquebat ad campum, donec vi multitudinis elapsi, in oppidum confugerunt. Excepit autem illos acerba dissensio: namque indigenis, & fortunarum suarum & civitatis gratia, & ab initio bellum gestum, maximeque quod male pugnatum fuerat, non placebat: sed populus advenarum, qui plurimus esset, vim adhibebat, & inter se discordantium clamor erat,

Vespasianus Tito auxiliares copias mittit.

Judæi in civitatem effugiunt.

Acerba dissensio & seditio in urbe.

velu-

veluti jam arma caperent. Quibus auditis, nec enim procul a muris aberat, Titus exclamat: Hoc tempus est, quid moramur commilitones? Deo nobis dedente Judæos suscipite victoriam. Non auditis clamores? qui manus nostras evasere, discordant: habemus civitatem, si modo properamus. Verumtamen cum velocitate animis opus est; nihil enim magnum effici sine periculo consuevit: non solum autem hostium concordiam, quos cito necessitas in gratiam revocabit, sed etiam nostrorum auxilia prævenire debemus: ut præter victoriam, qua tantas copias pauci superamus, etiam civitate soli potiamur. Simul his dictis conscendit equum, atque ad lacum decurrit, & per eum propere civitatem ingreditur, quem cæteri consecuti sunt: pavor autem ejus audaciæ murorum defensores invasit: & pugnare quidem, vel prohibere venientem, nemo sustinuit: relictis autem excubiis, Jesus quidem cum sociis in agros effugit: alii vero decurrentes ad lacum, in manus hostium contra venientium incidebant: mactabantur autem alii, cum scaphas scanderent, itemque alii, cum jam provectas assequi natando conarentur: plurimaque per civitatem fiebat hominum cædes, advenarum quidem resistentium, qui non effugissent: indigenarum vero sine pugna, quoniam spes eos fœderis, & conscientia, quod belli consilium non habuerant, a prælio deterrebat: donec Titus nocentibus interemptis, miseratus indigenas ab internecione requievit. At qui in lacum confugerant, ubi civitatem captam viderunt, quam longissime ab hostibus recesserunt. Titus vero missis equitibus res gestas patri nunciat. Quibus ille compertis,

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Oratio Titi ad Romanos milites.

Jesus cum sociis in agros effugit.

Titus res gestas & victoriam patri nunciat.

A. M. 4031. P.C.N. 69. tis, quod neceſſe fuit, & filii virtute admodum lætus, & facinoris claritudine (maxima enim belli pars videbatur exempta) tum quidem ſtatim circumdari civitatem cuſtodibus juſſit, ne quis ex ea ſubterfugeret, cædemque evaderet: poſtero autem die cum deſcendiſſet ad lacum, rates adverſus illos, qui eo refugerant, fabricari juſſit: quæ tam materiarum copia, quam artificum multitudine mature contextæ ſunt.

## CAPUT XVIII.

*De lacu Geneſar, & fontibus Jordanis.*

LAcus autem Geneſar quidem a terra continente appellatur. XL. vero ſtadiis in latitudine patens, centumque in longitudine, aquæ dulcis eſt atque potabilis. Paluſtri enim craſſitudine tenuiores habet latices: & undique in littora ac arenas deſinens, purus eſt, ac præter hoc temperatus ad hauriendum, & fluvio quidem ſive fonte lenior eſt; ſemper autem frigidior, quam lacus diffuſio patitur, manet: æſtivisque noctibus ejus aquæ ſub divo perflatæ, nequaquam æſtibus cedunt: id enim facere indigenis moris eſt. Varia autem ſunt in eo piſcium genera, ab alterius loci piſcibus tam ſapore quam ſpecie diſcreta: mediusque fluvio Jordane ſecatur. Cæterum Jordanis fons Panium eſſe videtur: ſed re vera huc terra conditus fertur ex ea, quæ vocatur Phiale. Hæc autem eſt, qua in Trachonitidem aſcenditur ad CXX. ſtadium a Cæſarea, ad dextram non longe a via. Et proprie quidem ex rotunditate Phiala dicitur lacus, rotæ ſpeciem præferens: ſemper autem intra ejus labra cohibetur unda, nunquam deficiens

Fons Jordanis.

vel

vel exuberans. Cumque interim hoc eſſe Jordanis principium neſciretur, a Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehenſum eſt. Is namque miſſis in Phialen paleis, invenit eas apud Planium redditas, unde antea fluvius naſci credebatur. Naturalis quidem pulchritudo Panii, regiis opibus & Agrippæ divitiis magnificentius accurata eſt. Manifeſtum autem flumen Jordanis ex hoc antro incipiens, Semechonitis quidem lacus paludes ſecat cœnoſas: centum autem & viginti aliis præteritis ſtadiis, poſt oppidum Juliada, Geneſar lacum medium transmenſus, deinde multam per ſolitudinem in Asphaltiten lacum exit. Ad Geneſar vero lacum ejusdem nominis terra prætenditur, natura ſimul & pulchritudine admirabilis. Nullum enim ipſa pro ubertate ſui negat arbuſtum, totamque plantis conſevere cultores: cœli vero temperies etiam diverſis aptiſſima eſt: nuces enim, quæ arborum maxime frigoribus gaudent, infinitæ floreſcunt: ubi etiam palmæ, quas nutrit calor æſtivus: has juxta ficus & oleæ, quibus aura mollior deſtinata eſt: ut naturæ magnificentiam hanc eſſe quis dixerit, vim adhibentis, ut in unum conveniant inter ſe repugnantia, annique temporum contentionem bonam, veluti ſingula peculiari ſtudio terræ faverent: non enim ſolum nutrit præter opinionem poma varia, ſed etiam ſervat, egregia quidem, & quodammodo regnantia. Uvas ſane & caricas ſine intermiſſione decem menſibus ſuggerit, cæteros vero fructus, anni ſpatio ſeneſcentes. Nam præter aeris lenitatem, & fonte quoque irrigatur uberrimo, qui Capernaum ab indigenis appellatur. Eum nonnulli venam eſſe Nili fluminis opinantur, quod ſimiles

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Deſcriptio Geneſar.

Fertilitas Geneſar.

Longitudo & latitudo Geneſar.

A. M. 4031. P.C.N. 69. coracino Alexandrino generat piſces. Longitudo autem regionis ſecundum littora cognominis lacus triginta ſtadiis extenditur, & latitudo viginti. Horum quidem natura ejusmodi eſt.

## CAPUT XIX.

### *Tarichearum excidium.*

VEſpaſianus autem perfectis ratibus, impoſita manu militum, quanta in eos, *qui lacu* effugerant, ſatis eſſet, una provehitur. *Illi* autem neque compulſi ad terram evadendi facultatem habebant, infeſtis omnibus, neque navali bello pari conditione pugnandi: nam & ſcaphæ parvæ, atque piraticæ adverſus rates infirmæ erant: & cum pauci ſingulis veherentur, cunctis ſimul inſtantibus Romanis appropinquare metuebant. Verumtamen circum rates navigando, nonnunquam etiam prope accedendo, lapidibus Romanos eminus appetebant, aut cominus etiam irritando feriebant: plus autem ipſis utroque modo nocebatur: nec enim ſaxis quicquam præter crebros ſonitus agebant, quoniam contra ſeptos armis jaciebantur, contiguique ſagittis eorum efficiebantur: & ſi accedere propius auſi fuiſſent, priusquam facerent aliquid, patiebantur, cumque ipſis navigiis mergebantur. Multos autem vulnera inferre tentantium, qui pilis contingi poſſent, alios deſiliendo in ſcaphas Romani gladiis transfigebant: nonnullos, concurrentibus inter ſe ratibus in medio deprehenſos, cum naviculis capiebant. Submerſorum autem qui capita ſuſtuliſſent, aut ſagittis præveniebantur, aut ratibus occupabantur: & ſi deſperatione compulſi inimicis adnatare tentaſſent, eis vel

Bellum navale contra Tarichæas.

ma-

manus vel capita truncabantur, plurimusque passim ac varius erat interitus eorum: donec in fugam versi, cæteri terræ appulsi sunt, circumclusis naviculis suis. Excluſi autem multi quidem in ipso lacu telis configebantur: multos vero in terram egressos peremerunt Romani. Mixtum autem sanguine, plenumque cadaveribus cerneres totum lacum: nullus enim salvus evasit. Acerbus autem secutis diebus odor illam regionem oppressit & facies: nam littora quidem naufragiis simul plena erant, & corporibus tumidis: calescentes autem ac tabefacti mortui, cœli tractum corrumpebant, ut non Judæis solum ille casus miserabilis videretur, verum etiam autoribus ipsis esset invisus. Iste quidem illius prælii navalis exitus fuit. Perierunt cum his, qui pridem in civitate cecidere, sex millia & quingenti. At Vespasianus, pugna peracta, pro tribunali apud Taricheas residens, advenam populum ab indigenis secernebat, qui autor belli extitisse videbatur: & an hi quoque servandi essent, cum rectoribus deliberabat: his autem affirmantibus eorum liberationem detrimento futuram: nec enim dimissos quiescere posse homines, qui & patriis carerent, vimque adhibere ac bellum inferre possent, ad quos confugissent: Vespasianus salute quidem indignos esse eos, contraque servatores suos noverat evasuros: sed de eorum mortis genere cogitabat. Nam si ibi occiderentur, non perpessuros suspicabatur indigenas, tot apud se supplices obtruncari: fideque interposita deditis vim pigebat afferre: verum ab amicis superabatur, nihil in Judæos non licere dicentibus: quodque utile esset, honesto debere præponi, cum utrumque obtineri non posset.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Victoria Vespasiani in lacu Genesar contra Taricheas.

Exitus navalis prælii, in quo sex millia & quingenti ceciderunt.

Vespasianus cum rectoribus de Judæis deliberat.

A. M. 4031. P. C. N. 69. set. Indubitata igitur concessa licentia, solo eos itinere, quod Tiberiada duceret, exire permisit. Cumque illi facile his, quæ cupierant, credidissent, & quo jussum fuerat comitati, neque pecuniis suis quicquam metuentes abirent: totam ad Tiberiada usque viam Romani, ne quis evaderet, occupaverunt: eosque in civitatem inclusos mox insecutus Vespasianus omnes in stadio constituit. Et seniores quidem cum imbellibus, qui mille ducenti erant, jussit occidi: juvenum autem validissimos sex millia lectos, ad Isthmon Neroni transmisit. Cæteram vero multitudinem triginta millia & quadringentos vendidit, præter alios, quos Agrippæ dona erat: nam his, qui ex ejus regno essent, facere quod vellet ipse permisit. Verum & istos Rex vendidit. Reliquum vulgus erant Trachonitæ & Gaulanitæ & Hippeni, pluresque Gadaritæ, seditiosi & fugitivi, & quibus probra pacis bellum conciliant. Capti sunt autem sexto Idus Septembris.

Distractio & venditio Judæorum

FLA-

# FLAVII JOSEPHI DE BELLO JUDAICO LIBER IV.

## SUMMA CAPITUM LIBRI IV.

De bello Judaico.

1. *Obsidio Gamalensium.*
2. *Itaburius mons occupatur a Placido.*
3. *Excidium Gamalæ.*
4. *Giscala a Tito capitur.*
5. *Hierosolymitani excidii initium.*
6. *Idumæorum adventus pro Hierosolymitanis & acta.*
7. *De clade Judæorum ab Idumæis facta.*

## CAPUT I.

### *Obsidio Gamalensium.*

QUicunque autem Galilæorum Jotapatis excisis a Romanis defecerant, hi se ad eos postquam Taricheatæ superati sunt, applicabant: omniaque Romani castella & civitates ceperant, præter Giscalam, & qui montem Itaburium occuparant. Cum his autem rebellarat Gamala civitas, contra Taricheas posita supra lacum, quæ ad fines pertinebat Agrippæ, itemque Sogane & Seleucia. Et hæ quidem Gaulanitidis regionis erant ambæ: Sogane superioris partis, cui nomen est Gaulana: & inferioris Gamala. Seleucia vero ad lacum Semechonitem, triginta latum, & sexaginta stadiis longum, paludesque suas ad Daphnen usque tendentem.

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Romanorum contra Judæos victoria.

Semechonites lacus

A. M. 4031. P.C.N. 69. Quæ regio cum alias ſit delitioſa, præcipue tamen fontes habet, qui minorem (quem ſic appellant) Jordanem alentes, ſub aureo Jovis templo in majorem deducunt. Soganen quidem ac Seleuciam colentes in principio defectionis Agrippa ſibi fœdere ſociaverat. Gamala vero ei non cedebat, freta locorum difficultate, amplius quam Jotapata. Jugum namque aſperum, ex alto monte deductum, mediam cervicem erigit: & ubi ſupereminet, in longitudinem tenditur: tantum contra declive, quantum a tergo, ut cameli ſimilitudinem præferat: unde nomen etiam duxit: niſi quod expreſſam vocabuli ſignificationem indigenæ ſervare non poſſunt. Et a fronte quidem & lateribus, in valles invias ſcinditur. Pars vero qua de monte pendet, paululum difficultatem refugit. Verum & hanc partem, per obliquum exciſa foſſa, indigenæ inviam fecerant. Domus autem crebræ per prona erant ædificatæ, nimioque præcipitio caſuræ ſimilis civitas intra ſe decurrebat, in meridiem vergens. Auſtralis vero collis immenſa editus altitudine, uſum arcis ſine muro civitati præbebat, rupesque ſuperior ad profundam pertinens vallem. Fons autem intra muros erat, in quem oppidum deſinebat. Quamvis autem natura inexpugnabilis eſſet civitas, tamen etiam Joſephus cum murorum eam ambitu cingeret, foſſis & cuniculis reddidit firmiorem. Ejus autem habitatores, natura quidem loci confidentiores erant, quam Jotapateni: ſed multo pauciores, minusque pugnaces: ſitusque freti difficultate, plures ſe hoſtibus putabant: nam plena erat civitas, multis in eam, quod eſſet tutiſſima, confugientibus. Unde ab

Fons Jordanis.

Gamalæ ſitus.

Gamala civitas inexpugnabilis & firma.

Agrip-

Agrippa quoque præmiſſis ad obſidionem, per menſes VII. reſtitere. Veſpaſianus autem profectus ex Ammaunte, ubi pro Tiberiade poſuerat caſtra (Ammaus autem, ſi quis nomen interpretetur, aquæ calidæ vocantur. Ibi enim ejusmodi fons eſt, ſanandis corporum vitiis idoneus) Gamalam pervenit, & totam quidem civitatem, ita ut diximus poſitam, cuſtodia circumvallare nequibat: qua vero fieri poſſet, excubias collocavit: montemque occupat ſuperiorem: in quo milites caſtris, ita ut aſſolet, muro circumdatis, opus aggerum poſtremo aggrediuntur. Et a parte quidem Orientis ſummo ſupra civitatem loco turris erat: ubi & quintadecima legio, necnon & quinta contra mediam civitatem operabatur: foſſas autem decima replevit & valles. Inter hæc Agrippam Regem, cum acceſſiſſet ad muros, eorumque defenſoribus de traditione loqui tentaret, funditorum quidam ad dextrum cubitum lapide percutit. Et ille quidem propterea familiaribus ſuis circumſeptus eſt. Romanos autem ira ſimul ob Regem, ſuique metus ad obſidionem protinus incitavit: nullum Judæos crudelitatis modum in alienigenas atque hoſtes prætermiſſum ire credentes, qui circa gentilem ſuum, & eorum quæ ipſis conducerent ſuaſorem, tam immanes fuiſſent. Aggeribus autem manus multitudine, operisque conſuetudine cito perfectis, machinas applicabant. Chares autem & Joſephus (namque ipſi erant oppidanorum potentiſſimi) armatos licet metu perculſos ordinavere: & quamquam non diu obſidionem poſſe ſuſtinere arbitrabantur, quibus aqua itemque alia uſui neceſſa ia non ſufficerent, adhortati tamen eos ad mœnia pro-

A. M. 4031. P.C.N. 69. Veſpaſianus Gamalam obſidet.

Agrippam Regem funditorum quidam lapide percutit.

Romani Gamalam expugnant

A. M. 4031. P.C.N. 69. duxerunt. Et pauliſper quidem machinis advenientibus repugnarunt: baliſtis autem tormentisque perculſi, in oppidum receſſerunt. Itaque Romani tribus ex locis aggreſſi murum arietibus quatiunt: & qua dejectus fuerat, infuſi magno cum armorum ſtrepitu ac tubarum ſonitu, ipſi quoque inſuper ululantes cum oppidanis confligebant. Illi autem ad primos aditus interim pertinaces, Romanis ne ultra progrederentur obſtabant. Cæterum vi & multitudine ſuperati, undique ad excelſa civitatis *loca* fugiunt: deinde revertentes inſtantibus ſibi hoſtibus incumbunt: illosque impingendo per declivia, locorum difficultate & anguſtia depreſſos interficiebant. Romani autem cum neque a vertice imminentibus repugnare, neque in partem aliquam evadere poſſent, pronos eos urgentibus hoſtibus, in domos hoſtium plano contiguas refugiebant: ſed hæ repletæ labebantur, quod pondus ſuſtinere non poterant: unaque dejecta multas inferiores, itemque illæ alias deturbabant. Ea res plurimos Romanorum morte conſumpſit: incerti enim quid facerent, quamvis ſubſidere tecta viderent, tamen eo convolabant, atque ita multi quidem ruinis opprimebantur: non pauci vero ſubterfugientes, parte corporis opprimebantur. Plurimi autem pulvere ſuffocati moriebantur. Sed ea Gamalenſes pro ſe fieri exiſtimabant: propriaque incommoda negligentes, magis inſtabant: hoſtesque in ſua tecta urgendo compellebant: qui vero per anguſtos viarum clivos cecidiſſent, eos telis deſuper miſſis interficiebant. Et ruinæ quidem lapidum copiam, ferrum vero eis mortui hoſtes dabant: cæſorum enim gladios auferen-

Romani cum Judæorum domibus prolabuntur.

Romanorum plurimi morte conſumpti

rentes, his contra femineces utebantur. Multi jam procumbentibus tectis, semet inde projiciendo moriebantur: tergaque dantibus, ne fuga quidem facilis erat: viarum namque ignorantia, & caligine pulveris alius alium non agnoscentes pererrabant, & circa se sternebantur. Sed illi quidem vix reperto exitu, ab oppido recesserunt. Vespasianus autem qui laborantibus semper interfuit, sævissimo dolore perculsus, cum super militem ruere civitatem videret, propriæ tuitionis oblitus, clam paulatim superiore in oppido locum prehendit: ibique inter media pericula cum paucis omnino relinquitur; nec enim aderat tunc ei filius Titus, ad Mutianum pridem in Syriam missus. Et dare quidem terga, neque tutum neque honestum sibi putabat: rerum autem quas ab adolescentia gesserat, ac propriæ virtutis memoria, quasi Deo repletus, corpora sociorum atque arma condensat, & cum his bellum una a vertice defluens sustinebat: & neque virorum neque telorum multitudinem formidans manebat, donec ejus animi obstinationem hostes divinam esse reputantes, impetum remiserunt: illis autem jam infirmius oppugnantibus, ipse pedem referens, non prius terga ostendit, quam extra muros egressus est. Plurimi quidem Romani milites in ea pugna ceciderunt, & inter eos Ebutius decadarchus, vir non eo tantum prælio quo periit, sed ubique antea fortissimus comprobatus, quique plurimis malis Judæos affecisset. In ea pugna centurio quidam nomine Gallus, cum decem militibus in quadam domo latuit. Ejus autem habitatoribus dum cœnarent, quod in Romanos fuisset consilium populi sui, inter se fabulantibus, hoc audito

A. M. 4031. P.C.N. 69.

Vespasiani fortitudo & virtus bellica.

Vespasiani cum Judæis pugna.

Gallus cum decem militibus in quadam domo latet.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

dito (nam & ipſe Syrus erat, & hi quos ſecum habebat) nocte illos aggreditur: omnibusque mactatis ad Romanos ſalvus cum militibus evadit. Veſpaſianus autem mœrere exercitum adverſis caſibus videns, quodque nullam interim tantam experti fuerant cladem: hujusque rei magis eos pudere, quod ſolum ducem in periculis reliquiſſent: conſolandos putabat: de ſe quidem nihil dicens, ne quem vel initio culpaſſe videretur. Oportere autem inquiens, quæ communia eſſent fortiter ferre, naturam *belli* cogitantes, quodque nusquam eveniat ſine cruore victoria, iterumque habeat fortuna regreſſum. Multis tunc Judæorum millibus interfectis, exiguam pro his ſtipem ſe inimicæ pependiſſe fortunæ. Atque ut jactantium eſſe, nimis ſecundis rebus inſoleſcere, ita eſſe ignavorum, in offenſionibus trepidare: velox enim eſt, inquit, in utrumque mutatio: & ille vir fortis habetur, cujus ſobrius erit animus in rebus quoque infeliciter geſtis: ut idem ſcilicet maneat, rectis conſiliis peccata corrigens. Quanquam ea quæ nunc acciderunt, neque mollitia noſtra, neque Judæorum virtus effecit: nam & illis pugnæ melioris, & nobis deterioris, cauſa fuit difficultas locorum. Qua in re nimirum quis reprehenderit alacritatis veſtræ temeritatem? nam cum hoſtes in excelſiora loca refugiſſent, manus continere debuiſtis, neque in ſummo vertice conſtituta ſequi pericula: ſed capta inferiori civitate, paulatim eos qui refugerant, ad tutiorem vobis & ſtabilem pugnam revocare: nunc autem immoderata feſtinatione vincendi, quam id incaute fieret, non curaſtis. Inconſultus autem & furi-

Veſpaſianus militer conſolatur.

Inconſtantia & mutabilitas fortunæ.

furibundus impetus belli, a Romanis alienus eſt, qui cuncta ordine peritiaque perficimus, Barbarisque conveniens, & quo Judæi maxime poſſidentur. Oportet igitur nos ad propriam virtutem recurrere: atque indignæ offenſioni iraſci potius, quam mœrere. Optimum autem quisque de ſua manu ſolatium quærat: ita enim fiet, ut & amiſſos ulciſcamur, & in eos a quibus perempti ſunt, vindicemus. Ipſe autem, ita ut *nunc feci*, experiar æque ac vos pugnando primus ad bella pergere, & noviſſimus inde diſcedere. Ille quidem his dictis recreavit exercitum. At Gamalenſes bene geſta re, pauliſper animos erexere: quæ nulla ratione, magna magnificeque provenerat: mox autem reputantes ablatam ſibi eſſe fœderis ſpem, quodque minime poſſent effugere (jam enim victus eos defecerat) vehementer dolebant, animosque remiſerant. Nec tamen quatenus valebant, ſalutem ſuam negligebant: ſed tam diſturbatas partes muri, qui erant fortiſſimi, quam integras, cæteri amplexi cuſtodiebant. Romanis autem conſtruentibus aggeres, iterumque tentantibus irruptionem, multi ex civitate per valles devias, qua nulli cuſtodes erant, & per cloacas diffugiebant: eos, qui metu ne caperentur, ibi remanerent, inopia conſumebat: ſolis enim undique alimenta, qui pugnare poſſent, congerebantur. Sed illi quidem in hujusmodi calamitatibus perdurabant.

A. M. 4031. P. C. N. 69.

Romani milites ordine cuncta peritiaque perficiunt.

Romani Gamalæ irruptionem iterum tentant.

CA-

A. M. 4031. P.C.N. 69.

## CAPUT II.

*Itaburius mons occupatur a Placido.*

Itaburii montis altitudo.

VEspasianus autem inter curas obsidionis, subsidiarium opus aggreditur adversus eos, qui montem Itaburium occupaverant, inter campum magnum & Scythopolim situm: cujus altitudo quidem triginta stadiis consurgens, septentrionali tractu inaccessa est: in vertice autem viginti stadiorum planicies patet, tota muro circumdata. Hunc autem tantum ambitum quadraginta diebus ædificaverat Josephus: & alias ei materias, & aquas suggerentibus locis inferioribus: solam enim incolæ pluvialem habebant. Magna igitur in eo multitudine congregata, Vespasianus Placidum cum sexcentis equitibus mittit. Huic autem subeundi quidem montis ratio nulla erat: multos autem fœderis ac veniæ spe hortabatur ad pacem: & descendebant ad eum ipsi quoque insidias molientes: nam & Placidus eo studio mitissime cum his loquebatur, ut eos in planicie caperet: illique tanquam dictis obedientes, ad eum veniebant, ut incautum aggrederentur. Vicit tamen astutia Placidi; cœpto enim a Judæis prælio assimulat fugam: & postquam insequentes ad magnam partem campi pellexit, reflectit in eos equitum manus: plurimisque in terga versis, aliquos interfecit: semotam vero multitudinem cæteram, ab ascensu prohibet. Itaque alii quidem Itaburio relicto, in Hierosolymam refugiebant, indigenæ autem fide accepta, quod eis aqua defecerat, & se, & montem Placido tradiderunt.

Ars deluditur arte.

Placidi victoria.

CA-

## CAPUT III.

A. M. 4031. P.C.N. 69.

### *Excidium Gamalæ.*

APud Gamalam vero degentium audaciſſimi quique fuga diſperſi latebant, imbelles autem fame corrumpebantur. At vero pugnantium manus obſidionem ſuſtinebat, donec evenit ſecundo & vigeſimo die menſis Octobris, ut tres ex decimaquinta legione milites, circa matutinas vigilias editiſſimam præ cæteris turrim, quæ in ſua parte fuerat, ſubirent: eamque occulte ſuffoderent: cum appoſiti ei cuſtodes neque adeuntes eos (nox enim erat) nec poſtquam adiere, ſenſiſſent. Iidem autem milites, cavendo ne ſtrepitus fieret, quinque ſaxis duriſſimis evolutis reſiliunt: ſubitoque turris cum magno fragore decidit, unaque cuſtodes præcipitantur. At vero qui per alias cuſtodias erant, perturbati fugiebant: multosque evadere auſos, peremere Romani: inter quos etiam Joſephum, ſuper dirutam muri partem quidam jaculo percuſſum, interfecit. Intus autem in civitate degentibus, ſono concuſſis, multus erat pavor atque diſcurſus, tanquam omnes eſſent hoſtes ingreſſi. Tuncque Chares ægrotus & jacens defecit, cum timoris magnitudo morbum ejus plurimum juviſſet ad mortem. Romani tamen prioris cladis memores, usque ad vigeſimam & tertiam diem ſupra dicti menſis oppidum non ſunt ingreſſi. Titus autem (jam enim aderat) indignatione vulneris, quod Romanos ſe abſente perculerat, ducentis equitibus præter pedites lectis, otioſe in civitatem introivit: eoque prætergreſſo, vigiles quidem ubi ſenſerunt, ad arma cum clamore properabant: cognito autem

Turris quam Romani ſuffoderant, cum magno fragore decidit,

Titus ducentis equitibus præter pedites lectis Gamalam intrat.

A. M. 4031. P.C.N. 69. intus conſtituti ejus ingreſſu, alii raptis liberis, trahentes etiam conjuges, cum ululatu & exclamationibus in arcem refugiebant: alii Tito occurrentes, ſine intermiſſione trucidabantur: qui vero prohibiti eſſent in arcem recurrere, neſcii quid facerent, Romanorum præſidiis incidebant: ubique autem infinitus erat morientium gemitus, perque prona loca effuſus cruor, totum oppidum diluebat. In eos autem, qui arcem occupaverant, omnem Veſpaſianus induxit exercitum. Erat autem *ſaxoſus & acceſſu difficillimus* vertex, in immenſum editus, & undique circum rupium multitudine præceps: unde Romanos ad ſe adeuntes partim telis partim ſaxis devolutis arcebant Judæi, cum ipſos in excelſo loco poſitos nullæ ſagittæ contingerent. Verum ad eorum interitum, divino *munere* quodam, turbo exoritur, Romanorum quidem tela in eos ferens, ipſorum autem a Romanis repellens, & obliqua traducens: ut neque in præruptis conſiſtere propter violentiam flatus poſſent, *cum nihil eſſet immobile, neque hoſtes* ad ſe accedentes videre. Itaque ſupergreſſi Romani, eos circumveniunt: & alios quidem repugnantes antecapiebant, alios manus dantes: in omnes autem vehementius ſæviebant, illorum memoria, quos in primo aggreſſu perdiderant. Multi autem undique circumcluſi, deſperatione ſalutis, filios & conjuges & ſemetipſos in vallem præcipites dabant, quæ ſub arce in profundum patebat. Evenit autem, ut ipſorum in ſe qui capti fuerant, immanitate lenior exiſteret iracundia Romanorum: ab his enim quatuor millia perempta ſunt: qui vero ſe præcipitaverunt, quinque millia ſunt reperti. Neque quisquam,

Gamalæ arcis vertex ſaxoſus & acceſſu difficillimus.

Victoria Romanis divino munere conceſſa.

Novem Judæorum millia Gamalæ peremta, ſolæduæ mulieres evadunt.

præ-

præter duas mulieres, ſalvus evaſit: quæ ſoro- A. M.
res erant, Philippi filiæ: qui Philippus Jachimo 4031.
genitus erat, inſigni viro, & qui ſub Agrippa P.C.N.
Rege dux exercitus fuerat; ſervatæ ſunt autem, 69.
quod excidii tempore Romanorum impetum latuere; nec enim vel infantibus pepercere, quorum multos ſinguli raptos ex arce projiciebant. Gamala quidem hoc modo exciſa eſt, tertio & vigeſimo die menſis Octobris: quæ vigeſimo & primo die menſis Septembris cœperat rebellare.

## CAPUT IV.

### *Giſcala a Tito capitur.*

JAmque ſolum Giſcala oppidulum Galilææ re- A. M.
ſtabat indomitum: cujus multitudo pacis ſtu- 4032.
dio tenebatur, quod erant plerique agricolæ, P.C.N.
ſpemque ſuam ſemper in fructibus collocaverant: 70.
non parvæ autem manus lacrocinalis permixtione corrupti erant, quo morbo etiam nonnulli civium laborabant. Hos autem ad defectionem impellebat atque conflabat Leviæ cujusdam filius, nomine Joannes: homo veneficus & fallax, variusque moribus, & immoderata ſperare promptus, miroque modo quæ ſperaſſet efficiens: atque omnibus jam cognitus, quod affectandæ ſibi potentiæ cauſa bellum amaret: huic apud Giſcala ſeditioſorum turba parebat: quorum cauſa populus etiam legatos fortaſſe de traditione miſſurus, Romanorum tamen congreſſum in parte belli præſtolabatur. At Veſpaſianus contra hos quidem Titum cum equitibus mille, decimam vero legionem circa Scythopolim mittit: cum reliquis autem duabus Cæſaream ipſe regreditur, dandam his ex labore continuo re-

Joannes homo veneficus & fallax Giſcalæ incolas ad defectionem impellit.

A. M. 4032. P.C.N. 70. quiem putans: ex civitatum copiis: eorumque corpora, itemque animos ad futura certamina exiſtimans eſſe refovendos: nec enim exiguum ſibi laborem ſupereſſe de Hieroſolymis prævidebat, quæ & regalis eſſet civitas, & cunctæ nationi præſtaret. His autem qui ex bello fugiſſent in eam confluentibus, etiam naturalis munitio, itemque murorum ejus conſtructio, non minimam ei ſolicitudinem comparabat: cum virorum ſpiritum & audaciam, & ſine muris inexpugnabilem eſſe cogitaret: ob eamque rem milites, velut athletas, ante certamina oportere curari. Tito autem civitas Giſcala (equitando enim ad eam acceſſerat) aggreſſione capi facilis videbatur: ſciens tamen quod ea vi capta, paſſim a militibus populus abſumeretur (namque ſatiatus erat ipſe jam cædibus) miſerans multitudinem etiam ipſe ſine ullo diſcrimine cum nocentibus intereuntem, pactione magis ſubigere civitatem volebat. Itaque plenis hominum muris, quorum plerique perditæ factionis erant, mirari ſe ait, quonam freti conſilio, cunctis jam civitatibus captis, illi ſoli Romanorum arma operirentur, cum viderent multo quidem munitiora oppida uno impetu fuiſſe ſubverſa: ſecuros autem fortunis ſuis potiri, qui Romanorum dextris credidiſſent: quas quidem etiam nunc illis ait ſe porrigere, neque ob inſolentiam ſuccenſere, quia ſpei libertatis ignoſcendum putaret: non tamen etiam, ſi quis impoſſibilia velle perſeveraret. Quod ſi dictis humaniſſimis non paruiſſent, fidemque dextris non habuiſſent, experturos arma crudelia: jam jamque cognituros eſſe, mœnia ſua ludum fore machinis Romanorum: quibus fidentes, ſoli ex Galilæis ſeſe oſten-

Veſpaſianus non ex suum ſibi laborem ſupereſſe de Hieroſolymis prævidet.

Titi erga Giſcalæ cives benignitas.

Titi ad Giſcalæ cives oratio blanda.

oſtentarent arrogantes eſſe captivos. His dictis, popularium quidem neminem non modo reſpondere, ſed ne ad murum quidem licuit aſcendere: quia totum latrones occupaverant: & cuſtodes erant portis appoſiti, ne quis vel ad fœdus prodiret, vel equitum quenquam in civitatem reciperet. Joannes autem accipere ſe conditiones ait, & aut perſuaſurum, aut neceſſitatem belli renitentibus adhibiturum. Illum tamen diem Judæorum legi oportere concedi: quoniam ſicut arma movere, ita etiam de pace convenire nefas haberent. Nam & Romanos ſcire, quod ab omni ceſſaret opere dierum ſeptem circuitio, quam ſi temeraſſent, non minus coactos, quam qui cogerent, piaculum commiſſuros, ipſumque Titum: nullum enim illi ex mora eſſe diſpendium formidandum, quod unius noctis ſpatium propter fugæ conſilium ceperit, præſertim cum id obſervare circumſedentem nemo prohibeat: ſibi autem magnum eſſe lucrum, nulla in re deſpicere patrios mores. Et illum decere, qui pacem non ſperantibus indulget, legem quoque ſervare ſervatis. His Titum Joannes fallere conabatur, non tantum pro ſeptimi diei religione, quantum pro ſua ſalute ſolicitus: verebatur autem, ne ſtatim capta civitate, ſolus deſtitueretur, qui totam in nocte ac fuga vitæ ſpem collocaſſet. Verum profecto Dei nutu in excidium Hieroſolymorum Joannem ſalvum eſſe cupientis, factum eſt, ut non ſolum induciarum cauſationem Titus admitteret, verumetiam in ſuperiori parte oppidi caſtra poneret, ad Cydœſſam, qui mediterraneus eſt Tyriorum vicus validiſſimus, Galilæis ſemper exoſus. Nocte autem Joannes, cum nullas Romanorum excu-

A. M. 4032. P. C. N. 70.

Joannis ad Titi exhortationem reſponſio.

Dei nutu in excidiu Hieroſolymorum Joannes ſalvus manet.

A. M. 4032. P.C.N. 70. bias circa oppidum videret, arrepta occasione, non solum his, quos circa se habebat armatos, sed etiam senioribus plurimis cum familiis abductis, in Hierosolymam fugiebat. Sed usque ad vigesimum quidem stadium fieri posse videbatur, ut mulieres ac pueros, aliamque multitudinem secum duceret, homo quem captivitatis, itemque salutis metus urgeret: ultra vero procedente eo, relinquebatur, & oriebatur atrox remanentium fletus: quanto enim quisque longius a suis aberat, tanto propiorem se *hostibus esse* credebat. Jamque affore, qui se caperent existimantes, necessario pavitabant: & ad strepitum, quem ipsorum cursus faciebat, assidue respectabant, velut instantibus quos fugissent: multique simul ruebant, & circa viam plurimos certamen præcedentium conterebat. Miserabile autem fœminarum & infantium erat exitium. Aut si quam jactarent vocem, nonnullæ viros aut propinquos, ut se operirentur, orabant. Sed Joannis exhortatio superabat, ut seipsos servarent inclamantis: eoque confugerent, unde pro remanentibus etiam si raperentur, pœnas a Romanis peterent. Multitudo quidem eorum qui fugerant, ut cuique virium fuit, cito dispersa est. Luce vero facta Titus ad muros aderat, fœderis causa: populus autem portis ei patefactis, cum conjugibus occurrentes, tanquam bene merito, & qui custodia civitatem liberasset, acclamabant: simulque Joannis fugam significantes, ut & sibi parceret obsecrabant, & eos qui ex novarum rerum cupidis reliqui supersessent, ulciscereretur. Ille autem precibus populi postulatus equitum partem ut Joannem persequeretur, mittit. Sed eum quidem occupare nequivere:

*Judæorum cum Joanne fugientium pavor & timor.*

*Titum Gischalæ cives benigne suscipiunt.*

quod

quod antequam venerant, in Hierosolymam se- A. M.
se receperat: una vero fugientium prope ad 4032.
duo millia perimunt: mulieres ac pueros paulo P. C. N.
minus quam tria millia circumactos reducunt. 70.
Titus autem indigne ferebat, non statim a Joanne pœnas fraudis exactas, irato vero animo satis esse quod spe deciderat ad solatium putans, captivorum & qui trucidati fuerant multitudinem, in oppidum cum favore ingreditur: jussisque militibus minimam muri partem jure possessionis abrumpere, minitando magis quam puniendo reprimebat perturbatæ civitatis autores. Multos enim propter odia domestica, vel proprias inimicitias, delatores innocentiæ fore credebat, si dignos pœna discerneret: meliusque noxium relinquere metu suspensum, quam immeritum quenquam cum eo perdere, existimabat. Illum enim fortassis modestiorem futurum, vel metu supplicii, vel quod erubesceret præteritorum criminum venia: sine causa vero morientium pœnas, nullo modo corrigi posse. Præsidiis tamen civitatem circumdedit, quæ tam novarum rerum studiosos compescerent, quam pro pace sentientes quos ibi relicturus erat, majore fiducia firmarent. Galilæa quidem tota, postquam multo sudore Romanos exercuit, hoc modo subacta est.

Benignitatis erga hostes exemplum.

Noxium relinquere metu suspensum, quam immeritum quendam cum eo perdere, præstat.

## CAPUT V.

*Hierosolymitani excidii initium.*

APud Hierosolymam vero, ad Joannis introitum, omnis populus erat effusus, & circa singulos qui una confugerant, numerosa turba collecti, quas foris clades experti essent, per-

A. M. 4032. P.C.N. 70. percontabantur. Illorum autem fervens quidem adhuc atque interruptus anhelitus, neceſſitatem ſignificabat. Verumtamen in malis quoque ſibi arrogabant: non Romanorum vim fuiſſe dicentes, ſed ſponte veniſſe, ut cum his ex tutiori loco pugnarent. Inconſultorum enim atque inutilium eſſe hominum, incaute pro Giſcalis & invalidis oppidulis periclitari, cum arma vigoremque oporteat pro metropoli ſuſcipere, atque ſervare: ſignificando tamen excidium Giſcalorum, etiam quam dicebant honeſtam diſceſſionem ſuam, ut multi fugam eſſe intelligerent, prodiderunt. Auditis autem quæ captivi pertulere, non mediocris populum perturbatio tenuit, magnumque id eſſe argumentum proprii reputabant excidii. At Joannes eorum quidem quos fugientes reliquerat cauſa minus erubeſcebat: ſingulos autem circuiens, ſpe ad bellum incitabat, infirmitatem Romanorum aſſerens, propriasque vires extollens, & imperitorum ea cavillatione inſcitiam decipiens, quod etiamſi pennas ſumerent, nunquam Hieroſolymorum mœnia transgrederentur Romani, qui pro Galilæorum vicis tanta mala pertuliſſent, atque in eorum muris machinas contriviſſent. His ejus dictis magna quidem corrumpebatur juvenum manus: prudentiorum autem atque ſeniorum nemo erat, qui non futura proſpiciens, velut jam perditam civitatem lugeret. Et populus quidem in ea confuſione tunc erat. At vero per territorium manus agreſtium, ante ſeditionem quæ Hieroſolymis orta eſt, diſcordare jam cœperat. Titus enim a Giſcala Cæſaream, Veſpaſianus autem a Cæſarea Jamniam & Azotum profectus, utramque ſubegit: impoſi-

Joannis & cum eo fugientium audacia, Judæos ad bellum contra Romanos concitat.

Inteſtina diſſidia & ſeditiones in Judæa.

tis-

tisque illic præſidiis, revertebatur, maximam ducens eorum multitudinem, qui ſe fœdere ſociaverant. Singulas autem civitates tumultus bellumque inteſtinum exagitabat, quantumque a Romanis reſpiraſſent, in ſemetipſos manus vertebant: cum inter amatores belli, ac pacis cupidos eſſet ſæva contentio: dudumque diſcordium pertinacia primo inter domos accenderetur: deinde inter ſe amiciſſimi populi diſſiderent: & ad ſimilia volentes quisque conveniens, aperte jam coacta multitudine rebellaret. Itaque diſſenſiones quidem apud omnes erant: novitatis autem armorumque cupientes ſenibus ac ſobriis juventute atque audacia præſtabant. Primo autem indigenarum ſinguli prædari cœperunt: deinde ex compoſito confertis cuneis, per territorium latrocinabantur: ut quod ad crudelitatem atque injuſtitiam ſpectat, nihil a Romanis gentiles abeſſent: atque ipſis qui vaſtabantur, illatum a Romanis excidium levius videretur. Civitatum vero cuſtodes, partim quia defatigari pigeret, partim odio nationis, aut nulli, aut minimo erant male affectis auxilio: donec rapinarum ſocietate undique congregati collegiorum latrocinalium principes, atque in agmen conflati Hieroſolymis irrumpunt: quæ civitas a nullo regebatur: & more patrio gentiles omnes ſine obſervatione recipiebat: tunc præcipue cunctis exiſtimantibus, univerſos, qui ſuperinfluerent, adjumento ex benevolentia venire. Quæ quidem res etiam ſine diſſenſione civitatem poſtea peſſumdedit, eo quod iners & inutilis multitudo, quæ pugnacibus ſufficere poſſent, alimenta conſumpſit: hisque præter bellum etiam ſeditionem famemque comparavit: alii-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Judæi in ſemetipſos manus vertunt.

Latrones in agmen conflati Hieroſolymis irrumpunt.

A. M. 4032. P.C.N. 70. que latrones ex agris transgressi, ac multo fœvioribus, quos intus invenere, sociati, nullum atrox facinus intermittebant. Nec enim rapinis & expoliationibus metiebantur audaciam, sed usque ad cædes ruebant: non clam, neque per noctem, aut quoslibet homines, verum luce palam nobilissimos quosque adoriendo. Nam primum Antipam Regii generis virum, & adeo potentissimum civium, ut etiam publicos thesauros fidei suæ permissos haberet, comprehensum custodiæ tradiderunt: post hunc etiam Læviam quendam, insignem virum, & Sopham filium Raguelis, regalis similiter utrumque familiæ, omnesque præterea, qui præstare aliis videbantur. Gravis autem metus populum possidebat: & velut capta civitate, salutem propriam quisque curabat. Illi autem clausorum vinculis non fuere contenti, neque tutum arbitrabantur ea potentia viros diutius custodire: nam & ipsos, & domos eorum non paucis viris frequentari, ac per hoc ad ulciscendum esse idoneos, & præterea rebellaturum fortasse populum iniquitate commotum. Decreto igitur eos occidi, mittunt quendam de suo numero Joannem, ad cædes promptissimum, qui lingua patria Dorcadis filius dicebatur: eumque alii decem armati gladiis secuti ad carcerem, ibi quos reperissent interficiunt. Fingebant autem hujus immanissimi sceleris causam, cum Romanis eos de traditione civitatis collocutos fuisse, communisque libertatis proditores interemisse dicebant, prorsus, ut audacia sua tanquam servatores civitatis, ac bene de ea meriti gloriarentur. Evenit autem populum quidem ad hoc humilitatis ac formidinis, illos vero insolentiæ progredi,

Rapinæ & expoliationes luce palam commissæ.

Civitatis proceres a latronibus capti & trucidati.

di, ut in eorum eſſet arbitrio etiam pontificum deſignatio: denique familiis abrogatis, unde per ſucceſſionem pontifices creabantur, incognitos atque ignobiles conſtituebant, ut impiorum facinorum ſocios haberent: nam qui ſupra meritum ſummos honores adepti erant, his obediebant neceſſario, qui ſibi eos præſtiterant: quoniam & dignitate præditos, variis machinis fictisque ſermonibus committebant, opportunitatem ſibi ex eorum, qui ſe prohibere poterant, contentione captantes: donec hominum perſecutione ſatiati, in divinitatem contumelias transtulerunt, pedibusque pollutis in ſanctum locum introire cœperunt. Jam vero populo contra eos concitato (namque autor erat Ananus, ævo maximus pontificum, itemque ſapientiſſimus: & qui fortaſſis civitatem conſervaſſet, ſi inſidiatorum manus potuiſſet effugere) illi templum Dei adverſus populi turbam, caſtellum ac profugium ſibi fecere, quod pro domicilio habebant tyrannidis. Acerbis autem malis admiſcebatur etiam cavillatio, quæ præ cæteris eorum factis erat dolori: tentando enim quanto metu populus teneretur, ſuasque vires explorando, ſorte pontifices creare conati ſunt, cum his (ut diximus) ex familiis ſucceſſio deberetur: huic autem fraudi mos antiquus obtendebatur: nam & olim ſorte pontificatum deferri ſolitum fuiſſe dicebant, re autem vera, legis erat abrogatio firmioris, per eos, qui ad potentiam ſibi deſignandorum magiſtratuum licentiam compararent. Itaque una ſacratarum tribuum accita quæ Eniachin appellatur, pontificem ſortiebantur: caſuque ſors exit homini, per quem ma-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Latrones pro arbitrio pontifices deſignant.

Pontificis electio contrarium uſitatum ab latronibus facta.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

maxime eorum iniquitas demonſtrata eſt, Phani cuidam, filio Samuelis, ex vico Aphthaſi, non ſolum non ex pontificibus orto, ſed aperte, quid eſſet pontificatus, propter ruſticitatem penitus neſcienti. Denique invitum eum rure abſtractum, ut in ſcena fieri ſolet, aliena ornavere perſona: indutumque ſacra veſte, quid facere deberet, ſubito inſtituebant: ludumque & jocum eſſe tantum nefas arbitrabantur: cæteri vero ſacerdotes, procul ſpectantes ludibrio legem haberi, lacrymas vix tenebant, honoresque ſacrorum ſolvi graviter ingemebant. Populus autem hanc eorum audaciam non tulit, ſed omnes quaſi ad deponendam tyrannidem animos intenderant: nam qui præſtare cæteris videbantur, Gorion Joſephi filius, & Simeon Gamalielis, tam ſingulos circumeuntes, quam ſimul univerſos in concionibus hortabantur: quo tandem aliquando libertatis corruptores ultum irent, ſanctumque locum ab hominibus ſceleratis purgare properarent. Pontifices etiam probatiſſimi, Gamala quidem filius Jeſu, Anani autem Ananus, populum frequenter in cœtibus, exprobrando ejus ſegnitiem, contra Zelotas excitaverunt: ita enim ſe ipſi vocabant, uti bonarum profeſſionum æmuli, ac non qui peſſimam facinorum immanitatem ſuperaſſent. Itaque in concionem populo congregato, cunctisque indignantibus occupationes ſanctorum, itemque rapinas & cædes, nondum autem promptis ad ulciſcendum, propterea quod inexpugnabiles (id enim verum erat) Zelotæ putabantur, ſtans inter eos medius Ananus, & ad legem crebro reſpectans, cum lacrymis oppleſſet oculos: Equidem, inquit, mori potius deberem, quam Dei domicilium

Phanes ruſticus quidam Pontifex declaratur.

Præſtantiores cæteris populum ad ultionem hortantur.

Zelotæ peſſimam facinorum immanitatem ſuperant.

Anani contra Zelotas ardens oratio.

ſium videre tantis refertum piaculis: atque in- A. M.
acceſſa & ſancta loca ſceleratorum pedibus fre- 4032.
quentari: verumtamen ſacerdotali veſte ami- P.C. N.
ctus, & ſanctiſſimum venerabilium nominum 70.
ferens, vivo: atque animæ amore teneor, nec
pro ſenectute quidem mea mortem ſuſtinens
glorioſam. Igitur ſolus ibo, & tanquam in ſo-
litudine animam meam ſolam dabo pro Deo:
nam quid opus eſt vivere in populo, clades ſuas
minime ſentiente, & apud quos mala præſentia
nemo prohibet? ſiquidem ſpoliati patimini, ac
verberati reticetis, & ne gemitu quidem aperto
quisquam proſequitur interemptos. O acer-
bam dominationem. Quid de tyrannis querar? Ananus
Nunquid non a vobis veſtra potentia nutriti Judæis ti-
ſunt? nunquid non deſpectis qui primi erant, morem
cum adhuc pauci eſſent, vos dum tacetis, plu- exprobrat.
res eos feciſtis? atque illis armatis quieſcentes,
in vosmetipſos arma vertiſtis? cum primos eo-
rum conatus oportuiſſet infringi, quando co-
gnatos conviciis appetebant. Vos autem ne-
gligendo, ad deprædationem noxios irritaſtis,
quia vaſtatarum ædium nulla ratio erat. Ita-
que jam domini ipſi rapiebantur, eisque cum
per mediam civitatem traherentur, nemo erat
auxilio. Illi autem a vobis proditos, etiam vin- Latronum
culis affecere: non dico quales & quantos, ſed immanitas.
quod non accuſatos, indemnatos vinctos nemo
adivit: reſtabat eosdem videre trucidari: hoc
etiam vidimus: velut é grege brutorum anima-
lium cum præcipua quæque duceretur hoſtia,
ne vocem quidem quisquam emiſit, nedum
dexteram movit. Patiemini ergo patiemini,
etiam ſancta conculcari videntes. Cumque om-
nes audaciæ gradus nefariis hominibus ſubjece-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

ritis, eorum præstantiam reveremini? nunc enim profecto ad majora procederent, si quid majus quod everterent inveniretur. Tenetur quidem munitissimus civitatis locus, fanum appellatione, re arx quædam sive castellum. Tanta igitur contra vos tyrannide munita, & inimicis super verticem positis, ut videtis, quid cogitatis? aut quibus vestras sententias applicatis? An Romanos expectatis, ut sanctis vestris opitulentur? Ita quidem se nostræ civitatis habent res, eoque jam calamitatis ventum est, ut misereatur nostri etiam hostis. Non exurgetis o miseri respectisque vulneribus vestris, quod etiam feras bestias facere videmus, non ultum ibitis in hos, qui vos percussere? Non suas quisque recordabitur clades, & ante oculos positis quæ pertulerit, ad ultionem animos acuet? Periit apud vos (nisi fallor) affectionum omnium carissima, & maxime naturalis, cupiditas libertatis: servitutis autem ac dominorum amantes facti sumus, tanquam subjugari a majoribus didicerimus. Atque illi quidem multa & maxima bella, ut in libertate viverent, pertulerunt, ne aut Ægyptiorum aut Medorum potentiæ cederent, dummodo ne facerent quæ juberentur. Et quid opus est de majoribus loqui? Hoc ipsum bellum, quod cum Romanis nunc gerimus, utrum commode an contra incommode referam, palam quid habet causæ nisi libertatem? Ergo qui dominis totius orbis servire non patimur, gentiles nostros ferimus tyrannos? Quanquam externis obedientes, ad fortunam semel id referunt, cujus injuria victi sunt: at vero pessimis suorum cedere, ignavorum est, & cupientium serviendi. Ad hæc autem

Fanum arx quædam sive castellum.

Bella libertatem causam habent.

tem, quia Romanorum mentio facta est, non vos celabo, quid dum loquor intervenerit, mentemque retraxerit: quod etiam si ab his capti fuerimus (absit autem hujus dicti periculum) nihil acerbius experiemur, quam isti nos afficere. Quo pacto autem non lachrymis dignum sit, illorum quidem in templo donaria cernere, gentilium vero spolia, qui nobilitatem hujus maxime omnium civitatis compilaverunt: eosque viros trucidatos videri: quibus etiam illi post victoriam obtemperassent? Et Romanos quidem nunquam transgredi ausos esse limitem profanorum, aut sacratæ quicquam consuetudinis præterire: sanctorum autem ambitum, quamvis procul aspectum perhorrescere: quosdam vero in his locis natos, ac sub nostris moribus educatos, & qui Judæi vocentur, inter media sancta deambulare, manibus adhuc suis gentili cæde calentibus? Quis igitur externum bellum metuat, ex comparatione domestici? Multo nobis æquior est hostis: nam si proprie rebus sunt aptanda vocabula, fortasse reperietur, legum quidem conservatores nobis fuisse Romanos, hostes vero intus haberi. Verum hos insidiatores libertatis exitio deberi, neque facinorum eorum dignum excogitari posse supplicium, certum est: idemque omnibus vobis, & ante orationem esse persuasum, atque ipsis vos rebus quas pertulistis, in eos esse commotos: plerique autem fortasse multitudinem eorum, atque audaciam reformidant: & præterea quod in loco superiore consistunt. Sed hæc ut vestra negligentia conflata sunt, ita nunc magis proficient, si morabimur: nam & numerus illorum in dies singulos alitur, eo quod nequissimus

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Comparatio Romanorum & Judæorum ac virisque partis proprietas

Depulsio contrariæ sententiæ de hostili audacia & numero.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

mus quisque ad similes profugiat: & audaciam plus accendit, quod nullum adhuc ejus impedimentum intervenit: locoque superiore utentur, & quidem cum apparatu, si his tempus demus. Quod si adversus eos ire cœperimus, humiliores erunt, mihi credite, conscientia: & celsioris loci beneficium, reputatio scelerum perdet. Fortasse autem Dei pariter spreta majestas, in ipsos tela retorserit, suisque missilibus consumentur impii. Videant nos tantummodo, & dejecti sunt: quamquam pulchrum est, ut etiam, si quod periculum immineat, pro sacris januis moriamur: ac si non liberis & conjugibus, pro Deo tamen ejusque sanctis animas profundamus. Præbebo autem manum, atque sententiam: & neque consilium vobis ullum deerit ad cautionem, neque me corpori meo parcere videbitis. His Ananus contra Zelotas populum hortabatur: non quidem nesciens jam expugnari vix posse propter multitudinem ac juventutem animorumque pertinaciam, multoque magis propter conscientiam commissorum: nec enim concessum iri veniam his, quæ perpetraverant, sperabant: verumtamen quidvis perpeti præstabilius existimabat, quam in tanta rerum perturbatione Rempublicam negligere. Populus autem duci se clamabat in eos, contra quos rogabatur: & ad subeunda pericula quisque promptus erat. Sed dum Ananus magis idoneos discerneret, atque ordinaret ad prælium, Zelotæ cunctis conatibus ejus cognitis (certos enim qui omnia sibi nuntiarent habebant) in Pontificem commoventur: ac modo per cuneos modo simul universi prosiliunt: neque obvio cuiquam parcebatur. Cito autem & Ananus po-

Epilogus orationis Anani ad populum.

Ananus milites suos contra Zelotas ordinat.

pu-

pulum congregavit, multitudine quidem ſuperiorem: armis vero conſtipatis, non erant Zelotæ inferiores, alacritas vero, quod deerat, in utrisque ſupplebat: nam & cives armis iram conceperant fortiorem; & qui de templo exierant, quavis multitudine majorem audaciam: quippe illi quidem habitare ſe in civitate minime poſſe arbitrabantur, niſi Zelotas eximerent: hi vero niſi viciſſent, nullum ſe non ſubituros eſſe ſupplicium. Manus autem conſeruere pro ducibus obedientes motibus animorum. Et primo quidem in civitate ac pro templo eminus miſſis lapidibus ſemet invicem appetebant: ſi vero aliqua pars terga vertiſſet, victores gladiis utebantur: cumque plurimi ſauciarentur, multæ cædes utrobique fiebant. Et populares quidem in domos referebantur a ſuis: Zelotarum autem quicunque vulneratus fuiſſet, in templum aſcendebat, ſacram humum cruore perfundens: ut ſolo eorum ſanguine violatam religionem recte quis dixerit. Semper quidem latrones excurrendo in congreſſionibus prævalebant. Irati vero populares, proficiente quotidie numero ſuo, cum deſides increparent, quique a tergo ſequebantur, non aperiendo fugientibus viam, invitos eos repugnare compellerent, univerſos quidem ſuos in hoſtes convertunt: illis autem, quia vim ferre non poterant, paulatim ad templum recedentibus, irrumpit una cum ſociis Ananus. Unde factum eſt, ut eos quod ambitu exteriori expulſi eſſent, metus invaderet: ideoque in murum interiorem fuga recepti, mature januas occluderent. Verum Anano portis quidem ſacris manus afferre non placebat, hoſtibus quoque deſuper tela torquentibus, ne-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Pugna civium & Zelotarum in templo Hieroſolymitano.

Civium numerus contra Zelotas quotidie augetur.

Zelotas cives in murum interiorem templi adigunt.

A. M. 4032. P. C. N. 70. fas esse existimanti, etiam si vicisset, non lustratum prius populum introducere. Ex omni autem suorum multitudine sex fere armatorum millia sortitus, custodes eos in porticibus collocat: his autem qui succederent, in excubiis alios per ordinem ponit. Multi autem honestorum ab optimatibus ad id electi, mercede conductos pauperes vice sua præsidiis destinabant. Fit autem his omnibus exitii causa Joannes, quem ex Giscalis effugisse prædiximus: is enim dolis plenus, & vehementem dominationis cupiditatem *mente* circumferens, jamdudum rebus communibus moliebatur insidias. Itaque tunc eadem, quæ populus, sentire se simulans, aderat Anano, tam diebus cum proceribus capienti consilium, quam noctibus peragranti custodias: omniaque secreta Zelotis renuntiabat: nullumque populi consilium non, prius quam caperetur, inimici sciebant ejus indicio: immoderatis vero & Ananum, & populi principes placabat obsequiis, ne in aliquam suspicionem veniret affectans. Sed hæc ejus honorificentia in contrarium vertebatur. Erat enim ex adulationum varietate suspectior: eoque ipso quod etiam non accitus assiduus erat, arcanorum proditor habebatur. Etenim perspiciebat Ananus, omnia sua consilia hostes intelligere: & quæ Joannes faceret, suspicionem proditionis habebant: submovere autem illum non erat facile, neque possibile, quod malitia prævaleret: ac præter hoc multorum non ignobilium, qui summis rebus adhibebantur, patrocinio succinctus erat. Visum est igitur ab eo Sacramentum benevolentiæ causa peti: nihilque dubitans, & fidem populo se servaturum juravit, neque factum ejus inimicis ullum, ne-

Joannes dolis plenus ac civium proditor.

Joannes fidem se populo servaturum jurat.

que consilium prodituram: unaque deponendis rebellibus, & manu & voluntate operam collaturum. Itaque Ananus ejusque socii, quoniam jurato crediderunt, nulla jam suspicione suis eum consiliis adhibebant: moxque ab iisdem concordiæ causa legatus intromittitur ad Zelotas: curæ namque habebant, ne fanum culpa sua pollueretur, neve quisquam in eo procumberet Judæorum. Ille autem, quasi Zelotis, ac non contra a benevolentia juravisset, ingressus ad eos, medius constitit: & sæpe dum se illorum causa in magno periculo fuisse dixit, ne quid secretorum ignorarent, quæ in eos Ananus cum sociis cogitasset: nunc autem ingens cum ipsis omnibus subiturum esse discrimen, nisi divinum quoddam præsto fuerit auxilium: nihil enim jam morari Ananum: sed persuasisse quidem populo, ad Vespasianum legatos mittere, ut ad capiendam civitatem quamprimum venire properaret, indixisse autem lustrationem postero die, ut religione simulata intromissi, vel etiam vi prælio manus conserrent. Se autem non videre, quam diu aut obsidionem sustinebunt, aut cum tanta manu acie congredientur. Ad hæc addebat, quod ipse Dei providentia transactionis esset causa legatus: hanc enim spem Ananum his proponere, quo nihil suspicantes eos subito aggrederetur. Itaque oportere, si quis habendam vitæ rationem duceret, aut obsidentibus supplicare, aut foris aliquod præsidium petere. Quos autem, si victi essent, veniæ spes foveret, immemores audaciæ suæ credere, simul ac factores pœnituerit admissorum, in gratiam statim eos, qui perpessi sunt, redituros. Sed nocentium quidem sæpe invisam

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Joannes Zelotis contra juramentum secreta revelat.

Joannes Zelotas erga cives irritat.

A. M. 4032. P.C.N. 70. etiam pœnitudinem fieri, læsis autem iram in licentia sæviorem: imminere autem illis ait interfectorum amicos atque cognatos, totumque populum pro dissolutis legibus ac judiciis indignatione flagrantem: ubi etiam si qua pars misericordiæ fuerit, majori eam irascentium turbæ cessuram. Talia quidem variabat Joannes, terrorem incutiens multitudini: externum vero auxilium aperte quidem indicare, quod diceret, non audebat: Idumæos autem significabat: utque principes Zelotarum privatim etiam commoveret, crudelitatis Ananum arguebat, ipsis eum maxime minitari confirmans.

## CAPUT VI.

*Idumæorum adventus pro Hierosolymitanis & acta.*

Eleazarus Zelotis Idumæos advocari suadet.

ERant autem Eleazarus Simonis filius, qui etiam præter alios idoneus esse videbatur & recte consulere, & quæ consuluissent efficere; itemque Zacharias filius Amphicali, uterque a sacerdotibus genus ducens. Hi præter communes, etiam privatis interminationibus cognitis, quodque Anani factio potentiæ sibi comparandæ causa Romanos accerseret (nam & hoc Joannes affinxerat) diu quidem quid agerent dubitabant, angustiis temporis concluſi: populum enim haud multo post eos aggredi paratum esse cogitabant: externi vero subsidii facultatem, insidiarum sibi celeritate præreptam: priusque fore ut omnia paterentur, quam auxiliarium quisquam ista cognosceret: advocari tamen Idumæos placuit: scriptaque breviter epistola, quod circumvento populo Ananus vellet Romanis metropolim prodere: ipsi autem pro liber-

Zelotæ ab Idumæis suppetias petunt.

bertate diſſidentes, in templo obſiderentur, minimumque temporis ſalutem ſibi promitteret: ac niſi mature ſubvenirent, ipſos quidem Anano atque inimicis, at vero civitatem Romanis illico ſubjugandam: pleraque nunciis ad rectores Idumæorum referenda mandant. Ad hoc autem lecti ſunt duo viri ſtrenui, & dicendi peritiſſimi, & ad perſuadendum ſatis idonei: quodque his rebus eſſet utilius, pedum velocitate præſtantes: nam Idumæos confeſtim parituros certum erat, quod turbarum cupiens & incondita eſſet natio: ſemperque ad motus facilis atque ſuſpenſa, & rerum mutationibus læta, minimisque petentium blanditiis ad bella promptiſſima: & velut ad feſtorum quandam ſolennitatem, ſic ad prælia properans: celeritatem autem nuncii exigebant, atque iſtis nihil deerat alacritatis: uterque autem Ananias vocabatur. Jamque apud rectores aderant Idumæorum. Illi autem ſimul epiſtola mandatisque attoniti, quaſi furibundi circumcurſare gentem, militiamque denunciare cœperunt. Itaque mox & dicto citius multitudo convenerat, omnesque pro libertate metropoleos arma rapiebant. Congregati autem prope ad XXM. cum ducibus quatuor Hieroſolymam veniunt: hoc eſt Joanne & Jacobo Soſæ filiis, & præterea Simone Cathlæ, & Phinea Cluſoth filiis. Ananum autem profectio legatorum, itemque vigiles ejus latuit, ſed non etiam impetus Judæorum: hoc enim ante cognito, portas eis clauſit, & muris cuſtodes appoſuit: non tamen viſum eſt bello cum his congredi, ſed verbis eis ante perſuadere concordiam. Stans ergo in adverſa turri Jeſus, poſt Ananum ævo Pontificum maximus: Cum mul-

A. M. 4032. P. C. N. 70.

Idumæorum natura & mores.

Idumæorum viginti millia Hieroſolymam veniunt.

Oratio & exhortatio Jeſu ad Idumæos.

A. M. 4032. P.C.N. 70. tæ, inquit, & variæ turbæ tenuerint civitatem, in nulla re ſic miranda fortuna eſt, ut in eo, quod peſſimis etiam inopinata conſpirant: etenim perditiſſimis hominibus contra nos auxilio veniſtis tanta cum alacritate, quanta nec in Barbaros advocante vos metropoli venire decuiſſet. Et ſi quidem viderem conſenſionem veſtram ſimilem eſſe horum hominum, qui vos rogaverunt, non exiſtimarem impetum carere ratione, nihil enim æque ac morum cognatio concordiam firmat. Nunc vero illi quidem, *ſi quis* eorum ſingulos exploraverit, mille mortibus digni reperientur: nam ludibria & purgamenta totius ruſticæ plebis, luxu abſumptis patrimoniis ſuis, poſtquam in vicis & civitatibus proximis audaciam exercuere, poſtremo in ſacram civitatem clam influxere ut latrones, ſolumque religioſum immanitate polluerunt ſcelerum: eosque videas ſine metu inter ſancta ebrios, & aviditate ventris peremptorum ſpolia conſumentes: veſtra vero multitudo armatorumque talis ornatus eſt, qualem deceret eſſe, ſi publico vos conſilio metropolis invitaret, ad alienigenas laturos auxilia: quid igitur hoc eſſe quis dixerit, niſi fortunæ injuriam: cum pro nequiſſimis conveniſſe & integræ nationis veſtræ arma videantur conſpirare? Jamdudum quidem reperire nequeo, quid nam fuerit, quod vos tam cito commoverit: nec enim ſine magna cauſa fieri potuiſſet, ut arma pro latronibus adverſus cognatum populum caperetis: quid? Romanos audiſtis & proditionem? his enim quidam veſtrum obſtrepebant nunc, liberandæ metropoleos cauſa veniſſe dicentes: unde mirati ſumus præter alia, noxiorum tale commentum: viros

enim

enim natura libertatis amatores, eoque cum externis hoſtibus pugnare paratiſſimos, aliter contra nos efferare non poterant, quam vaſtatæ libertatis proditione mentita. Sed enim vos conſiderare oportet, qui nos inſimulaverint: fidemque in nos veritatis ex rebus communibus, non ex fiſto ſermone colligere. Quid enim paſſi, nunc demum nos dedimus Romanis, cum ab initio licuerit aut ab his non deficere, aut quia deficimus, cito redire in gratiam, priusquam circa nos omnia vaſtarentur? namque jam, ne volentibus quidem nobis, transactio facilis eſt: cum & ſuperbos eos effecerit Galilæa ſub jugum miſſa: morteque graviorem afferat turpitudinem, appropinquantes placare. Equidem quod in me eſt, pacem morti antepono: ſemel autem bello appetitus, poſtquam pugna commiſſa eſt, glorioſam mortem vita captivi exiſtimo potiorem. Sed utrum nos populi principes ajunt clam miſiſſe aliquem ad Romanos, an etiam totum populum communi ſuffragio? Siquidem nobis dicant, quos amicos miſerimus, qui ſervi fuerint proditionis miniſtri. Cum iret aliquis deprehenſus eſt, rediens captus eſt, literas nacti ſunt? Quemadmodum autem tantam civium multitudinem lateremus, cum quibus omni hora verſaremur? Paucis autem, atque his incluſis, qui de templo ne in civitatem quidem prodire poſſent, quo pacto ſunt cognita, quæ occulte extra civitatem fierent? An vero nunc cognovere, quando auſorum pœnæ reddendæ ſunt? donec autem ſine metu fuere, neminem noſtrum proditorem ſuſpicabantur? Sin ad populum cauſam referunt, publicum habuit nempe concilium, nemo aberat concioni: ideoque ma-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Depulſio commenti Zelotarum de opprimenda libertate & civitate prodenda.

Pax morti præſtat: cæteris tamen paribus.

A. M. 4032. P.C.N. 70. manifeſtior ad vos nuncius fama citius properaſſet. Quid autem opus erat legatos mittere, cum certa nobis eſſet de transactione ſententia? Et quis deſignatus ſit? dicant. Sed hæ quidem male perituroru̇m, & inſtantes pœnas evitare cupientium cauſationes ſunt. Quin etiam ſi civitatem prodi in fatis eſſet, id quoque ipſos, qui nos criminantur, auſuros opinor: quorum audaciæ unum malum videtur deeſſe proditio.

Jeſus Idumæos ut in civitate contra Zelotas auxilium ferant horatur.

Vos autem oportet, quia ſemel cum armis adeſtis, primum (id quod eſt juſtiſſimum) *adjuvare* metropolim, & una nobiſcum tyrannos eximere, per quos judicia diſſoluta ſunt; qui calcatis legibus jura ſuis gladiis permiſere; denique nobiles viros non incuſatos, ex medio raptos foro, primum vinculis cruciarunt; deinde non voce neque prece eorum morati, neci tradiderunt. Licet autem vobis non belli lege ingreſſis, horum videre argumentum, quæ dixi, deſolatas domos rapinis, conjuges in veſte lugubri ac familias peremptorum, & per totam civitatem ululatus & fletus, nullus enim non perſecutionem expertus eſt impiorum. Qui ad hoc inſaniæ prorupere, ut latrocinalem audaciam non ſolum ex agris atque alienis civitatibus in hanc, quæ & caput & facies gentis eſt, ſed in Fanum etiam ex civitate transferrent. Denique hoc ſibi & ad excurſus & ad perfugium elegerunt, isque fiſcus illis eſt eorum, quæ in nos comparantur: & locus toti orbi terræ venerabilis, quique ab univerſis alienigenis, ab extremo limite mundi venientibus, honoratur, per hæc, quæ apud nos nata ſunt, portenta conculcatur. Exultant autem rebus deſperatis, populos

Zelotæ templum ad excurſus & ad perfugium elegerunt.

los committi populis, & civitatibus civitates, gentesque in ſua viſcera delectum habere: cum debueritis (ut dixi) quod factu eſſet optimum ac deceret, nobiſcum nocentes eximere: atque hanc ipſam fallaciam ultum ire, quod auxilio vos advocare auſi ſunt, quos metuere vindices debuiſſent. Quod ſi ejusmodi hominum preces reverendas putatis, attamen licet vobis, armis depoſitis, cognatorum habitu introire civitatem: medioque inter hoſtes atque auxiliares ſuſcepto nomine, de noſtris diſcordiis judicare: quamquam reputate, quid habebunt commodi, cum de manifeſtis ac tantis criminibus apud vos cauſam dicturi ſunt, qui hominibus non accuſatis, ne verbum quidem facere permiſere. Ferant igitur hanc ex veſtro adventu gratiam. Si vero neque nobiſcum indignari, neque judicare vultis, tertium reſtat, ut relictis utrisque partibus, nec noſtris cladibus inſultetis, nec cum inſidiatoribus metropoleos maneatis. Nam etſi maxime quemquam noſtrum ſuſpicamini Romanis collocutum, obſervare vobis itinera licet: tumque demum tueri metropolim, cum factum aliquid hujusmodi patuerit, quale delatum eſt, & in autores ejus, ſi convicti fuerint, vindicare. Non enim vos præveniunt hoſtes, juxta civitatem ſedibus poſitis. Sin horum nihil vobis gratum aut mediocre videtur, ne portarum clauſtra miremini, quatenus arma portabitis. Hæc quidem Jeſus loquebatur. Idumæorum autem multitudo nequaquam animum advertebat, ardens iracundia, quod non paratum habuiſſet introitum: proque armis inter ſe duces indignabantur, captivitatem eſſe exiſtimantes, ſi ea quibusdam jubentibus depoſuiſſent. Unus autem du-

A. M. 4032. P. C. N. 70.

Jeſus Idumæos de diſcordiis judicare rogat.

Jeſu ad Idumæos orationis finis.

A. M. 4032. P.C.N. 70. ducum Simon filius Cathlæ, vix placato ſuorum tumultu, ſtans in eo loco unde exaudiri a Pontificibus poſſet, non jam mirari ſe ait, ſi libertatis propugnatores in templo obſiderentur incluſi, cum illi cunctæ genti communem clauſerint civitatem: & Romanos quidem fortaſſe, coronatis etiam portis recipere ſint parati, Idumæos autem ex turribus alloquantur, captaque jubeant pro libertate arma projicere: cognatisque non credentes cuſtodiam civitatis, judices eos diſcordiarum fieri velint: & alios accuſando quod indemnatos cives occiderint, ipſi totam damnent ignominia nationem: denique urbem omnibus alienigenis religionis cauſa patentem, nunc domeſticis præcluſiſtis. Valde enim contra vos feſtinabamus, & ad gerendum cum gentilibus bellum: qui ob hoc adeſſe properavimus, ut vos ſervaremus liberos. Nempe taliter vos etiam hi, quos obſidetis, læſere, tamque veriſimiles puto ſuſpiciones in illos quoque colligitis. Deinde qui Reipub. defenſores ſunt intus in cuſtodia tenentes, genere conjunctiſſimis gentibus ſimul univerſis civitatem præcluſam tyrannidem perferre dicitis; cum tam contumelioſis nos jubeatis obtemperare præceptis: nomenque potentiæ aliis, qui vos tyrannos patiuntur, annectitis. Quis cavillationem veſtri ſermonis tulerit, cum rerum repugnantiam videat? Etenim vobis etiam nunc Idumæos excludentibus civitate (namque ipſi nos a patriis ſacris arcetis) recte quis eos incuſaverit, qui cuſtodiuntur in templo, quod cum auſi eſſent plectere proditores, quos viros nobiles & innocentes pro ſocietate facinoris dictitatis, non a vobis inceperint, ſummaque proditionis membra præciderint?

Simonis Idumæorum ducis ad Jeſu orationem reſponſio.

Idumæi, quod Hieroſolymitani clauſerint illis civitatem ægre ferunt.

Idumæorum in Pontifices & cives probra.

Sed

Sed licet illi molliores, quam res poſcebat, inventi ſint, nos tamen domicilium Dei ſervabimus Idumæi, & pro communi patria propugnabimus: tamque foris irruentes, quam intus inſidiantes, hoſtes pariter ulciſcemur. Hic autem manebimus pro muris armati, donec aut vos Romani reſpiciendo liberent, aut ipſi recuperata libertatis cura mutemini. A. M. 4032. P.C.N. 70.

## CAPUT VII.

*De clade Judæorum ab Idumæis facta.*

His dictis Idumæorum quidem multitudo clamore conſenſit: Jeſus autem triſtis receſſit, cum nec Idumæos quicquam ſentire moderatum, & duplici bello oppugnari civitatem videret. Quippe nec Idumæorum tumor & ſpiritus quieſcebat, indigne ferentium contumeliam, quod eſſent civitate prohibiti: & quod Zelotarum vires eſſe firmas crediderant, erubeſcentium, poſtquam nihil eos ſibi auxiliari poſſe viderent, ut jam veniſſe pœniteret. Pudor autem nulla re penitus geſta redeundi, pœnitudinem ſuperabat. Itaque ibidem prope murum temere tabernaculis poſitis, manendum eſſe ſtatuere. Infinita enim hyems nocte illa venit, ventique violenti cum imbribus orti ſunt, & crebra fulgura, horrendaque tonitrua, concuſſæque terræ vaſti mugitus: certumque erat apud omnes, hominum exitio mundi ſtatum eſſe turbatum, neque parvum quid rerum hæc ſigna portendere. Una vero Idumæis & oppidanis erat opinio: illis quidem, iraſci Dei militiæ cauſa, exiſtimantibus: neque ſe poſſe evadere, ſi adverſus metropolim arma moviſſent: Anano

Idumæi prope murum tabernacula ponunt.

Infinita hyems.

A. M. 4032. P.C.N. 70. autem ejusque ſociis, etiam ſine prælio viciſſe: Deumque pro ſe bellum adminiſtrare credentibus. Sed profecto falſi erant interpretes futurorum, & quæ ſui paſſuri eſſent, contra hoſtes fore divinabant. Verum Idumæi quidem catervatim denſatis corporibus invicem ſe fovebant, ſcutisque contextis protecti capita, minus pluvia lædebantur: Zelotæ autem magis illorum, quam ſuo periculo cruciabantur: collectique deliberabant, ſi quam reperire ſubſidii machinam illis poſſent. Horum autem ardentioribus videbatur, vi armorum cuſtodes invadere: atque in civitatem impetu facto palam portas auxiliatoribus aperire, nam & cuſtodes ex improviſo, & quod plures inermes ac belli expertes eſſent, facile turbatum iri, & multitudinem civium difficulter colligi poſſe: quoniam domi quisque propter hyemem contineretur: quin etſi periculum aliquod intervenerit, quidvis ſubire ſatius, quam negligere tot copias ſui cauſa turpiter perituras: at qui prudentiores erant, vim adhiberi diſſuadebant: non enim ſui tantum cauſa cuſtodes ampliari, ſed etiam civitatis murum videbant propter Idumæos diligentius cuſtodiri: & ubique adeſſe Ananum, omnibusque horis inviſere cuſtodias exiſtimabant: ſed hoc aliis noctibus ita habuerat: illa vero, non ſua deſidia requieverat, ſed ut & ipſe & cuſtodum manus fato duce interirent. Namque jam nocte provecta, & gliſcente hyeme, cuſtodes in porticu diſpoſitos opprimit ſomnus. At Zelotis conſilium ſubit, ut ferris templo ſacratis portarum vectes ſecarent: affuit autem illis, ne exaudiretur crepitus, ventorum ſonus, & crebra tonitrua: fanoque egreſſi, ad murum clanculo

Zelotes cuſtodes invadere, atque in civitatem impetu facto palam portas auxiliatoribus aperire conantur.

Cuſtodes in porticu diſpoſitos ſomnus opprimit.

veniunt, ſerratamque portam, quæ verſus Idumæos erat, aperiunt. Illi autem primum Ananum conari aliquid ſuſpicati, unusquisque dexteram ad gladium, quaſi repugnaturi applicant mature: deinde, his qui ad ſe venerant agnitis, introibant. Qui quidem, ſi tunc manus vertere in civitatem voluiſſent, nihil obſtabat quo minus totus populus interiret: tanta ira ferebantur: verum Zelotas primo eximere cuſtodia feſtinabant: illis quoque multum precantibus, qui eos receperant, ne deſpicerent malis obſeſſos, quorum gratia venerant, neque his acerbius periculum importarent: captis enim cuſtodibus, faciliorem illis in civitatem impetum fore: ſed ſi ſemel eos concitaſſent, jam illos contineri non poſſe, quin ſi ſenſerint congregentur, & per aſcenſus nitentibus ſe opponant. Idem igitur Idumæis viſum eſt: jamque in templum per civitatem ſubibant, cum ſuſpenſi Zelotæ adventum eorum præſtolarentur. Denique his ingreſſis, etiam ipſi confidenter ex interiori fano progreſſi ſunt, mixtique Idumæis in cuſtodes irruerunt. Cæſis autem nonnullis, quos ſomnus oppreſſerat, omnis multitudo ad clamorem vigilantium ſuſcitata eſt, raptisque armis ad repugnandum non ſine ſtupore properabant. Ac primum quidem Zelotas ſolos conari aliquid ſuſpicantes, quaſi eos ſuperaturi numero confidebant: ubi vero foris alios circumfundi viderent, Idumæos irrupiſſe ſenſere. Et major quidem pars eorum, animis pariter armisque depoſitis in queſtibus erant: pauci vero juvenum fortiter communiti, occurrendo Idumæis aliquamdiu ſegniorem multitudinem protegebant: alii cladem civitatis habitatoribus nunciabant.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Idumæi noctu Zelotarum opeHierosolymam ingrediuntur.

Idumæi Zelotis in templo ſe conjungunt.

A. M. 4032. P.C.N. 70. Illorum autem auxilio venire nullus audebat, cognito Idumæos irrupiſſe: ſed ipſi quoque irrita vociferantes, cum fletibus reſpondebant: plurimusque mulierum ululatus ſuſcitabatur, ſi quando cuſtodum quisquam in periculum aliquod incidiſſet. Quin & Zelotæ Idumæorum clamorem geminabant, magisque horribiles tempeſtas faciebat omnium voces. Nemini autem Idumæi pepercere, quod natura crudeliſſimi ad cædes erant, & hyeme graviter afficiebantur, proptereaque his qui ſe excluſerant ut inimicis utebantur, tam ſupplicantibus quam repugnantibus infenſi. Multos enim cognationem referentes, utque commune Fanum revererentur orantes, gladiis transfigebant. Nullus autem fugiendi locus, neque ſpes ſalutis erat. Compulſi autem circa ſe, magis quam vi oppreſſi laniabantur, cum recedendi ſpatium non daretur, nec interfectores a cædibus temperarent. Incerti autem quid agerent, in civitatem ſe præcipitabant: miſeri (ut mihi videtur) eo quod fugiebant, crudelius ſubeuntes exitium, donec templum exterius ſanguine redundavit. Octo autem millia & quingentos mortuos dies invenit, Nec tamen his Idumæorum ira ſatiata eſt: ſed verſis in civitatem manibus, omnes domos diripiebant: quemque fortuito inveniſſent, morti dabant. Et cæteræ quidem multitudinis cædem ſupervacuam eſſe ducebant: pontifices autem perveſtigabant, & in illos plerique ferebantur, ſtatimque comprehenſos obtruncabant: ſtantesque ſuper eorum cadavera, nunc Anano populi benevolentiam, nunc Jeſu quæ de muro dixerat, exprobrabant. Ad hoc autem impietatis progreſſi ſunt, ut etiam inſepultos eos abje-

Immanitas Idumæorum & Zelotarum in Hieroſolymitanos.

Ananus & Jeſus pontifices obtruncantur.

ce-

cerint: cum præsertim in Judæis tanta sepultu- A. M.
ræ cura sit, ut etiam judicio cruci suffixos, ad 4032.
occasum solis deponant atque sepeliant. Et qui- P.C.N.
dem non erraverim, si Anani mortem dixero ex- 70
cidii civitatis fuisse principium, & ex illo die mu-
ros eversos, remque publicam Judæorum periis-
se, quo pontificem rectoremque salutis suæ ju- Anani mors excidii civitatis principium.
gulatum in media civitate viderunt. Erat au-
tem & alias vir laudabilis atque justissimus, &
præter nobilitatis ac dignitatis & honoris, quo
erat præditus, amplitudinem, infimis amabat
æquari. Libertatis autem maxime fautor erat,
& is qui populi affectaret imperium. Commo-
dis autem propriis communes semper utilitates
anteponebat, super omnia paci studens. Scie-
bat enim Romanos non posse expugnari: ac pro- Laus Anani Pontificis.
spiciebat, si paciscì utiliter nequissent Judæi,
omnino eos perituros: ut autem breviter dicam,
cum Anano vivo ad transactionem venissent.
Mirus enim erat dicere, mirus populo persuadere
quæ vellet. Jam vero impedientes bellantesque
subegerat. Plurimum autem moræ sub tali du-
ce attulissent Romanis. Huic junctus erat Jesus,
illo quidem comparatione inferior, sed præstans
cæteris: ut putem Deum, qui tanquam viola-
tam civitatem perire flammis, purgarique sancta
vellet, consulto defensores eorum, & qui ea cha-
rissima ducerent, amputasse. Itaque paulo ante
sacris indumentis amictos, & toto orbe celeber-
rimæ religionis autores, quique undique in civi-
tatem commeantibus venerabiles habebantur,
jacere nudos prædam canibus ac feris videres.
Quos quidem viros ipsam puto gemuisse virtu-
tem, tantum licuisse vitiis flentem.

FLA-

# FLAVII JOSEPHI DE BELLO JUDAICO

## LIBER V.

### SUMMA CAPITUM LIBRI V.
De bello Judaico.

1. *De altera ſtrage & reditu Idumæorum, Zelotarumque crudelitate.*
2. *De inteſtina diſcordia Hieroſolymorum.*
3. *De Gadarenſium deditione & ſtrage.*
4. *De captis oppidis quibusdam, deſcriptioque civitatis Hierichuntinæ.*
5. *Lacus Asphaltites.*
6. *Geraſæ devaſtatio ſimul de Neronis morte, Galbæ & Othonis.*
7. *De Simone Geraſeno novæ conſpirationis principe.*
8. *De Galba, Othone, Vitellio & Veſpaſiano.*
9. *De Simonis geſtis contra Zelotas.*
10. *De Veſpaſiano in Imperatorem electo.*
11. *Ægypti deſcriptio & Phari.*
12. *Veſpaſianus Joſephum captivitate liberat.*
13. *De Vitellii morte & moribus.*
14. *Titus mittitur contra Judæos a patre.*

## CAPUT I.

*De altera ſtrage, & reditu Idumæorum, Zelotarumque crudelitate.*

A. M. 4032. P. C. N. 70

Zelotarum & Idumæorum crudelitas.

ANano quidem & Jeſu ejusmodi finis evenit. Poſt illos vero tam Zelotæ quam Idumæi paſſim plebem, quaſi nefandorum animalium gregem, irruendo mactabant. Et vulgus quidem in quolibet loco deprehenſum ne-

ca-

cabatur: correptos autem nobiles & adoleſcentes, vinctos in carcerem concludebant, ſpe, nonnullos eorum ſibi poſſe ſociari nece dilata. Verum hæc nullum movebant, ſed cuncti mortem præoptaverant, dummodo ne adverſus patriam communem nequiſſime conſpirarent: ſæviſſima tamen ante cædem verbera ſuſtinebant, exulcerati plagis atque tormentis: cumque jam corpus non ſufficeret cruciatibus, tandem gladium merebantur: quos autem die cepiſſent, eos in cuſtodiam nocte ducebant: extractosque inde, ſi quos mori contigiſſet, abjiciebant, ut vinctis aliis locus eſſet. Tantus autem populum pavor occupaverat atque formido, ut ne flere quidem palam quisquam, ſive ſepelire proprium funus auderet: ſed erant occultæ clauſorum etiam lachrymæ, & ne quis inimicorum audiret, circumſpectantes gemebant: paria namque his qui lugebantur, etiam qui luxiſſent illico patiebantur: exiguam vero nocte ſublatam terram manibus, corporibus injiciebant, & nonnunquam die, ſi quis fuiſſet audacior. Duodecim autem millia hoc modo nobilium periere. Illi autem jam ob cædes exoſi, nullo pudore judicii vim & cognitionis cavillando imitabantur. Itaque cum illuſtrium quendam Zachariam Baruch filium interficere decreviſſent (irritabantur enim quod nequiſſimis inimicus nimis erat, & probis amicus, itemque locuples) neque ſolum fortunarum ejus direptionem ſperarent, ſed etiam remotum iri virum ad ſe dejiciendos potentem, ſeptuaginta plebejorum honeſtiſſimos ex præcepto convocant, judicum ſpecie poteſtate carentes, & apud eos Zachariam, quaſi res proderet Romanis, accuſant: quodque ad Veſpaſianum pro-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Duodecim millia nobilium pereunt.

A. M. 4032. P.C.N. 70. ditionis cauſa miſiſſet. Sed neque argumentum, neque ulla probatio criminis erat: ipſi autem miſiſſe dixerunt, & hoc haberi pro fide veritatis volebant. Zacharias autem ubi nullam ſpem ſalutis ſibi relictam eſſe vidit, per inſidias non in judicium, ſed in carcerem ductus, vitæ ſuæ deſperationem libertate non privavit: ſed exorſus veri quidem ſimilitudinem obiectorum deriſit, & illata ſibi crimina breviter diluit: in accu atores autem oratione converſa, omnes eorum iniquitates per ordinem *proſecutus eſt*, multaque de perturbatione rerum querebatur. Zelotæ vero obſtrepentes, vix a gladiis temperabant, ſpeciem cavillationemque judicii ſui usque ad finem permanere cupientes, & præter hoc judices experiri, an periculoſo tempore juſtitiæ memores forent. Igitur omnes ſeptuaginta pro eo ſententiam ferunt, & pro eo mori, quam ſibi aſſcribi ejus interitum maluere. Illo vero abſoluto Zelotarum clamor tollitur, & univerſi quidem judicibus iraſcebantur, qui ſimulationem datæ ſibi poteſtatis non intellexerant: duo vero ex audaciſſimis aggreſſi Zachariam, in medio templo interficiunt: & illudendo, habes, inquiunt, & a nobis de abſolutione ſententiam certiorem: eumque ſtatim in ſubjectam vallem de templo projiciunt. Judices vero, *contumeliæ* cauſa verſis gladiis ferientes, *templi* ambitu pepulere: cædi enim eorum pepercerant, ut disjecti per civitatem, nuncii fierent apud omnes ſervitutis. Idumæos autem jam veniſſe pœnitebat, neque his geſta placebant. Quibus collectis, Zelotarum quidam ſecreto indicabat univerſa: & quæcunque hi, qui eos advocaverant, ſcelerate feciſſent, omnia demonſtrabat:

Zacharias a Zelotis capitis damnatus.

Septuaginta Judices pro Zacharia ſententiam ferunt.

Zacharias in medio templo interficitur.

Idumæis Zelotarum ſcelerata facinora quidam prodit.

arma

arma quidem cepiſſe eos, quaſi Romanis a pontificibus metropolis proderetur, reperiſſe autem nullum proditionis indicium. Illos vero qui tutari eam ſimularent, & belli facinora auſos & tyrannidis, ab initio quidem prohibendos fuiſſe. Verum quia ſemel in ſocietatem inteſtinæ cædis incidiſſent, finem delictis adhibendum, neque vires hominibus ſuggerendas morem patruum deſtruentibus. Nam etſi portas graviter ferrent ſibi atque in oppidum aditum eſſe præcluſum, pœnas ab his qui prohibuerant eſſe repetitas: & Ananum quidem peremptum, una vero nocte populum totum pene conſumptum. Quarum rerum multos quidem ſuorum pœnitere ſentirent: eorum autem viderent, a quibus rogati eſſent, crudelitatem immenſam: ne ipſos quidem per quos ſalvi erant erubeſcentium: in oculis enim auxiliatorum peſſima facinora committere, illorumque injurias Idumæis imputari, quatenus ea non prohibeant, neque ab his ſeparentur. Debere igitur (quoniam de proditione quæ dicta ſunt, calumniam fuiſſe patuiſſet, nullusque Romanorum impetus timeretur, adverſus civitatem vero inexpugnabilis eſſet potentia corroborata) illos domum recedere: malorumque ſocietatem vitando cuncta diluere flagitia, quorum non ſponte, ſed decepti participes extitiſſent. Perſuaſum eſt Idumæis. Et primum eos, qui erant in cuſtodiis, ſolvunt, prope ad duo millia popularium, ſtatimque relicta civitate ad Simonem veniunt, de quo paulo poſt commemorabimus: deinde domum ex Hieroſolymis abiere. Evenit autem eorum diſceſſum utrisque pariter inopinatum videri: nam & populus neſcius pœnitudinis, pau-

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Idumæi domum ex Hieroſolymis abeunt.

A. M. 4032. P.C.N. 70. paululum fiducia recreatus est, velut inimicis levatus: & Zelotarum crevit insolentia, quasi non auxiliis caruissent, sed iis essent liberati, quorum pudore ac reverentia criminibus temperabant. Denique nulla jam erat facinorum mora neque cunctatio: sed festinatis quidem consiliis in rebus singulis utebantur: quæ vero placuissent, ipsa cogitatione citius peragebant. Maxime autem in viros fortes atque insignes cædibus sæviebant: cum invidia nobilitatem absumerent metu virtutum: unamque cautionem *putarent*, nullum optimatum superesse. Itaque occisus est cum multis aliis Gorion, dignitate simul & genere præstans, & plus posse populum gaudens, plenusque spiritu, libertatis amator, ut nullus alius Judæorum, quem tamen libertas præter alias virtutes perdidit. Sed ne Peraita quidem Niger eorum manus effugit, bellis cum Romanis gestis vir strenuus comprobatus: qui etiam sæpe vociferans, & cicatrices ostendens, per mediam civitatem trahebatur. Ductus vero extra portas, desperata jam salute, ne sepultura careret, supplicabat. Illi autem prius interminati, quod humum ei quam desiderabat concessuri non essent, mox etiam mortem intulere. Qui tamen cum occideretur, Romanos eis ultores imprecatus est: famemque præter bellum *ac pestilentiam*, & ad hæc omnia ipsorum mutuas manus: eaque universa confirmavit apud impios Deus, & quod justissimum esset effecit, ut audaciam suam quam primum experirentur inter se dissidentes. Niger quidem occisus, quem habebant de oppressione sui metu eos levavit. Pars autem plebis nulla erat, cui non ad interitum excogitabatur occasio. Namque alii quod jam-

Zelotarum post Idumæorum abitum facinora & scelera.

Mors Gorionis & Nigri Peraitæ.

Nigri preces reipsa fuisse adimpletas, exitus declarat.

jamdudum aliis civibus reſtitiſſent, interficiebantur: qui vero nihil offenderant, ſubitas pacis tempore cauſas excipiebant: Et qui omnino libere eos non adiſſent, pro contemptoribus: qui vero obſequentes, pro inſidiatoribus habebantur: unaque maximorum criminum & mediocrium pœna, mors erat: neque evaſit quisquam, niſi aut ignobilitate aut fortuna perhumilis. A. M. 4032. P.C.N. 70.

## CAPUT II.

### *De inteſtina diſcordia Hieroſolymorum.*

ROmani autem omnes ad civitatem animos intendebant, hoſtium diſſenſionem lucrum ſibi eſſe cenſentes: & Veſpaſianum, penes quem ſumma rei poteſtas erat, incitabant, divinæ providentiæ dicentes auxilio in ſemet hoſtes eſſe converſos: verumtamen velox eſſe momentum, & Judæos cito in concordiam redituros, aut inteſtinis malis defeſſos, aut redactos in pœnitudinem. Ad quos Veſpaſianus ait: Plurimum eos quid fieri conveniat ignorare, tanquam in theatro cupientes quantum armis ac manibus poſſent oſtentare potius cum periculo, quam ſecum quidquid eſſet utile reputare. Nam ſi ſtatim civitatem aggrederentur, ipſos cauſam hoſtibus fore concordiæ, ac vires eorum etiam nunc vigentes in ſe provocaturos. Sin operirentur, paucioribus ac moderatioribus his uſuros domeſtica ſeditione conſumptis. Deum namque melius quam ipſos diſponere, qui ſine labore Judæos Romanis traderet, nulloque periculo exercitui victoriam condonaret. Proinde manibus propriis intereuntibus inimicis, maxi-

Veſpaſianum Romani milites incitant.

Veſpaſianus hoſtibus domeſtica ſeditione conſumptis victoriam expectat.

A. M. 4032. P.C.N. 70. moque malo, hoc est seditione turbatis, debere se potius periculorum spectatores esse, quam cum hominibus mortem appetentibus atque intestina rabie insanientibus confligere. Si quis autem putaverit victoriæ gloriam sine prælio fieri viliorem, sciat, inquit, armorum incerto exitu commodius esse commode perficere quod intendit. Neque enim manu præclaris esse minus laudabiles, qui paria gesserint moderatione atque prudentia. Simul autem dum hostes imminuerentur, etiam milites ex laboribus assiduis recreatos valentiores ductum iri. Præterea non id esse tempus, ut mature occupanda videatur victoriæ claritudo: nec enim armis fabricandis aut muris, vel auxiliis congregandis Judæos operam dare, atque ideo moras differentibus nocituras: sed bello domestico ac dissensione tumidos, miserabiliora pati quotidie, quam ipsi eos captos afficerent intromissi. Proinde sive quis securitatem consideret, sinendos esse qui semet absumerent: sive facti gloriam clariorem, nequaquam manus intestino morbo laborantibus afferendas: siquidem ratione recta diceretur, non ipsorum, sed discordiæ fuisse victoriam. Hæc Vespasianus: eique dicenti rectores militum consentiebant: moxque apparuit quam utile fuisset ejus consilium. Namque in dies singulos multi ad eum confluebant fugiendo Zelotas. Erat autem fuga difficilis, quod omnes exitus custodibus obsidebantur. Et si quis ibi qualibet ex causa deprehensus fuisset, velut ad Romanos ire cuperet, interficiebatur: qui tamen eis dedisset pecuniam, salvus abibat: & qui non dabat, solus proditor habebatur. Restabat igitur, pe-

Multi Judæi fugiendo Zelotas ad Vespasianum confluunt.

pecunioſis fugam redimentibus, ſolos pauperes jugulari. Mortui vero per omnes vias coacervabantur innumeri, multique etiam transfugere cupientium, rurſus in civitate perire præoptabant: nam ſpe ſepulturæ in patria mori tolerabilius videbatur. Illi autem ad hoc crudelitatis deviaverant, ut neque intus, neque per itinera occiſis humum concederent: ſed veluti cum patriis legibus etiam naturæ jura diſturbare pepigiſſent, ſuaque in homines injuſtitia divinitatem quoque polluere, ita ſub ſole putreſcere mortuos relinquebant. Sepelientibus autem ſuorum corpora, idem quod transfugis, imminebat ſupplicium mortis: ſtatimque ſepultura indigebat, qui hanc alteri præſtitiſſet: & ut breviter dicam, nulla tam bona, quam miſericordia, perierat in illis cladibus mentis affectio: hisque irritabantur noxii, quæ miſeranda vidiſſent, a vivis in mortuos, a mortuis in vivos iracundiam transferentes. Modum autem excedente metu, ſuperſtitibus mortui adepti requiem beatiores videbantur: & qui erant in cuſtodiis comparatione ſui cruciatus, inſepultos quoque fortunatiſſimos demonſtrabant. Omne quidem ab illis jus hominum calcabatur, ridebatur etiam divinitas, prophetarumque reſponſis tanquam vulgaribus fabulis illudebant. Cum vero multa contempſiſſent de virtute ac vitiis ſtatuta majorum, etiam quæ de patria olim prædicta fuerant, vera eſſe exitu probavere. Vetus enim quidam ſermo ferebatur, tunc demum civitatem captum iri, ſancta quoque flammis exurenda eſſe lege belli, cum ſeditio fuiſſet exorta, fanumque Dei propriæ manus ante violaſſent.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Zelotarum in mortuos pariter atque vivos crudelitas.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

sent. Quibus Zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes, ministros se præbuerunt.

## CAPUT III.

*De Gadarensium deditione & strage.*

Joannis superbia & ambitio

AT Joannes jamdudum tyrannidem affectans, parem cum similibus honorem habere dedecus existimabat: paulatimque sibi nequiores adjungens, ab eorum affectione separabatur. Semper autem aliorum decretis non obediendo, suaque jubendo imperiosius, quod solus dominari cuperet, non latebat: eique sociabantur nonnulli metu, alii gratia (mirus enim erat oratione atque fallacia persuadere quæ vellet) multi vero propterea, quod sibi tutum esse ducebant, priorum delictorum causas uni potius ascribi quam omnibus. Ad hæc quia manu strenuus erat, & bonus consilio, satellites non paucos habebat, etsi magna pars eum contrariæ factionis reliquerat: apud quos etiam livor nonnihil valebat, grave putantes, ut paulo ante pari succumberent. Plus autem metus eos, ne sub unius potestate viverent, exagitabat: nec enim facile sperabant eum, si semel obtinuisset, dejici posse: occasionemque in se habiturum timebant, quod in principio restitissent. Proinde quisque bello potius quiduis pati decreverat, quam sponte serviens mancipii loco perire. Hinc igitur seditio dividitur, & Joannes in contraria dissentientibus parte regnabat. Sed inter ipsos quidem munita omnia erant custodibus, nihilque aut parum agebatur, si quando armis prælium lacessebant: in populum vero vel maxime con-

Magna pars contrariæ factionis deficit a Joanne.

ten-

tentionem ſuſceperunt, & quis majorem prædam caperet, utrinque certabant. Cum tamen civitas trium malorum ingentium tempeſtate laboraret, hoc eſt belli, dominationis, itemque ſeditionis, eorum comparatione bellum populariibus mediocrius videbatur: denique relictis ſedibus patriis ad alienigenas profugiebant: & Romanorum beneficio ſalutem, quam inter ſuos deſperaverant, aſſequebantur. Quartum vero præterea malum commotum eſt gentis exitio. Haud procul ab Hieroſolymis caſtellum erat validiſſimum, reponendis opibus ad munimenta belli, tutandisque corporibus ab antiquis Regibus ædificatum, quod Maſſada dicebatur: id occupaverant qui vocantur ſicarii, quod a rapinis amplioribus timore continebantur. Hi cum Romanorum exercitum otioſum eſſe viderent, apud Hieroſolymam vero Judæos dominatione atque diſcordia feceſſiſſe, majora facinora aggrediuntur. Die feſto azymorum (qui apud Hebræos ad memoriam ſalutis, qua ex Ægyptiorum ſervitio liberati, in terram patriam devenerunt, ſolenniter celebratur) nocte deceptis, qui ſibi erant oppoſiti, municipium quoddam Engaddi invaſere: ubi pugna quidem Judæos ante præventos atque diſperſos, quam arma caperent ſive concurrerent, civitate pepulere: eos vero qui in fuga defecerunt, mulieres videlicet ac pueros, ſupra ſeptingentos interfecerunt: ædibusque deinde compilatis, fructus quoque jam maturos depopulati in Maſſada portaverunt: & illi quidem omnes circum caſtellum vicos, totamque regionem populabantur, non parvo undique perditorum ad eos numero in dies ſingulos confluente: ſimul autem concitati ſunt etiam

A. M. 4032. P. C. N. 70.

Trium malorum ingentium tempeſtas Hieroſolymis.

De ſicariis qui Maſſadam caſtellum occupaverant.

Cædes & devaſtatio per univerſam Judæam.

A. M. 4032. P.C.N. 70. per ſingulos Judææ tractus in latrocinia, qui interim quieſcebant. Ac velut in corpore, ſi quando principale membrum tumor afficit, omnia pariter ægrotare neceſſe eſt: ita propter civitatis tumultum atque diſcordiam, etiam qui foris erant nequiſſimi, prædarum invenere licentiam. Singuli vero vicis propriis dilaceratis, deinde in ſolitudinem recedebant. Congregati autem & catervatim conjurantes, exercitu quidem pauciores, plures vero quam latrocinalis conſpiratio, in templa & oppida ferebantur. Et ſequebatur quidem, ut in bello fieri ſolet, ab his eos male affici, quos petiiſſent: verum præveniebatur ultio, cum mox latrones a præda refugerent: nullaque pars erat Judææ, quæ non una cum Hieroſolymis præcellentiſſima civitate interiret. Hæc Veſpaſiano a transfugis indicabantur: nam licet omnes exitus a ſeditioſis cuſtodirentur, & cum quis ad eos acceſſiſſet, interficeretur, tamen erant qui ad Romanos clam profugerent: ducemque Romanorum & opem ferre civitati, & reſervare populi reliquias hortarentur: multos enim, quod bene Romanis vellent, periiſſe, multos adhuc in periculo dicebant eſſe ſuperſtites. Ille autem jam tum miſerans eorum calamitates, propius ad eos velut Hieroſolymam obſeſſurus accedit, re autem vera, ut civitatem obſidione liberaret: ſpe autem ante reliqua ſubigendi, nullumque impedimentum extrinſecus obſidioni relinquendi. Cum igitur veniſſet in Gadara, transamnanæ regionis metropolim validiſſimam, menſis Martii quarta die civitatem ingreditur: jam enim optimates, ignorantibus ſeditioſis, legatos ad eum de traditione miſerant, tam pacis deſiderio, quam ſuis

Transfugæ Veſpaſianum & opemferre civitati, & reſervare populi reliquias hortantur.

pa-

patrimoniis metuentes: multi enim apud Gadara locupletes habitabant, quorum legationem inimici neſciebant, niſi quod Veſpaſiano appropinquante id cognoverunt. Et civitatem quidem ſe retinere poſſe deſperabant, quod & inteſtinis inimicis numero inferiores erant, neque procul abeſſe videbant a civitate Romanos: ſi vero fugere decreviſſent, ſine ſanguine id facere, nullaque a noxiis pœna repetita, non honeſtum ſibi putabant. Itaque Doleſum comprehenſum (namque is non dignitate ſolum ac nobilitate civitatis princeps habebatur, ſed etiam legationis autor erat) interficiunt: nimiaque iracundia mortuo verberato, extra civitatem dilapſi ſunt. Jam vero propius accedente Romano exercitu, Gadarenſium populus Veſpaſiano cum acclamationibus in civitatem recepto, fidei dextras ab eo accepit: equitumque & peditum præſidia contra fugitivorum excurſus: muros enim prius quam id Romani peterent, ipſi deſtruxerant: ut eo ſibi fides eſſet, quod pacem diligerent, ſi bellum gerere ne volentes quidem poſſe viderentur. Veſpaſianus autem miſſo Placido cum 500. equitibus ac tribus millibus peditum adverſus eos, qui ex Gadaris fugerant, ipſe cum cæteris militum copiis Cæſaream regreditur. At fugitivi poſtquam equites repente a tergo inſequentes videre, prius quam in manus venirent, in vicum quendam, cui nomen eſt Bethenabrin, ſe recepere: ubi reperta non paucorum juvenum multitudine, hisque partim volentibus, partim vi armatis, temere contra Placidum eiusque milites proſiliunt. Illi autem primo quidem impetu paululum receſſerunt, ea ſimul arte, ut eos a muro longius provocarent:

A. M. 4031. P.C.N. 70.

Gadarenſium populus Veſpaſianum cum acclamationibus in civitatem recipit.

Placidi cum fugitivis conflictus.

A. M. 4032. P.C.N. 70. deinde loco oportuno circumdatos, telis agentes eminus ſauciabant. Itaque fugientes quidem, ab equitibus prævenibantur Judæi, qui vero manus conſeruiſſent, a peditibus trucidabantur, nihil plus audaciæ demonſtrantes: condenſos enim aggrediendo Romanos, armis non ſecus ac muro ſeptos, ipſi quidem telis aditum non inveniebant, neque ſufficiebant aciem rumpere: illorum autem transfigebantur telis, & immaniſſimis feris ſimiles ruebant ultro in ferrum, & ſternebantur, alii gladiis ora percuſſi, alii ab equitibus diſſipati: quoniam cura erat Placido, curſum eorum a vico intercludere, aſſidueque prætercurrens ea parte, cedentesque reflectens, una etiam libratis ſagittarum ictibus utebatur: hisque proximos interficiebat, metu vero longe fugientes avertebat, donec elapſi qui fortiores erant ad murum effugere. Ejus autem cuſtodes quid agerent, neſciebant. Nec enim excludi Gadarenſes ſuorum cauſa patiebantur, & ſi eos recepiſſent, una cum his ſe perituros videbant, quod etiam contigit. Illis enim compulſis ad murum, pene cum his Romanorum equites irrupere. Portis autem ante præcluſis, admoto milite Placidus ad veſperam usque acerrime oppugnato muro pariter ac vico potitus eſt: ibique tunc vulgus quidem iners occidebatur, fortiores vero fugam petebant: domus vero a militibus diripiebantur, & vicus igni traditus eſt. Qui vero inde evaſerant, totam ſecum illam regionem ad fugam incitarunt: & extollendo proprias calamitates in majus, totumque Romanorum exercitum adventare dicendo, metu omnes undique commoverunt: plurimo autem numero aucti, in Hierichunta ſeceſſerunt: hæc

Placidus Bethanabrin expugnat & igni tradit

enim

enim etiam tunc eorum ſpem ſalutis fovebat, quod eſſet valida & populoſa. Placidus vero equitibus, rebusque ante proſpere geſtis fretus, eos inſequebatur & usque ad Jordanem quidem ſemper quos occupabat, morti dabat, omnem vero ad flumen coactam multitudinem, fluminis impetu prohibitam, quod auctum imbribus vadum tranſire non poterant, aperto prælio aggreditur. Itaque neceſſitas eos ad pugnam compulit, quod fugæ locum non haberent: prætentique ad ripæ longitudinem, tela equitum & incurſus excipiebant, a quibus multi perculſi, in fluvium ceciderunt: nam qui manibus eorum cæſi ſunt, tredecim millia fuerunt: alii cum vim ſuſtinere non poſſent, in Jordanem ſponte deſilierunt: erat autem numerus infinitus, & præterea capta ſunt circiter duo millia virorum ac ducenti, cum præda maxima ovium & aſinorum, itemque camelorum & boum. Judæis quidem hoc vulnus inflictum quamvis par ſuperioribus, majus tamen ſeipſo viſum eſt: non ſolum quod eam totam regionem qua fugerant, cædes repleverant, ſed etiam quod refertus mortuis Jordanis pervius non erat, & Aſphaltites quoque lacus repletus erat cadaveribus, quæ per multa flumina devoluta ſunt. Placidus autem ſecunda fortuna uſus, in vicos proximos & municipia contendit: captisque Abila, & Juliade, & Beſemoth, omnibusque ad lacum Aſphaltiten usque idoneos ex transfugis ubique collocat: deinde milite ſcaphis impoſito, eos qui in lacum refugerant ſubegit. Et trans fluvium quidem tota regio Romanis ceſſit, & ubique omnia usque ad Machærunta devicta ſunt.

A. M. 4032. P. C N. 70.

Placidi de fugitivis Judæis victoria.

Placidus in Judæos ſecunda fortuna utitur

A. M. 4032. P.C.N. 70.

## CAPUT IV.

*De captis oppidis quibusdam, descriptioque civitatis Hierichuntinæ.*

Motus in Gallia.

HÆc autem dum aguntur, motus circa Galliam nunciantur, & quod Vindex una cum optimatibus indigenarum a Nerone defeciſſet, de quibus alibi diligentius ſcriptum eſt. Veſpaſianum vero ad impetum belli quæ nunciata ſunt, incitarunt, jam tunc futura bella civilia totiusque imperii pericula proſpicientem: cum ſi partes orientis ante pacaſſet, minus Italiæ metuendum exiſtimaret. Obſtante autem hyeme, per ſubactos interim vicos atque oppida præſidia collocabat: & decuriones civitatibus apponens, multa etiam eorum, quæ vaſtata fuerant, inſtaurabat. Prius tamen comitatus militum copiis, quas Cæſaream adduxerat, in Antipatridem venit: ibique per biduum civitate compoſita, tertia die vaſtando, inflammando, omnemque ſubvertendo circum Thamnam toparchiam, in Lyddam & Jamniam procedebat. Et cum ſeſe utraque tradidiſſet, conſtitutis illic habitatoribus idoneis, in Ammaunta pervenit: occupatoque ad metropolim earum aditu, caſtra muro circumdat. Quintaque in his relicta legione cum cætera manu Bethlepton toparchiam proficiſcitur: eaque & vicina regione, itemque circum Idumæam igne conſumptis, caſtella quidem locis opportunis munivit. Captis autem duobus vicis in media Idumæa poſitis, hoc eſt Begabri & Caphartophan, plus quam decem millia hominum peremit: prope autem ad mille cepit, exactaque inde cætera multitudine, non parvam militum ſuorum partem ibi conſtituit, qui omnia

Veſpaſianus univerſam Judæam perſcrutatur.

nia montana loca incurſando vaſtabant. Ipſe autem cum reliquo exercitu in Jamniam rediit: unde per Samaritidem, ac per Neapolim, quæ dicebatur ab indigenis Mabortha, ſecundo Junii menſis die in Coream deſcendit: ibique poſitis caſtris, poſtridie in Hierichunta pervenit: in qua unus ei rectorum Trajanus quem e locis trans Jordanem ducebat, militem jungit, cunctis illic devictis. Sed ex Hierichunte quidem multitudo ante Romanorum adventum in adverſam Hieroſolymis montanam regionem diffugerat: non pauci autem qui remanſere perimuntur. Deſolatam vero offenderat civitatem, cui in planitie ſitæ nudus mons ac ſterilis imminet, idemque longiſſimus: a ſeptentrionali enim regione usque ad Scythopolitanos agros: a meridiana vero usque ad terram Sodomiticam & Aſphaltitis lacus terminos extenditur: totus autem aſper eſt, & quod nihil gignat, non habitatur. Huic objacet circa Jordanem mons alius, incipiens a Juliade ac ſeptentrionali regione, prolixus autem in meridiem usque ad Bacra, quæ Petram diſterminat Arabiæ civitatem. In hoc eſt etiam Ferreus mons appellatus, ad Moabitidem usque longus. Inter duos autem montes regio, quæ Magnus campus vocatur, a Gennabara vico ad lacum Aſphaltitem usque patens, habet ducentorum & triginta ſtadiorum longitudinem, latitudinem vero centum & viginti, mediusque ab Jordane dividitur. Sunt autem illic duo lacus, Aſphaltites & Tiberienſis natura contrarii: namque alter ſalſus ac ſterilis eſt, Tiberienſis vulgo dulcis & fœcundus, æſtatisque tempore illa planicies ardore ſolis incenditur, & vitioſo opprimitur aeris tractu, omnibus circum

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Veſpaſianus in Hierichuntem pervenit.

Situs Hierichuntis.

Magnus campus.

Duo lacus Aſphaltites & Tiberienſis.

A. M. 4032. P.C.N. 70. cum aridis præter Jordanem: unde evenit, ut palmæ, quæ in ripis sunt, magis floreant, & fertiliores sint: minus autem, quæ longe remotæ sunt. Ad ipsam vero Hiericho largissimus fons est, rigandisque arvis uberrimus, juxta veterem scaturiens civitatem: quam Jesus Nave filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt non solum terræ atque lignorum fructus, sed etiam fœminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere. Postea vero mansuevisse, contraque saluberrimum ac feracissimum esse factum ab Helisæo quondam propheta, qui Heliæ notus fuerat atque successerat. Receptus enim hospitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipsos & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est: progressusque ad fontem, lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit. Juxta deinde ad cœlum dexteram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipsum quidem precabatur, ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum vero, ut fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamque ubertatem fructuum, quam successionem prolis daret indigenis, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad justi manerent: ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutavit: & qui antea causa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fœcunditatis autor est effectus. Denique rigationis ejus tanta potentia est, ut si attigerit modo terram, sapidior sit, aquis diu perseverantibus: unde eo quæ largius abutuntur, exiguum emolumentum ha-

Ad Hiericofons largissimus.

Miraculum ab Helisæo factum.

habent, quæ vero parcius, plurimum. Amplius tamen quam cæteri fontes ſpatium rigat, & ſeptuaginta quidem ſtadiis longam, viginti autem latam planitiem permeat: optimos autem in ea paradiſos ac denſiſſimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam ſapore, quam nominibus varia: quarum pinguiſſimæ calcibus preſſæ, plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius: quanquam & mellis altrix eſt illa regio, & opobalſami ferax, qui omnium chariſſimus eſt fructus ibi naſcentium: itemque cyprum myrobalanum gignit: ut qui divinum eſſe illum tractum dixerit, non erraverit, ubi & larga & optima generantur quæ ſunt cariſſima. Sed nec in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit: adeo multiplicatum, quod ſatum eſt, reddit. Cujus rei cauſa mihi videtur eſſe aquarum vis læta, & aeris calor: cum hic provocet quæ nata fuerint atque diffundat: liquor autem firmis ſingula radicibus ſtringat, viresque ſuggerat æſtivo tempore: quo ſic peruſta eſt illa regio, ut nihil facile procedat ac pullulet: aqua tamen, ſi ante ſolis ortum hauriatur, auræ ſpiritu refrigeſcit, naturamque contrariam aeri ſumit: hyeme vero contepeſcit, eaque merſis mitiſſima efficitur. Tanta eſt autem cœli temperies, ut quo tempore in alia Judææ regione ningit, lino illic tantum indigenæ veſtiantur. Diſtat autem ab Hieroſolymis CL. ſtadiis, & ab Jordane ſtadiis ſexaginta: totumque habet a Hieroſolymis ſpatium deſertum atque ſaxoſum: ad Jordanem vero & lacum Aſphaltiten, licet humilius, æque tamen incultum ac ſterile. Sed de Hiericho, quam ſit fortunatiſſima, ſatis dictum eſt.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

Paradiſi circa Hierichuntem optimi.

Fertilitatis circa Hierichuntem cauſæ.

Aer temperatus & calidus.

A. M. 4032. P.C.N. 70.

## CAPUT V.

### *Lacus Aſphaltites.*

De lacu Aſphaltite

COmmemoratione autem dignum puto, Aſphaltitis quoque naturam exponere lacus. Is enim ſalſus quidem ac ſterilis eſt: nimia vero levitate, etiam quæ graviſſima ſunt, in eum jacta fluitant: demergi autem quis in profundum nec de induſtria facile poteſt. Denique Veſpaſianus, qui ejus viſendi cauſa illuc venerat, juſſit quosdam natandi inſcios, vinctis poſt terga manibus, in altum projici: & evenit omnibus, tanquam vi ſpiritus ſurſum repulſos deſuper fluitare. Ad hæc mirabilis eſt coloris mutatio, quæ ter in ſingulos dies ſuperficiem vertit, & ſolis radiis variata reſplendet. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, quæ ſuper undam & habitu & magnitudine tauris ſine capitibus aſſimiles natant. Ad eas autem cum lacus exercitores acceſſerint, nacti quod aggeſtum eſt, ad naves trahunt: & quia lentum eſt, repletas eas abrumpere nequeunt: ſed quaſi religata ſcapha, pendet a cumulo, donec menſtruo mulieris atque urina ſolvatur. Eſt autem utile non modo ad compagines navium, ſed ad corporum etiam curationem multis remediis admiſcetur: longitudo lacus eſt quingentorum & octoginta ſtadiorum, qui ad Zoara usque Arabiæ tenditur: latitudo autem centum quinquaginta ſtadiis patet: huic Sodomitica terra vicina eſt: olim quidem tam fructibus, quam divitiis civitatum fortunata, nunc autem omnis exuſta, ut quæ habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Denique adhuc in ea divini reliquias ignis, & oppidorum

Mirabilis Aſphaltitis proprietas.

Sodomitica terra Aſphaltiti vicina eſt.

quin-

quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres: qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium vero manibus in fumum diſſolvuntur & cinerem. Terræ quidem Sodomiticæ fabula ejusmodi fidem habet ex facie. A. M. 4032. P.C.N. 70. Tertull. in apologet. c. 39.

## CAPUT VI.

*Geraſæ devaſtatio, ſimul de Neronis morte, Galbæ & Othonis.*

AT Veſpaſianus Hieroſolymorum habitatores concludi undique cupiens, apud Hiericho & Adidam caſtellis erectis, utrobique auxiliarium pariter ac Romanorum præſidia collocat. Mittit autem Geraſam L. Annium, equitatus ei parte multisque peditibus attributis. Qui primo aggreſſu civitate capta, mille juvenum, qui ne fugerent præventi erant, interficit: familias captivas ducit, bona militibus prædari permittit. Incenſis deinde domibus, proximos petiit. Erat autem fuga potentium, & interitus infirmorum: quodque occupatum fuiſſet, flammis dabatur: omnibusque tam montanis locis quam tota planitie bello oppreſſis, apud Hieroſolymam degentes exeundi copiam non habebant: cum transfugere quidem cupientes a Zelotis aſſervarentur: eos vero, qui etiam nunc a Romanis diſſidebant, undique civitate vallata cohiberet exercitus. Veſpaſiano autem Cæſaream reverſo, & cum omnibus copiis in ipſam Hieroſolymam proficiſci paranti nunciatur Nero peremptus, cum per annos tredecim & octo dies imperaſſet: de quo referre, quemadmodum dehoneſtarit imperium, nequiſſimis hominibus Geraſam L. Annius capit. Veſpaſiano nunciatur Nero peremptus.

A. M. 4032. P.C.N. 70. Nymphidio & Tigillino, & indigniſſimis libertorum permiſſa Republica: quodque horum captus inſidiis, ab omnibus ſuis ſenatoribus deſtitutus, cum quatuor libertis fidelibus in ſuburbanum fugerit, ibique ſemet occiderit: & quod multo poſt tempore, qui eum depoſuerant, pœnas dederint: bellumque per Galliam quo pacto deſierit: & quod Galba, creatus Imperator, Romam redierit ab Hiſpania: & quemadmodum incuſatus a militibus, tanquam humilioris eſſet animi, in medio foro necatus ſit, & Otho declaratus ſit Imperator, militesque ſuos contra Vitellii duxerit exercitum: necnon & Vitellii turbas, & circum Capitolium pugnam: & quemadmodum Antonius Primus & Mutianus Vitellium interfecerint, & Germanorum agmina bellumque civile ſedaverint: hæc omnia recuſavi narrare, confidens, quod a multis Græcorum itemque Romanorum ea cuncta copioſe perſcripta ſunt: ordinis autem rerum continuandi gratia, ac ne interciſa pendeat hiſtoria, ſummatim ſingula deſignavi. Igitur Veſpaſianus primo quidem in Hieroſolymam expeditionem differebat, expectans, quonam vergeret imperium poſt Neronem: deinde ubi Galbam imperare cognovit, nihil conari decreverat, prius quam ille quoque ad ſe de bello aliquid perſcriberet. Mittit autem ad eum Titum filium ſuum & ſalutatum ſimul, & ut de Judæis mandata acciperet. Ob easdem cauſas & Rex Agrippa navigavit ad Galbam. Sed dum Achajam, quod hyems erat, longis navibus prævehuntur, interfici Galbam contigit, ſeptem menſibus poſt & totidem diebus. Deinde Otho ſuſcepit imperium, ac tres menſes Rempublicam gubernavit. Agrippa vero

Galba. Otho. Vitellius. Veſpaſianus expeditionem in Hieroſolymam differt.

A. M. 4033. P.C.N. 71. Galba interficitur ac Otho imperium ſuſcipit.

vero nihil mutatione deterritus, Romam per- A. M.
gere ſtatuit. Titus vero divino quodam im- 4033.
pulſu, ex Achaja ad Syriam navigat, & mature P. C. N.
inde Cæſaream venit ad patrem. Suſpenſi au- 71.
tem de omnibus, quaſi nutante Romano impe
rio, Judæorum militiam negligebant: patriæ
quoque metuentes, aggredi alienigenas impor-
tunum arbitrabantur.

## CAPUT VII.

*De Simone Geraſeno novæ conſpirationis principe.*

INterea tamen bellum aliud in Hieroſolyma excitatur. Erat Simon Gioræ filius, patria Gera- Simon Geraſenus ad latrones pervenit.
ſenus, ætate juvenis, calliditate poſterior Joanne, a quo jampridem civitas poſſidebatur, viribus autem corporis audaciaque præſtantior: ob quam ex Acrabatena quoque toparchia, cujus rector erat, pulſus ab Anano Pontifice, ad latrones pervenerat, qui Maſſadam occuparant. Is autem primo quidem ita ſuſpectus erat, ut eum ad inferius caſtellum cum mulieribus, quas ſecum adduxerat, tranſire permitterent, ipſi excelſius incolentes: rurſus autem propter neceſſitudinem morum, fidelis eſſe videbatur: nam & ductor erat prædatum exeuntibus, & cum Simon in locis montanis cunctos nequiſſimos congregat.
ipſis territorium Maſſadæ populabatur: nec tamen eos ad majora exhortando metuebat: dominandi enim cupidus magnorumque appetens, quia mortem Anani comperit: in montana loca diſceſſit: ac voce præconum ſervis libertate promiſſa, itemque liberis præmio, cunctos, qui ubique fuerant, nequiſſimos congregavit. Jamque validis conflatis copiis, montanos vicos di-

A. M. 4033. P.C.N. 71. ripiebat. Semper autem accedentibus pluribus ſociis, audebat etiam in humiliora loca deſcendere, & civitatibus quoque jam terribilis erat: multosque potentium vis ejus & proſpere geſta ſolicitabant: nec jam ſervorum tantum ſive latronum exercitus erat, ſed multorum etiam popularium, tanquam Regi, parebat obſequium. Excurſus autem agebatur in Acrabatenam toparchiam, & in majorem usque Idumæam. Vicum enim, cui nomen eſt Nain, muro amplexus, ad tuitionem ſui pro caſtello habebat. In valle autem, quæ appellatur Pharan, multas quidem dilatavit ſpeluncas, multas vero paratas invenit, atque his conditorum prædæ receptaculis utebatur. Quin & direptos illic fructus reponebat, multæque catervæ diverſabantur: neque dubitabatur, quod in Hieroſolymam copiis & apparatu præluderet. Unde inſidias veriti Zelotæ, ac prævenire eum, qui contra ſe creſceret, cupientes, plerique cum armis egrediuntur. His autem Simon occurrit, commiſſoque prælio multos occidit, & reliquos compellit in oppidum. Nondum autem viribus fretus, ab obſidione deterretur. Prius autem Idumæam ſubjugare conatus eſt. Itaque cum viginti millibus armatorum ad fines ejus properabat. Idumæorum autem principes mature ex agris viginti quinque fere millibus pugnacium civium congregatis, pluribus autem, qui ſua ſervarent, domi relictis, propter ſicariorum qui Maſſadæ verſabantur incurſus: Simonem in finibus præſtolabantur: ubi conflictu habito, ac per totum diem tracto prælio neque victor neque victus abſceſſit. Et ipſe quidem in Nain vicum, Idumæi vero domum regreſſi ſunt. Non multo

Pugnaſimonis & Zelotarum

au-

autem poſt Simon cum majoribus copiis eorum fines petebat: caſtrisque in quodam vico, cui nomen eſt Thecue, poſitis, ad cuſtodes Herodii, quod non longe aberat, de ſociis ejus Eleazarum miſit, ut caſtellum ſibi traderent perſuaſurum: quem quidem ſine mora ſuſcepere cuſtodes, cauſæ neſcii cur veniſſet: mox autem de traditione prolocutum, ſtrictis gladiis perſequebantur: donec fugæ locum non reperiens, de muro in ſubjectam vallem ſe projecit: & ille quidem hoc modo ſtatim moritur. Idumæis autem vires Simonis formidantibus placuit, priusquam bello congrederentur, explorare hoſtium copias: ad hoc autem ſe miniſtrum obtulit parato animo Jacobus, unus e rectoribus, cogitans proditionem. Denique profectus ab Oluro (in hoc enim vico tunc Idumæorum collectus erat exercitus) ad Simonem venit: primumque ſe patriam ſuam traditurum eſſe paciſcitur, accepta fide, quod ſemper ei chariſſimus foret: mox etiam de tota Idumæa operam pollicetur. Ob quas res humaniſſime apud Simonem cœnatus, ampliſſimisque promiſſis animatus, ubi ad ſuos rediit, primo Simonis exercitum multiplici numero mentiebatur eſſe majorem; deinde rectoribus etiam, paulatimque multitudine univerſa perterritis, ut Simonem reciperent, ſuadebat, eique ſine pugna rerum omnium permitterent principatum; ſimul autem hoc agens, & Simonem ipſum per nuncios evocabat, disjecturum ſe pollicitus Idumæos, quod & præſtitit. Nam cum jam appropinquaret exercitus, equum primus inſcendit, & cum ſociis corruptionis effugit: pavor autem occupat univerſam multitudinem, ac priusquam

A. M. 4033. P.C.N. 71.

Eleazarus Simonis ſocius in vallem ſe projicit, & ſtatim moritur.

Jacobus Idumæus patriæ proditor.

A. M. 4033. P.C.N. 71.

ad manus venirent, domum quisque ſuam ſoluti ordine receſſerunt. Simon vero præter opinionem ſine ſanguine Idumæam introivit: primumque aggreſſus ex improviſo Chebron municipium capit, in quo maxima præda potitus eſt, multosque fructus diripuit. Chebron autem indigenæ ferunt non ejus terræ modo civitatibus, verumetiam Ægypti Memphi antiquiorem; denique duo millia & trecenti ejus connumerantur anni; hoc autem narrant Abraham quoque parenti Judæorum fuiſſe domicilium, poſteaquam Meſopotamiæ ſedes reliquit: ejusque poſteros hinc ad Ægyptum eſſe profectos: quorum etiam nunc monumenta extant in eadem civitate, peroptimo marmore liberaliter fabricata. Cernitur autem ſexto ab oppido ſtadio arbor maxima Terebinthus: eamque memorant ab initio mundi creati nunc usque durare. Hinc totam Simon pervaſit Idumæam, non modo vicos ejus & civitates depopulando, ſed excidendo etiam territoria; nam præter armatos XL. eum millia ſequebantur, ut his ne victui quidem neceſſaria ſatis eſſent. Ad has autem neceſſitates accedebat ejus crudelitas & inſuper iracundia, quo magis vaſtari contigit Idumæam. Et quemadmodum poſt locuſtas ſylva cerni ſolet frondibus ſpoliata, ſic etiam qua Simonis tranſiſſet exercitus, a tergo ſolitudinem relinquebat: & alia quidem comburendo, alia diruendo, & quicquid in civitate vel in agris natum eſſet conterendo calcibus, aut depaſcendo delebant: perque terram cultam iter agendo, faciebant eam ſterili duriorem, prorſus ut ne ſignum quidem vaſtatis relinqueretur, quod aliquando fuiſſent. Hæc omnia rurſus

Simon præter opinionem ſine ſanguine Idumæam intrat.

Chebron antiqua civitas Abrahami domicilio fuit.

Terebinthus arbor ab initio mundi creati nunc usque durat.

Simon depopulando totam Idumæam pervadit

Ze-

Zelotas incitaverunt, & aperto quidem bello confligere pertimuere: insidiis vero per itinera collocatis, uxorem Simonis rapiunt, eorumque præterea, quos habebat in obsequio, plurimos: deinde tanquam Simonem ipsum cepissent, in civitatem exultantes redeunt: continuo namque sperabant, armis eum depositis pro uxore sibi supplicaturum. Illum autem non misericordia, sed ira conjugis raptæ pervaserat: cumque ad muros Hierosolymorum veniset, ut fera saucia, quæ percussores prendere nequisset, ita in quos reperisset, effundebat insaniam: denique olerum sarmentorumque causa progressos e porta, imberbes pariter ac seniores correptos verberabat ad necem: ut animi indignatione id solum abesse videretur, quod non etiam vesceretur corporibus mortuorum; multos autem abscissis manibus dimittebat in civitatem, una perterrefaciens inimicos, & populum revocare cupiens a nocentibus. Hisque mandabat, ut dicerent, jurare Simonem per Deum, qui cuncta regeret, quod nisi cito redderent sibi conjugem suam, muro perrupto omnibus, qui in civitate essent, similiter uteretur, neque cuiquam ætati parceret, aut ab innocentibus discerneret noxios: donec his ejus mandatis, non modo populus, sed etiam Zelotæ metu perculsi, remisissent ei mulierem: atque ita delinitus, paulisper ab assidua cæde requievit.

A. M. 4033. P.C.N. 71.

Zelotæ Simonis uxorem rapiunt.

Immanitas & crudelitas Simonis.

Simoni Zelotæ mulierem remittunt.

## CAPUT VIII.

*De Galba, Othone, Vitellio & Vespasiano.*

NOn solum autem per Judæam erat seditio bellumque civile, verum etiam per Italiam.

Seditio per totum Romanum imperium

A. M. 4033. P.C.N. 71. In medio namque Romanorum foro Galba peremto, creatus Otho Imperator cum Vitellio imperium affectante pugnabat: quem Germanicæ tunc legiones elegerant. Habito autem apud Bebriacum Galliæ Cisalpinæ prælio cum Valente & Cæcinna Vitellii ducibus, primo die Otho superavit, altero Vitelliani: multisque trucidatis, & adversæ partis audita victoria, Otho apud Brixellum semet occidit, postquam biduum tresque menses imperium tenuit. Accesserunt autem Vitellii ducibus Othonis milites, & ipse jam Vitellius Romam cum exercitu veniebat: dum interea Vespasianus quinto die Junii mensis Cæsarea profectus, eas, quas nondum subegerat, Judææ partes petivit: & in montana regione, quo primum ascendit, toparchias duas Gophniticam & Acrabatenam subegit: deinde post has Bethel & Ephrem municipia: ibique præsidiis collocatis, usque Hierosolymam equitabat: multos vero tunc deprehensos necabat, multosque capiebat. Ducum autem unus Cerealis cum equitum parte ac peditum, superiorem quæ dicitur vastabat Idumæam, & Caphetram quidem castellum ex itinere captum incendit: alterum vero quod Capharin dicitur, admoto milite oppugnabat, muro satis valido cinctum, diutius autem ibi se moraturum speranti, oppidani subito portas aperuere, & supplices ei se tradidere. Quibus subjugatis, Cerealis in Chebron alteram civitatem antiquissimam tendit, sitam (ut dixi) in montanis locis, haud procul ab Hierosolymis. Vi autem irrumpens in eam, reliquam multitudinem, quam ibi offendit, cum puberibus interemit: oppidum vero ipsum exurit. Omnibusque jam captis, præter castella Herodium & Massadam

Vespasianus Judæam iterum petit.

Capharini supplices se Cereali tradunt.

Chebron urbem antiquissimam Cerealis exurit.

dam & Macherunta, quæ a latronibus tenebantur, sola jam Hierosolyma Romanis ante oculos erat, quæ expugnanda restabat. A. M. 4033. P.C.N. 71.

## CAPUT IX.

*De Simonis gestis contra Zelotas.*

SImon autem ubi uxorem suam a Zelotis recepit, ad reliquias Idumææ tendit persequendas: & undique circumacta natione, Hierosolymam compulit plerosque fugere, cum ipse quoque ad eam sequeretur. Deinde muro ejus obsesso, si quem operariorum ex agris adeuntem multitudinem cepisset, interficiebat. Eratque populo foris Simon Romanis terribilior: intus Zelotæ utrisque sæviores: quos etiam Galilæi novis inventis & audacia factionum corrumpebant. Nam & Joannem ad potentiam ibi provexerant: & Joannes eis pro potentia, quam sibi comparaverat, vicem referens, omnia quæ desiderarent, ut facerent, permittebat. Insatiabilis autem rapinarum cupiditas erat, domorumque locupletum perscrutatio. Cædes autem virorum, & fœminarum injuriæ pro ludo habebantur: prædamque cum sanguine devorantes sine aliquo metu, post satietatem muliebri libidine calescebant: comptique crines, ac fœminarum veste induti, lotique unguentis, & ut forma placeret, oculos illiti, non solum ornatum, sed impudentiam quoque mulierum imitabantur: & obscœnitate nimia nefarios coitus exigentes, ut in lupanari versabantur, civitatemque totam impuris facinoribus profanabant. Effœminantes autem vultum, dextras ad cædem promptas habebant: delicatoque incessu

Zelotæ civitatem totam impuris facinoribus profanant.

A. M. 4033. P.C.N. 71. enervati, ſubita incurſione bellatores fiebant: & de paludamentis verſicoloribus eductis gladiis, caſu obvios transverberabant. Eos autem qui Joannem fugiſſent, excipiebat ſævior in cædibus Simon: quique inteſtinum evaſiſſet tyrannum, ab eo qui prope erat occidebatur. Omnis autem fugæ via tranſire cupientibus ad Romanos abſciſſa erat. Inter Joannis autem copias quantum erat Idumæorum diſſidebant: ſeparatique ab aliis, adverſum tyrannum tam livore potentiæ, quam crudelitatis ejus odio armantur: deinde pugna congreſſi, multos Zelotarum perimunt, cæterosque in aulam regiam compellunt, quam Grapte ædificaverat: hæc autem fuerat cognata Izatæ Regis Adiabenorum. Una vero irrupere Idumæi, atque inde Zelotis in fanum pulſis, Joannis pecunias prædabantur: in aula enim ſupra dicta & ipſe degebat, & tyrannidis ſpolia depoſuerat. Inter hæc autem Zelotarum qui per civitatem diſperſi erant, ad illos qui in templum fugerant aggregati ſunt: eosque Joannes adverſus populum & Idumæos educere cogitabat. Iſtis autem non tam impetus eorum metuendus erat, cum pugna plus poſſent, quam confidentia, ne de templo nocte ſubreperent, ſeque pariter occiderent, atque oppidum concremarent. Itaque collecti cum Pontificibus deliberabant, quonam pacto impetum præcaverent. Sed profecto Deus ſententias eorum in deterius vertit, & interitu acerbius excogitabant ſalutis remedium: nam ut Joannem dejicerent, Simonem recipere ſtatuerunt, & cum precibus alterum ſibi tyrannum imponere. Itaque decreto obtemperatur; miſſoque Matthia Pontifice, rogant Simonem ut ad ſe introiret, quem ſæpe timuerant;

Omnis fugæ via abſciſſa.

Diſſidium Zelotarum & Idumæorum.

Pugna Zelotarum in templo cum Idumæis & populo.

rant; cum his autem precatores erant, etiam qui Zelotas Hieroſolymis fugerant, domus quisque ſuæ deſiderio & fortunarum. Ille autem nimis ſuperbe ſe dominum fore pollicitus, veluti civitatem liberatus ingreditur, cum ſalutis eum datorem ac defenſorem ſui populi clamor deſignaret: ubi vero cum ſuis copiis introjit, mox de propria potentia deliberabat: nec minus eos a quibus rogatus erat, quam eos contra quos fuerat advocatus, inimicos putabat. Joannes autem cum multitudine Zelotarum templo exire prohibitus, amiſſis etiam quæ in civitate habebat (nam ſtatim res eorum Simon cum ſociis diripuerat) ſalutem jam deſperabat. Templum tamen adjuvante populo Simon aggreditur. Illi autem in porticibus, perque propugnacula ſtantes impetum propulſabant: multique ex Simonis parte oppetebant, multi ſaucii referebantur, quoniam Zelotæ ad dexteram ſuperiores erant, eoque ictus impenetrabiles habebant. Et quamvis loco plus poſſent, turres tamen quatuor maximas fabricaverant, ut ex alto videlicet miſſilia torquerent: unam ad orientalem angulum, ad ſeptentrionalem alteram, ſuper Xyſtum tertiam, in angulo alio contra civitatem *inferiorem*. Quarta vero turris ſupra verticem Paſtophoriorum condita erat: ubi moris eſt unum de ſacerdotibus aſtantem poſt meridiem, quod ſeptimus quisque dies inciperet, tuba ſignificare: rurſusque veſperi, quod deſineret, nunc ferias populo, nunc ut opus faciat denuncian-tem. Per turres autem diſpoſuerunt baliſtas ſaxorumque tormenta, & ſagittarios & fundarum ſcientes. Itaque tunc Simon pigrius ad impetus movebatur, cum ſuorum plerique mol-

A. M. 4033. P.C.N. 71.

Simon magno clamore civitatem intrat.

Simon templum, in quo Zelotæ erant aggreditur

Sacerdotum officium, quod ſeptimus quisque dies inciperet, tuba ſignificare.

A. M. 4033. P.C.N. 71. lescerent: amplioribus tamen copiis fretus, propius accedebat; machinarum enim missilia delata longius, multos pugnantium perimebant.

## CAPUT X.

*De Vespasiano in Imperatorem electo.*

Vitellius totam urbem Romam pro castris habet.

PEr idem tempus Romanos quoque sæviora mala circumveniunt: aderat enim ex Germania Vitellius cum exercitu, aliam præterea ingentem multitudinem secum trahens. Et cum eum destinata militi spatia non caperent, totam urbem pro castris habebat, omnemque domum replevit armatis; illi autem conspectis Romanorum divitiis oculis insuetis, & auri argentique stupore perfusi, vix cupidinem continebant, adeo ut in rapinas se converterent, & eos qui obstare conarentur, occiderent. Et in Italia quidem ita res erant. Vespasianus autem postquam Hierosolymis proxima depopulatus, Cæsaream revertebatur, audiit Romanorum tumultus, & Vitellium principem. Hoc autem, licet ipse imperium pati, sicut bene imperare nosset, ad indignationem perductus est: dominumque dedignatur eum, qui veluti desertum invasisset imperium. Dolore autem saucius cruciatum ferre non poterat, neque aliis vacare bellis, cum patria vastaretur. Verumtamen quantum ira impellebatur ad ulciscendum, tantum longinquitatis cogitatio reprimebat: multa enim fortunam posse nova facere, priusquam ad Italiam, præsertim hyemis tempore ipse transiret: plusque jam crescentem iracundiam cohibebat. Rectores autem cum militibus con-

Vespasianus imperium pati, sicut bene imperare novit.

ve-

venientes, aperte jam de mutatione tractabant: & cum indignatione vociferantes, incusabant Romæ constitutos milites, & in deliciis agentes, qui ne famam quidem belli sustineant, quibus libuerit decernere Principatum, & spe quæstus Imperatores creare. Se autem laboribus tot exactis sub galeis senescentes, aliis condonare potestatem, cum apud se digniorem habeant imperio, cui si hanc amiserint, quam justiorem, vel quando referrent erga se benevolentiæ gratiam? Tanto autem Vespasianum quam Vitellium justius esse principem fieri, quanto illis qui eum declarassent ipsi præstarent: non enim se minora pertulisse bella, quam qui ex Germania venissent: neque illis qui tyrannum inde deducerent, in armis deteriores esse. Nullum autem *in* creando Vespasiano fore certamen; non enim senatum populumve Romanum, Vitellii libidines pro Vespasiani pudicicia perpessuros: nec pro bono Imperatore crudelissimum tyrannum, aut filium pro patre optaturos Principem. Maximum enim pacis tutamen esse, veram in Imperatore præstantiam. Ergo sive peritiæ senectutis debeatur imperium, habere se Vespasianum: sive adolescentiæ viribus, Titum; ex amborum enim ætate quod sit commodum decerpturos. Non solum autem se ministraturos declarati imperii vires, qui tres legiones regumque habeant auxilia: sed etiam totum orientem partemque Europæ extra Vitellii timorem constitutam: atque insuper qui essent in Italia propugnatores Vespasiani, fratrem atque alium filium: quorum alteri multos dignitate præditos juvenes sociatum iri sperabant, alteri vero etiam urbis esset commissa præfectura: quæ

A. M. 4033. P.C.N. 71.

Rectores aperte cum militibus convenientes de mutatione tractant.

Vespasiani pudicitia & modestia.

Causæ impulsivæ eligendi Vespasianum Imperatorem.

pars

A. M. 4033. P.C.N. 71. pars ad imperii principia non parum valeret. Poſtremo ſi ipſi ceſſarent, ſenatum fortaſſe declaraturum eum principem, quem conſervatores milites dehoneſtarent. Hæc primo per cuneos milites loquebantur; deinde ſe adhortati invicem, Veſpaſianum Imperatorem appellant: eumque ut in periculo conſtitutum imperium conſervaret, orabant. Illi autem olim quidem rerum omnium cura fuit, nequaquam vero imperare volebat, dignum quidem ſe factis exiſtimans, privatæ autem vitæ ſecuritatem, clarioris fortunæ periculis anteponens. Recuſanti autem rectores magis inſtabant: & circumfuſi milites cum gladiis, mortem ei minabantur, niſi vivere vellet, ut dignus eſſet: diu tamen reluctatus, quod renuebat imperium, poſtremo cum his, qui ſe deſignaverant, minime diſſuadere poſſet, accepit.

Milites Veſpaſianum Imperatorem appellant.

## CAPUT XI.

### *Ægypti deſcriptio & Phari.*

MUtiano autem cæterisque rectoribus, qui eum ad imperium invitaverant, & exercitu alio vociferante, ut ſe in hoſtes omnes duceret, prius res Alexandrinas procurandas putavit: ſciens Ægyptum plurimam eſſe partem imperii, propter frumentariam functionem: eaque ſi potitus eſſet, vi quoque, ſi perſtaret, Vitellium dejiciendum ſperabat, nec enim perpeſſurum eſſe populum fame oppreſſum. Simul etiam duas legiones, quæ apud Alexandriam degerent, ſibi cupiebat adjungere. Cogitabat etiam propugnaculo ſibi fore illam regionem, adverſus incerta fortunæ. Nam & terra difficilis acceſſu, ma-

Terminus Ægypti.

marique importuosa est: & ab occidente quidem aridam Libyam habet objectam, a meridie vero limitem, qui Syenem ab Æthiopia dirimit, navibusque invias Nili fluminis cataractas: itemque ab oriente mare rubrum, ad Copton civitatem usque diffusum. Septentrionale vero munimentum habet terram usque ad Syriam, & quod dicitur Ægyptium pelagus, totum portubus carens. Hoc quidem modo Ægyptus ex omni parte tuta est. Inter Pelusium vero & Syenem, per duo millia stadiorum porrigitur. Ex Plinthine autem ad Pelusium navigatio est stadiorum trium millium & sexcentorum. Nilus autem ad Elephantinem oppidum usque navibus ascenditur; namque ulterius progredi, ut supra diximus, cataractæ non sinunt. Portus autem Alexandrinus etiam in pace navibus aditu difficilis est, nam & ostium peranguſtum habet, saxisque latentibus a directo cursu deflectitur: & læva quidem pars manu factis brachiis cingitur: a dextera vero Pharus objecta insula turrim maximam sustinet, ad trecenta usque stadia navigantibus igne lucentem, ut quam longissime difficultatem applicandarum navium præcaveant. Circum hanc autem insulam, opere instructo ingentes muri sunt, quibus afflictum pelagus, & adversis obicibus fractum, asperiorem facit meatum, eoque periculosum per anguſtiam aditum. Intus tamen portus ipse tutissimus est, & triginta stadiis magnus; in quem tam quæ desunt illi terræ ad beatitudinem devehuntur: quam quæ superant ex bonis domesticis & indigenis, in totum orbem divisa exportantur. Itaque non sine ratione, Vespasianus Alexandrinarum rerum erat cupidus, ad to-

A. M. 4033. P.C.N. 71.

Longitudo & latitudo Ægypti.

Turris altissima in insula Pharo, ad trecenta usque stadia navigantibus igne lucens.

A. M. 4033. P. C. N. 71. tius imperii firmamentum. Proinde ſtatim ad Tiberium Alexandrum literas dedit, qui Ægyptum & Alexandriam regebat, indicans militum alacritatem: quodque ipſe (quod neceſſe fuit) ſuſcepto munere principatus, operam atque adjumentum ejus aſſumeret. Alexander autem, ſimul ut Veſpaſiani legit epiſtolam, prompto animo, & legiones ejus Sacramento rogavit & populum: utrique autem libentiſſime paruere, virtutem viri ex proxima adminiſtratione ſcientes. Et ille quidem permiſſa ſibi poteſtate, omnia quæ imperii uſus exigeret, adventui quoque principis neceſſaria jam parabat.

Tiberius Alexander Ægyptum & Alexandriam regit.

## CAPUT XII.

### *Veſpaſianus Joſephum captivitate liberat.*

Veſpaſianus communi ſuffragio Imperator declaratur & corona donatur.

OPinione vero citius declaratum in oriente Veſpaſianum Imperatorem, ubique fama nunciavit. Et univerſæ quidem civitates feſtos dies habebant, nunciique lætitiam pro eo ſimul & ſacrificia celebrabant; legiones vero apud Mœſiam, Pannoniamque degentes, quæ propter Vitellii audaciam paulo ante fuerant concitatæ, jusjurandum Veſpaſiano majore gaudio præbuerunt. Veſpaſianus autem Cæſaream reverſus, jam Berytum venerat, ubi multæ quidem e Syria, multæque ab aliis provinciis legationes aderant obviam, coronas ei & gratulatoria decreta a ſingulis civitatibus offerentes. Affuit autem rector etiam provinciæ Mutianus populorum alacritatem, juramentaque per ipſum principem Sacramenta renuncians. Ubique autem Veſpaſiani votis obſecundante fortuna, rebusque ad eum plurima ex parte inclinatis, cogitare cœpit, quod

quod non ſine Dei providentia ſumpſiſſet impe- A. M.
rium; ſed juſta quædam fati ratio, ad ejus po- 4033.
teſtatem circumduxiſſet rerum omnium princi- P.C.N.
patum. Recordatus autem ſigna, & alia (mul- 71.
ta enim ſibi contigerant imperium præmonſtrantia) & Joſephi dicta, quibus eum Nerone vivo auſus fuerat appellare Imperatorem, admirabatur virum, quem adhuc habebat in vinculis: advocatoque Mutiano cum amicis & rectoribus aliis, primum quam ſtrenuus fuiſſet Joſephus, quantumque Jotapatenis expugnandis propter eum laboraſſet, exponit; deinde vaticinationes ejus, quas ipſe quidem timoris cauſa ſuſpicaretur eſſe figmenta: tempus autem divinas fuiſſe, & rerum exitus probaviſſet. Tumque inhoneſtum eſſe ait, ut qui ſibi auguraſſet imperium, vocisque Dei miniſter ac nuncius extitiſſet, adhuc captivi loco haberetur, fortunamque ſuſtineret adverſam: vocatumque ad ſe Joſephum ſolvi jubet. Hoc autem facto, alii quidem rectores ex ea gratia, quam alienigenæ retuliſſet, præclara etiam de ſe ſperanda eſſe arbitrabantur. Titus vero, qui cum patre aderat, juſtum eſt, inquit, pater una cum ferro etiam probro Joſephum ſolvi, erit enim tanquam nec initio vinctus ſit, ſi non diſſoluerimus, ſed incideriimus catenas; namque id agi ſolet in his, qui non recte fuerint vincti. Eadem Veſpaſiano placebant, & quidam interveniens ſecuri catenas abrupit. Joſephus quidem pro his quæ prædixerat, præmio famæ donatus, & de futuris jam dignus, cui credendum eſſet, habebatur.

Veſpaſianus cum amicis & Rectoribus, de Joſepho liberando deliberat.

Joſephus præmio famæ donatus e vinculis liberatus.

A. M. 4033. P.C.N. 71.

## CAPUT XIII.

*De Vitellii morte & moribus.*

Vespasianus Romam tendere cogitat.

VEspasianus autem responso legationibus reddito, justeque pro meritis administrationibus ordinatis, Antiochiam venit. Et quonam primum tenderet cogitans, Alexandrino itinere præstabilius esse duxit, quæ Romæ agerentur, curare. Alexandriam enim stabilem esse, Romanas autem res a Vitellio perturbari. Mittit igitur in Italiam Mutianum cum multis equitum peditumque copiis; qui tamen propter hyemis asperitatem veritus navigare, per Cappadocas & Phrygas ducit exercitum. Inter hæc autem Antonius Primus adducta legione tertia ex his, quæ apud Mœsiam morabantur (illam enim regebat provinciam) bellum gerere cum Vitellio properabat. Vitellius autem cum magna manu Cæcinnam obviam ei mittit. Is autem Roma profectus, quamprimum circa Cremonam Galliæ Antonium consequitur, quæ confinis Italiæ civitas est: ibique conspecta hostium ordinatione ac multitudine, prælio quidem congredi non audebat: discessum autem periculosum reputans, de proditione deliberabat. Convocatis autem centurionibus & tribunis sibi subditis, ut transirent ad Antonium suadebat: Vitellii quidem rebus detrahens, Vespasiani autem vires extollens: & alterum nomen imperii tantum, alterum virtutem habere commemorans: ipsis quoque melius esse, si id sponte faciant, quod necesse est: cumque se multitudine superatum iri sciant, voluntate periculum prævenire. Nam & Vespasianum quidem idoneum esse etiam sine ipsis ad reliqua vindi-

Cæcinna milites ut a Vitellio deficerent & Vespasiano se conjungerent, hortatur.

can-

canda: Vitellium vero ne cum ipsis quidem præsentia posse servare. Multa loquutus in hunc modum, quod voluit persuasit: & cum milite transfugit ad Antonium. Eadem vero nocte milites pœnitudo simul ac metus ejus, si vicissset, a quo missi fuerant, occupavit, eductisque gladiis Cæcinnam obtruncare voluerunt; fecissentque, nisi his advoluti tribuni supplicassent: quamobrem cæde quidem se abstinuerunt, vinctum autem quasi proditorem Vitellio transmittendum habebant. His auditis Primus Antonius continuo suos movet, eosque cum armis in defectores ducit. Illi autem instructi ad prælium, paulisper quidem restiterunt; mox autem loco pulsi, Cremonam fugerunt. Primus autem comitatus equitibus cursus eorum prævertit: & ante civitatem circumclusam pleramque multitudinem peremit: aggressus autem reliquos, oppidum militibus prædari permisit: in quo multi quidem hospites mercatores, multi vero indigenæ periere, totusque Vitellii exercitus, virorum triginta millia & ducenti, quin & Antonius eorum, quos de Mœsia adduxerat, quatuor millia & quingentos amittit: solutum autem vinculis Cæcinnam, rerum gestarum nuncium ad Vespasianum mittit: qui ad eum intromissus & collaudatus est, & proditoris dedecus insperatis protexit honoribus. Romæ autem Sabinus ubi Antonium appropinquare cognovit, fiducia recreatus est: collectisque vigilum cohortibus, nocte occupat Capitolium; luce vero facta multi nobilium sociati sunt ei, & Domitianus fratris filius, pars ingens obtinendæ victoriæ. Sed Vitellius de primo quidem minime curabat: his autem iratus, qui cum Sabino defecerant, & nobi-

A. M. 4033. P.C.N. 71.

Cæcinna propter proditionem a suis capitur.

Vespasianus Cæcinnæ proditoris dedecus insperatis protegit honoribus

Sabinus Romæ Capitolium occupat, & a Vitellio deficit.

A. M. 4033. P.C.N. 71. lium ſanguinem pro ingenita crudelitate ſitiens, immittit Capitolio quam ſecum adduxerat militum manum: ubi multa ab his, itemque ab illis, qui templum tenebant, pugnantibus, audacter admiſſa ſunt: poſtremo autem Germani, quod multitudine ſuperabant, collem obtinuerunt. Et Domitianus quidem cum multis Romanorum viris inſignibus, divina quadam ratione ſalvus evaſit: reliqua vero multitudo tota laniatur. Et Sabinus quidem ad Vitellium ductus occiditur: milites autem direptis donariis, templum incendunt. Tumque poſtero die cum exercitu venit Antonius, eumque Vitellii milites excipiunt: & trifario commiſſo intra urbem prælio, omnes interiere. Procedit autem ebrius de palatio Vitellius, & ut aſſolet in extremis longiore luxu prodigæ menſæ refertus: tractus autem per populum, varioque contumeliarum genere dehoneſtatus, in media urbe jugulatur, octo menſes ac dies quinque potitus imperio: quem ſi vivere diutius contigiſſet, ut opinor, ejus luxuriæ minime ſufficere potuiſſet imperium: aliorum vero mortuorum ſupra quinquaginta millia numerata ſunt. Hæc quidem geſta ſunt die tertio menſis Octobris. Poſtero autem die Mutianus cum exercitu Romam ingreditur, & Antonii militibus a cæde repreſſis (adhuc enim hoſpitia perſcrutando, & Vitellii milites, & ex populo plurimos, qui cum illo ſenſerant, occidebant, examinationis diligentiam iracundia prævenientes) Domitianum productum populo rectorem inſinuat usque ad patris adventum: populus autem jam timore liberatus, Imperatorem prædicat Veſpaſianum: ſimulque

Vitellius interficitur.

Populus Romanus Veſpaſianum Imperatorem prædicat.

que & illum confirmatum, & Vitellium esse de- A. M.
jectum festa lætitia celebrabat. 4033.
P.C.N.
71.

## CAPUT XIV.

*Titus mittitur contra Judæos a patre.*


CUm autem Vespasianus Alexandriam venisset: gesta ei Romæ nunciata sunt, & legati ei ex toto orbe congratulantes affuerunt: cumque maxima post Romam civitas esset, angustior multitudini videbatur. Firmato autem jam totius orbis imperio, rebusque populi Romani præter spem conservatis, Vespasianus in Judææ reliquias intendit animum. Et ipse quidem exacta hyeme, Romam proficisci parabat, resque apud Alexandriam mature componere proponebat: filium vero Titum cum selectis copiis ad excidendam Hierosolymam mittit. Qui terreno itinere Nicopolim usque progressus, ab Alexandria civitate viginti stadiorum intervallo distantem, inde militem longis navibus imponit: Niloque flumine post Medensium tractum, Thmuin usque vehitur: hinc autem egressus in terram, apud Tanin civitatem divertit: unde secunda ei mansio fuit civitas Heraclea, & Pelusium tertia. Hic autem milite per biduum recreato, tertio die Pelusii fines transiit: unamque mansionem profectus per solitudines, ad Casii Jovis templum castra posuit: posteroque die apud Ostracinen, quæ mansio aquæ inops est, ob quam causam advectitia utuntur indigenæ. Hinc apud Rhinocoluram requiescit: & inde

Titus Hierosolymã proficiscitur.

pro-

A. M. 4033. P.C.N. 71. progressus in quartam mansionem, Raphiam venit, quæ prima occurrit Syriæ civitas. Gaza vero quintæ mansionis castra susceipit: & postea in Ascalonem, atque hinc Jamniam, deinde Joppen, & ex Joppe Cæsaream pervenit: decreto apud se, alias militum copias congregare.

Titus Cæsaream pervenit, aliasque militum copias congregat.



FLA-

# FLAVII JOSEPHI DE BELLO JUDAICO LIBER VI.

## SUMMA CAPITUM LIBRI VI.

De bello Judaico.

1. *De triplici seditione apud Hierosolymam.*
2. *Titus explorator Hierosolymæ periclitatur.*
3. *De eruptionibus Judæorum contra Romanos castra metantes.*
4. *De intestina pugna azymorum diebus.*
5. *De Judæorum dolo in Romanorum milites.*
6. *Descriptio Hierosolymorum.*
7. *Deditionem Judæi recusant, & Romanos adoriuntur.*
8. *De casu turris & duorum murorum obtentu.*
9. *De Castore Judæo Romanis illudente.*
10. *De secundo muro bis obtento a Romanis.*
11. *De aggeribus in tertium murum, & oratione prolixa Josephi pro deditione facienda, & fame obsessorum.*
12. *De Judæis crucifixis & aggeribus combustis.*
13. *De muro extructo ab exercitu Romano circa Hierosolymam triduo.*
14. *De fame Hierosolymorum & secundo aggere extructo.*
15. *De cæde Judæorum intra & extra Hierosolymam.*
16. *De sacrilegio circa templum & relatis ex urbe cadaveribus & fame.*

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT I.

*De triplici ſeditione apud Hieroſolymam.*



Itus quidem ad eum modum quem prædiximus, emenſa ultra Ægyptum ad Syriam usque ſolitudine, Cæſaream venerat: ibi enim exercitum decreverat ordinare. Illo autem adhuc apud Alexandriam una cum patre imperium, quod nuper ei Deus permiſerat, diſponente, contigit etiam ſeditionem, quæ apud Hieroſolymam erat, auctam trifariam dividi, & aliam partem in aliam verti: quod ut in malis optimum quis dixerit, factumque juſtitiæ: nam Zelotarum quidem in populum dominatio, quæ autor erat excidii civitatis, unde cœperit, & per quos creverit, diligenter ſuperius declaratum eſt: hanc autem non erraverit quisquam, dicens ſeditionem in ſeditione eſſe factam, ac veluti rabida fera, externorum penuria, in ſua viſcera ſævire ſolet: ſic Eleazarus Simonis filius, qui & ab initio Zelotas in templum a populo ſeparaverat, velut indignari ſimulans ob ea, quæ in dies ſingulos Joannes auderet, cum ne ipſe quidem a cædibus quieſceret: re autem vera ſeſe poſteriori tyranno ſubjectum eſſe minime ferens, ſummæ rei deſiderio, propriæque potentiæ cupiditate, ab aliis defecit: aſcitis etiam Juda Chelciæ filio, & Ezronis Simone potentiſſimis: præter quos erat etiam Ezechias Chobari filius, non ignobilis. Horum ſingulos Zelotæ non exigui ſequebantur: occupatoque interiore templi aditu, ſuper ejus portas in ſacris foribus arma ponunt, & abundare quidem ſe ſuis neceſſariis confidebant: ſacrarum enim rerum copia

Triplex apud Hieroſolymam ſeditio.

ſup-

ſuppetebat, nihil impium exiſtimantibus: pau- A. M.
citati vero ſuorum timentes, plerique in locis 4034.
ſuis otioſi manebant. Joannes autem quanto P.C.N.
ſuperior erat virorum multitudine, tanto loco 72.
ſuperabatur: hoſtesque habens a vertice, neque
ſine metu conabatur incurſus, & præ iracundia
ceſſare non poterat. Plus autem mali perfe- Pugna Jo-
rens, quam Eleazari partem afficiens, tamen annis & Eleazari.
non remittebat; crebri enim fiebant impetus,
& miſſilium jactus, totumque polluebatur cæ-
dibus templum. Filius autem Gioræ Simon, Simon &
quem rebus deſperatis invitatum, ultro ſibi ty- populus
rannum ſpe auxilii populus introduxerat: & ſu- cum Joan-
periorem civitatem retinens, & inferioris pluri- ne in tem-
mam partem, animoſius jam Joannem ejusque plo conſti-
ſocios adoriebatur, quaſi qui deſuper impugna- tuto pu-
rentur: ſubjectus autem illorum manibus erat, gnant.
ſicut & illi ſuperiorum. Et Joannem eveniebat
duplex prælium perferentem, lædi pariter ac
lædere: quantoque vincebatur, eo quod Elea-
zaro eſſet humilior, tanto plus lædebat Simone
celſior conſtitutus: cum inferiores aggreſſus
etiam ſola manu ſine labore prohiberet: deſu-
per vero ex fano jaculantes machinis deterreret.
Quippe baliſtis & non paucis lanceis utebatur,
ſaxorumque tormentis: quibus non ſolum bel-
lantes ulciſcebatur, ſed multos etiam ſacra cele-
brantium perimebat. Quanquam enim ad omne
impietatis genus rabidi ferebantur, tamen eos
qui ſacrificare cuperent recipiebant, cum ſuſpi-
cione & cuſtodibus indigenas perſcrutando. Ho-
ſpites enim etiam qui exoraſſent eorum crude-
litatem, poſt exituri ſubciſiva ſeditionis opera
conſumebantur. Miſſilia namque machinarum
vi ad aram usque templumque pervenientia, in

A. M. 4034. P.C.N. 72. Sacerdotes ſacra celebrantes cadebant: ac multi, qui properantes ab ultimis finibus terræ ad ſanctiſſimum locum veniſſent, ante ipſas hoſtias procubuerunt: aramque univerſis Græcis & Barbaris adorandam, ſuo ſanguine imbuere.

Ingens in templo cædes.

Indigenis autem mortuis alienigenæ, ac ſacerdotibus profani miſcebantur: perque atria divina, ſtagnum fecerat diverſorum cadaverum ſanguis. Quid tantum paſſa es o miſerrima civitas a Romanis, qui tua inteſtina ſcelera purgaturi flammis introiere? Jam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domeſticorum funerum facta ſepulchrum, & quæ fanum civili bello tumulum conſtitueras: poteris autem denuo fieri, poteris, ſi unquam vaſtatorem tui Deum placaveris. Sed enim reprimenda ſunt quæ dolent, lege ſcribendi: quando non domeſtici luctus, ſed exponendarum rerum hoc tempus eſt. Proſequar autem ſeditionis facinora cætera. Ergo diviſis trifariam inſidiatoribus, Eleazarus quidem ejusque ſocii, qui ſacras primitias conſervabant, in Joannem ebrii ferebantur. Qui vero huic parerent, plebem diripientes in Simonem rebellabant, cum ipſi quoque Simoni contra diverſæ partis ſeditioſos adjumento eſſet civitas.

Joannes ex utraque parte appetitur.

Si quando igitur ex utraque parte appetebatur Joannes, obvertebat ſocios ſuos: & de civitate quidem ſubeuntes, miſſis ex porticibus telis, de templo vero jaculantes, machinis ulciſcebatur. Quoties autem deſuper inſtantium moleſtia caruiſſet (frequenter enim ebrietate & laſſitudine ceſſabant) liberius in Simonem ejusque ſocios cum pluribus irruebat. Semper autem quantum in civitate perpuliſſet in fugam verſos, ædes frumenti plenas omniumque utenſilium

filium incendebat: idemque hoc illo regrediente, Simon insecutus agebat: veluti consulto pro Romanis omnia corrumperent, quæ ad obsidionem civitatis erant præparata, suarum virium nervos abscinderent. Denique contigit una exuri omnia circum templum, & inter proprias acies solitudinem atque aream pugnæ fieri civitatem: concremari autem paulo minus omne frumentum, quod non paucis annis sufficere potuisset obsessis: denique fame capti sunt, qua minime quivissent, nisi eam sibimet comparavissent. Undique autem insidiatoribus & confinibus oppugnantibus civitatem, medius populus velut aliquod magnum corpus lacerabatur. Senes vero ac mulierculæ intestinis malis attonitæ, pro Romanis vota faciebant: externumque bellum, quo domesticis malis liberarentur, expetebant. Gravis autem metus ac terror fœdissimus occupaverat: & neque consilii capiendi tempus erat, ut voluntatem mutarent, neque pactionis aut fugæ spes cupientibus. Etenim custodiebantur omnia: dissidentesque latronum principes, quoscunque Romanis pacatos esse, vel transfugere ad eos velle sentirent, quasi communes hostes interficiebant: solumque in occidendis vita dignis concordes erant. Et pugnantium quidem nocte dieque clamor perpetuus erat: sed metu acerbiores erant lugentium questus. Et assiduas quidem lamentationis causas, calamitates præbebant: timor autem includebat ululatus: atque obmutescente dolore præ formidine, tacito gemitu cruciabantur: neque jam aut reverentia vivis apud domesticos erat, neque mortuis cura sepulturæ adhibebatur. Quorum amborum hæc causa erat, quod de se

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Hierosolymitanifrumentum paulo minus omne concremant.

Ingens Hierosolymis calamitas.

Lamentatio & ululatus Hierosolymis.

A. M. 4034. P.C.N. 72. quisque desperabat. In omni enim re animos remiserant, qui cum seditiosis non erant, quasi continuo modis omnibus morituri. At vero seditiosi congesta in tumulum cadavera conculcantes dimicabant: & ex mortuis haurientes audaciam, quos sub pedibus cernerent, immanius sæviebant: semperque aliquid in se pernicioſum excogitantes, & quod visum fuisset sine miseratione facientes, nullam cædis aut crudelitatis viam prætermisere: adeo ut etiam sacris materiis ad bellica conficienda instrumenta Joannes abuteretur. Nam cum olim fulcire templum populo itemque pontificibus placuisset, idque viginti cubitis altius ædificare, Rex quidem Agrippa ex monte Libano aptas ei materias maximis sumptibus & labore devexit: hoc est, ligna & magnitudine simul & directa proceritate spectabilia. Interventu autem belli opere interrupto, Joannes his sectis, quod sufficere longitudinem reperit, turres ædificavit: & adversus eos constituit, qui desuper a templo pugnarent, post muri ambitum contra exedram occidentalem admotas, qua solum poterant, quod aliæ partes gradibus ex longinquo fuerunt occupatæ. Et ille quidem fabricatis ex impietate machinis subactum iri speravit hostes. Deus vero laborem ejus inutilem demonstravit: & priusquam in his quicquam poneret, Romanos adduxit. Etenim Titus, postquam partem ad se collegit exercitus, aliis vero ut ad Hierosolymam occurrerent, scripsit, Cæsaream profectus est. Erant autem tres legiones, quæ pridem sub ejus patre Judæam vastaverant, & duodecima, quæ olim cum Cestio male pugnaverat, quæque licet per id fortitudine esset insignis,

Seditiosorum Hierosolymis immanitas.

Joannes ex lignis ad fulciendum templum comparatis, turres ædificat.

Ordo exercitus Titi.

tunc

tunc tamen eorum etiam memoria, quæ pertulerat, alacrius ad vindictam properabat. Harum quidem quintam legionem juſſit ſibi per Ammaunta occurrere, decimam vero aſcendere per Hierichunta. Ipſe quidem cum cæteris egreſſus eſt, quas Regum quoque auxilia plura quam dudum, multique Syri auxiliares comitabantur. Suppletum eſt autem quatuor legionum quantum Veſpaſianus ſelectum cum Mutiano miſerat in Italiam, ex his qui cum Tito acceſſerant: duo namque millia de Alexandrino exercitu lecta, tria millia vero ab Euphrate eum ſequebantur, & amicorum ſpectatiſſimus benevolentia ſimulque prudentia, Tiberius Alexander, qui antea quidem Ægyptum adminiſtraverat, tunc autem dignus, qui exercitum regeret, propterea judicatus, quod primus incipienti fuit hoſpes imperio, & cum fide clariſſima incertæ fortunæ ſociatus eſt: idemque conſultor in uſus bellicos ætate ac peritia præcipuus aderat. A. M. 4034. P. C. N. 72.

## CAPUT II.

*Titus explorator Hieroſolymæ periclitatur.*

PRogredientem vero in hoſtilem terram Titum, antecedebant regia omniaque auxilia, poſt eos viarum ſtratores, caſtrorumque metatores. Deinde rectorum ſarcinæ atque armati. Poſt hos ipſe Titus, & alios lectos habens & ſigniferos, quorum agmen equites ſequebantur. Hi vero ante machinas ibant, & ſecundum illos una cum lectis tribuni, & præfecti cum cohortibus. Poſt autem circum aquilam ſigna, & ante ſigna tubicines, deinde acies ſenum virorum ordinibus dilatata. Servile autem Titus in Judæam venit.

A. M. 4034. P.C.N. 72. tem vulgus a tergo cujusque legionis, & ante hos ſarcinæ. Omnium vero noviſſimi mercenarii, eorumque cuſtodes coactores agminis. Procedens autem decenter cum exercitu, ita ut mos eſt Romanis, in Gophnam per Samaritidem venit, quæ & prius ab ejus patre fuerat occupata, & tunc præſidiis tenebatur. Ibi autem unam moratus veſperam, mane inde proficiſcitur: peractaque diei manſione, caſtra ponit in loco, quem Judæi ſermone patrio Acanthonaulona vocitant, juxta vicum quendam Gabath Saul nomine, quod ſignificat vallem Saul, diſtantem ab Hieroſolymis ſtadiis fere triginta.

Titus in civitatem, quam tuta ſit Judæorumque animos exploraturus, pergit

Hinc ſexcentis prope lectis equitibus comitatus, perrexit in civitatem, quam tuta eſſet, Judæorumque animos exploraturus: ſi forte ſe conſpecto, prius quam ad manus veniretur, metu cederent: audierat enim, quod erat verum, a ſeditioſis & latronibus oppreſſum populum deſiderare quidem pacem: ſed quod rebellantibus infirmior eſſet, nihil conari. Quamdiu quidem per viam, quæ ad murum duceret, equitabat, nemo ante portas apparuit: ubi vero itinere ad turrim Pſephinon declinato, transverſum agmen equitum duxit, infiniti ſubito proſiliunt, qua Muliebres turres vocantur: & per eam, quæ contra monumentum Helenæ porta eſt, egreſſi, equitatum intercidunt, atque alios quidem etiam tunc via currentes, necum his, qui divertebant ſeſe jungerent, a fronte oppoſiti, prohibuerunt: Titum vero cum paucis ſeparant. Ille autem ultra quidem minus progredi poterat: a muro enim cuncta foſſis patebant, & transverſi erant horti, multisque maceriis impediti: ad ſuos autem in aggere conſtitutos recurſus, intercedente

Titus periclitatur.

te hoſtili manu, deſperabatur. Quorum plerique Imperatoris periculum neſciebant: ſed exiſtimantes eum ſecum reverti, etiam ipſi fugiebant. Titus autem in ſua tantum fortitudine ſitam eſſe proſpiciens ſpem ſalutis, flectit equum: & ut ſe ſequerentur cum clamore comitantes adhortatus, in medios hoſtes irruit, vi ad ſuos tranſire feſtinans. Quo quidem tempore maxime intelligi potuit, & belli momenta & Imperatorum pericula Deum curare. Tot enim adverſus Titum miſſilibus actis, cum neque galea neque thorace ſeptus eſſet (non bellator enim ſed explorator, ut dixi, proceſſerat) nullum in ejus corpus delatum eſt: ſed tanquam ne eum ferirent, ex induſtria mitterentur, omnia prætervolabant: gladio vero ſemper a lateribus inſtantes dirimens, multosque ante ora ſubvertens, ſuper cadentes agebat equum. Illorum autem clamor erat, propter audaciam Cæſaris, ut eum aggrederentur, cohortatio: fugaque & diſceſſio repentina, quocunque diverteret curſum. Huic autem ſe periculi participes, cum a tergo & a lateribus funderentur, adjunxerant: una enim erat unicuique ſpes ſalutis, viam cum Tito patefacere, priusquam circumventus opprimeretur. Denique duorum ex nimis pertinacibus, alter cum equo percuſſus eſt: altero vero dejecto & occiſo, equus ejus abductus eſt. Titus vero cum cæteris in caſtra ſalvus evadit. Judæis quidem, quod aggreſſione prima ſuperiores fuerant, inconſulta ſpes animos extulit, magnamque his in poſterum fiduciam monumentum temporaneum comparavit.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus cum hoſtibus fortiter pugnat

Titus hoſtes fugat & ad ſuos incolumis & ſalvus redit.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT III.

*De eruptionibus Judæorum contra Romanos castra metantes.*

CÆsar autem, postquam ex Ammaunte legio sibi conjuncta est nocte, luce inde digressus ad Scopon accedit, unde jam & civitas & clara templi magnitudo conspici poterat: qua parte septentrionalem regionem civitatis contingens locus humilior, proprie Scopos nominatus est, distans a civitate stadiis septem: ibique duabus legionibus simul, quintæ legioni vero retrorsum stadiis tribus castra muniri jubet, labore namque nocturni itineris attritos milites progredi visum est, ut sine formidine murum struerent. Mox autem cœpto ædificio, decima quoque legio per Hierichunta aderat a Vespasiano præoccupatam: ubi quædam pars armatorum in præsidio fuerat collocata. His autem præceptum erat sexto ab Hierosolymis stadio castra ponere, qua in parte mons, qui appellatur Elæon, contra civitatem ab oriente situs est, altaque interjacente valle discernitur, cui nomen est Cedron. Intra civitatem vero sine requie confligentium dissensionem, tum primum ingens subito bellum foris interveniens refrenavit: & cum stupore seditiosi Romanorum castra inspectantes, trifariam distributa mala, inter se iniere concordiam: rationemque invicem requirebant, quidnam expectarent, quidve perpessi, tres muros contra vitam suam paterentur opponi: belloque tanta se fundente licentia, tanquam spectatores bonorum operum sibique utilium residerent mœnibus clausis, remissisque armis ac manibus. In nosmetipsos profecto, ex-

Castra Titi stadiis tribus ab urbe distant.

Seditiosi concordiam inter se ineunt.

exclamat aliquis, tantummodo fortes ſumus: Romanorum autem lucro ex noſtra ſeditione ſine ſanguine oppidum cedet. His alios atque alios congregantes exhortabantur: raptisque armis, ſubito in legionem decimam ruunt: perque vallem facto impetu, cum ingenti clamore murum ædificantes Romanos aggrediuntur. Illi autem in opere diſtributi, armis ob eam cauſam plerique depoſitis (nec enim excurſum Judæos auſuros eſſe credebant, & ſi maxime vellent, animos eorum ſeditione diſtractum iri arbitrabantur) præter opinionem perturbati ſunt: atque opere quisque derelicto, confeſtim alii receſſere: multi autem ad arma properantes, priusquam ſe in hoſtes converterent, feriebantur. Plures autem Judæis ſemper adjiciebantur, eorum freti victoria qui præceſſerant, & quod cum pauci eſſent, multiplex numerus & ſibi & hoſtibus videbantur, quod ſecunda fortuna uterentur. Romani autem maxime ordinari conſueti, & cum decore atque præceptis bellum gerere ſcientes, ex perturbatione trepidabant: unde tunc quoque præventi aggreſſione cedebant. Si quando tamen ſeſe converterent ab inſequentibus occupati, & a curſu reprimebant Judæos, & ob impetum minus cautos feriebant. Semper vero excurſione gliſcente magis magisque turbati, poſtremo caſtris pulſi ſunt: totaque legio tunc in periculum ventura fuiſſe videbatur: niſi hoc mature ſibi nunciato, Titus eis tuliſſet auxilium: multisque increpans ignaviam, & ſuos a fuga revocaſſet: Judæisque a latere ipſe cum his irruens, quos circa ſe habebat electos, multos quidem occidiſſet, plures vero ſauciaſſet, omnes autem in fugam vertiſſet, atque

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Hieroſolymitani Romanos aggrediuntur.

Romanos Judæi caſtris pellunt.

A. M. 4034. P.C.N. 72. in vallem præcipites compuliſſet. Illi autem prono in loco multa mala perpeſſi, poſtquam in adverſam partem evaſere, flectunt ſe iterum, & valle intercedente cum Romanis dimicabant. Igitur ad medium diem ita bellatum eſt. Paulo autem poſt meridiem Titus his qui ſecum erant in ſubſidio collocatis, aliisque de cohortibus adverſus excurrentes oppoſitis, reliquum agmen ad murum in ſummo montis ædificandum remiſit. Judæis autem hæc fuga eſſe videbatur. Cumque ſpeculator quem in muro poſuerant, amictu agitato ſignum dediſſet, frequentiſſima multitudo tanto impetu proſiliit, ut eorum curſus immaniſſimis beſtiis eſſet aſſimilis. Deinque in adverſa acie ſtantium nemo impetum ſuſtinuit: ſed tanquam machina percuſſi, continuo diſſipati, pulſique in montem refugiunt. In aſcenſu autem medio Titus cum paucis relictus eſt: multumque monentibus amicis, qui pro Imperatoris reverentia contempto periculo perduraverant, ut mortem appetentibus Judæis cederet, neque pro his in diſcrimen veniret, quos ante ipſum ſalvos eſſe non oporteret: ſed potius fortunam ſuam reputaret, quod non militis officio fungeretur, verum & belli & orbis terræ dominus eſſet: neque in tanta fuga ſubſiſteret, in quo omnia niterentur: hæc ne audire quidem ſimulans, & ad ſe accurrentibus obſtabat: eosque in ora feriens, cum vi obniterentur, occidebat, & per declive repente incumbens, multitudinem proturbabat. Illi autem & viribus ejus & obſtinatione perterriti, ne tum quidem in civitatem fugere: ſed in utrumque latus ab eo declinantes, rurſum fugientes inſequebantur: quos tamen aggreſſus a latere, ipſorum quo-

Pugna Judæorum cum Romanis.

Romani a Judæi diſſipati, pulſique in montem refugiunt.

Titi contra Judæos fortitudo.

quoque impetum præpediebat. Dum hæc agun- A.M.
tur, etiam illos, qui ſuperiora caſtra muniebant, 4034.
ubi fugere inferiores videre, metus ac turba oc- P.C.N.
cupat: totumque agmen diſpergitur, ſuſpican- 72.
tium excurſum quidem Judæorum ferri non poſ- Metus ac turba inter Romanos.
ſe, Titum vero in fugam verſum: nec enim unquam illo manente alios fugituros fuiſſe, & tanquam Panico terrore circumdati, alius alio ferebantur: donec quidam, cum in media pugna verſari Imperatorem vidiſſent, plurimum metuentes, univerſæ legioni ejus periculum cum clamore nunciaverunt. Itaque pudore revocati, & fuga majus aliquid ſibi exprobrantes, quod Cæſarem deſeruiſſent, totis viribus in Judæos utebantur, & ſemel impulſos urgebant per declivia. Illi autem paulatim recedentes pugnabant: cumque Romani plus poſſent, eo quod ſuperiores erant, in vallem omnes coacti ſunt. Titus autem contra ſe poſitis imminebat: & legionem quidem ad muri fabricam redire jubet: ipſe vero cum his, quibus antea, reſiſtendo hoſtes arcebat. Itaque ſi me nihil addentem obſequio, neque invidia detrahentem, verum dicere oportet, ipſe Cæſar bis totam legionem periculo liberavit, atque ita caſtra muniendi copiam militibus præbuit.

Judæi recedentes pugnant, & in vallem coguntur.

## CAPUT IV.

*De inteſtina pugna azymorum diebus.*

REmiſſo autem pauliſper bello externo, iterum inteſtinum ſeditio ſuſcitavit. Azymorumque inſtante die, qui eſt Aprilis menſis quartus decimus (hoc enim ſe primum tempore opinantur Judæi ab Ægyptiis eſſe liberatos) Elea-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

zarus quidem cum ſociis portam ſubaperiens, introire cupiebat ex populo, qui templum adorare cuperent. Joannes autem die feſto ad protegendas inſidias uſus eſt, & ſuorum quosdam ignotiores, armis ſub veſtibus latentibus inſtructos, quorum plerique impuri erant, occulte inter alios fani occupandi gratia ſubmittit; illi autem poſtquam intravere, veſtimentis abjectis, ſubito armati apparuerunt. Magna vero ſtatim turba circa templum ac tumultus erat, cum alienus quidem a ſeditione populus, omnibus ſine diſcrimine putaret, Zelotæ vero ſibimet ſolum inſidias comparatas. Verum hi quidem relicta portarum cuſtodia, & alii ex propugnaculis deſilientes, priusquam manus conſererent, in templi cloacas confugere. Populares vero ad aram delati, & circum templum appulſi conculcabantur, cum lignis paſſim ferroque cæderentur. Multos autem occiſorum inimici privato odio, quaſi diverſæ factionis ſocios interficiebant. Et quicunque antehac inſidiatorem aliquem offenderat, tunc agnitus quaſi Zelotes ducebatur ad mortem. Sed qui atrocitate magna innocentes afficerent, inducias conceſſere nocentibus, progreſſosque ex cloacis dimiſerunt: ipſi autem interius templum & omnes ejus apparatus tenentes, confidentius oppugnabant Simonem. Seditio quidem hoc modo, quæ tripartita fuerat, in duas partes divisa eſt. Titus autem caſtra propius civitatem transferre cupiens de Scopo, contra excurſus quidem lectos equites ac pedites, quos ſatis eſſe arbitrabatur, poſuit; alium vero exercitum juſſit totum quod erat usque muros ſpatium complanare. Cunctis igitur maceriis ac ſepibus dirutis, quibus hortos

Joannes interius templum omnesque ejus apparatus occupat, Zelotas fugat ac ingentem ſeditionem concitat.

Tripartita ſeditio in duas partes diviſa.

Quicquid circa Hierololymam cavum eſt, & vallibus impeditum, replent.

ac

ac prædia incolæ præmunierant, omnique opposita quamvis frugifera sylua exciſa, repletum est quicquid erat cavum & vallibus impeditum, saxorum autem eminentiſſimis ferro truncatis, humiliorem totum illum tractum a Scopo usque ad Herodis monumenta fecerunt, serpentium stagnum continentia, quod olim Bethora vocabatur. A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT V.

*De Judæorum dolo in Romanorum milites.*

HIs denique diebus Judæi Romanis hujusmodi insidias paravere. Seditioſorum audaciſſimi extra muliebres (quæ sic appellabantur) progressi turres, simulato quod pacis eos studioſi pepulisſent, & quod timerent impetum Romanorum, ibidem versabantur, & alter sub altero vitabundi latebant. Alii vero per muros dispositi, populumque se esse simulantes, clamore pacem implorabant, fœdusque poscebant: portasque se patefacturos esse pollicentes, invitabant Romanos. Hoc autem vociferantes, una etiam contra suos, veluti portis eos abigerent, lapides jaciebant: illique se vi perrumpere aditus velle simulabant, & civibus supplicare: cumque ad Romanos sæpissime ire conarentur, reversi perturbatis similes videbantur. Verum hæc eorum calliditas, apud milites quidem fide non carebat: sed tanquam hos quidem in manibus haberent paratos ad supplicium, illos vero civitatem sibi aperturos sperarent, opus aggredi festinabant. Tito autem suspecta erat invitatio, quia rationem non haberet: pridie namque provocatos eos ad pactionem

A. M. 4034. P.C.N. 72.

nem per Josephum, nihil mediocre sentire cognoverat, etiam tunc igitur milites manere loco suo præcepit. Jam vero quidam operibus appositi, raptis armis ad portas excurrere cœperant. Hi autem qui expulsi videbantur, primo quidem cedebant: deinde ubi ad turres portæ propinquabant, cursu eos circumveniunt, & a tergo prosequebantur: qui vero in muro stabant, lapidum his multitudinem, omnigenumque telorum simul infundunt: adeo ut multos quidem necarent, plurimos vero sauciarent, nec enim facile erat a muro diffugere, aliis retro violenter instantibus, & præter hoc pudor, quod rectores peccaverant, itemque metus in delicto perseverare suadebat. Quamobrem cum hoste diu decernentes, multis vulneribus acceptis, neque paucioribus redditis, postremo eos a quibus circumventi fuerant repulere: quos tamen recedentes usque ad Helenæ monumentum, Judæi urgendo jaculis sequebantur; deinde insolenter fortunæ maledicentes, & Romanos vituperabant fraude pellectos: scutaque alte sublata crispantes tripudiabant, & cum lætitia vociferabantur. Milites autem interminatio principum, & Cæsar iratus, hujusmodi oratione corripuit: Judæi quidem, quos sola regit desperatio, omnia cum deliberatione faciunt atque prudentia, fraudes & insidias componendo, eorumque dolos fortuna prosequitur, quod sunt morigeri, sibique invicem benevoli ac fideles: Romani vero, quibus ob disciplinam & consuetudinem obediendi rectoribus fortuna famulatur, nunc contra peccant, & intemperantia manuum debellantur: quod omnium est pessimum, præsente Cæsare, sine rectore dimicantes. Certe, inquit, plu-

Romanorum militum contra Titi præceptū alacritas.

Judæorum victoria.

Cæsaris ad milites acris oratio.

plurimum ingemiſcent militiæ leges, plurimum pater, cum hoc vulnus audierit: ille quod cum bellando ſenuerit, nunquam iſto modo peccarit; leges autem, ſi cum in eos qui minimum quid præter ordinem moverint, morte vindicent, nunc totum deſertorem exercitum videant. Modo autem ſcituros eſſe eos ait, qui arroganter egere, quod apud Romanos etiam vincere ſine præcepto ducis, infamiæ eſt. Hæc Titus ad rectores locutus cum indignatione; certus erat, qua lege in omnes erat uſurus. Et hi quidem abjecerunt animos, quaſi jam jamque juſte morituri: circumfuſæ vero legiones Titum pro commilitonibus obſecrabant: paucorumque temeritatem condonari cunctorum obedientiæ precabantur: emendaturos enim peccatum præſens, futuræ compenſatione virtutis. Placatus eſt Cæſar, utilitate ſimul ac precibus: namque unius hominis animadverſionem usque ad factum promovendam putabat, multitudinis vero ad veniam. Militibus quidem reconciliatus eſt, multum monens, ut poſt hæc prudentius agerent: ipſe vero, quemadmodum Judæorum ulciſceretur inſidias, cogitabat. Intervallo autem, quod usque ad muros civitatis erat, per quatriduum coæquato, ſarcinas aliamque multitudinem cupiens tuto traducere, militum validiſſimos a ſeptentrionali tractu in occiduum ſeptemplici ordine contra murum prætendit, peditibus in fronte, ac poſt eos equitibus acie terna diſpoſitis, mediisque inter utrosque ſagittariis. Excurſibus autem Judæorum tanto præſidio præclufis, impedimenta trium legionum, itemque alia multitudo ſine timore tranſiit. Ipſe quidem Titus cum prope duobus ſtadiis abeſſet a mu-

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Romani milites Titum pro commilitonibus obſecrant.

Quomodo & quibus in locis Hieroſolymam Titus obſidione cinxerit.

A. M. 4034. P.C.N. 72. a muro, ad anguli ejus partem contra turrim quæ appellatur Pſephinos, caſtra ponit: ad quam muri ambitus ex aquilone pertinens, flectitur ad occidentem; altera vero pars exercitus eam turrim verſus, quæ appellatur Hippicos, muro circumdatur, duum ſtadiorum ſpatio ſimiliter civitate diſcedens: decima tamen legio in Elæon monte, ubi erat, manebat.

## CAPUT VI.

*Deſcriptio Hieroſolymorum.*

Trinus Hieroſol. murus.

CIvitas autem trino muro circumdata erat, niſi qua vallibus inviis cingebatur: ex ea namque parte, unius muri habebat ambitum, & ipſa quidem ſuper duos colles erat condita, contrariis frontibus ſemet inſpicientes, interveniente valle diſcretos, in quam domus creberrimæ deſinebant: collium vero alter, quo ſuperior civitas ſedet, multo eſt excelſior & in prolixitate directior: adeo ut quoniam tutus erat, caſtellum a David quondam Rege vocaretur (is pater Salomonis fuerat, qui primus templum ædificaverat) a nobis autem forum ſuperius: alter autem, qui appellatur Acra, inferiorem ſuſtinet civitatem, & undique declivis eſt. Contra hanc autem tertius collis erat, natura humilior quam Acra, & alia lata valle ante diviſus: verum poſtea qua tempeſtate Aſamonæi regnabant, & vallem aggeribus repleverunt, ut templo conjungerent civitatem, & Acræ altitudinem cæſam humiliorem fecerunt, ut ex ea quoque fanum ſupereminens cerneretur. Vallis autem quæ Tyropœon appellatur, qua diximus ſuperioris civitatis collem dirimi ab inferiori,

Caſtellum David.

Acra, inferiorem civitatem ſuſtinet.

us-

usque ad Siloam pertinet; ita enim fontem, qui dulcis est ac plurimus, vocabamus. Foris autem civitatis duo colles profundis vallibus cingebantur, & utrinque obstantibus rupibus, nulla ex parte adiri poterant. Trium vero murorum vetustissimus quidem, propter valles imminentemque his desuper collem, quo erat conditus, facile capi non poterat; ad hoc autem quod loco præstabat, etiam firmissime structus erat, David & Salomonis aliorumque interea Regum largissimis impensis operi insumptis. Hac autem parte incipiens a turri, cui nomen est Hippico, & ad eam quæ dicitur Xystus pertinens: deinde curiæ conjunctus, in occiduam templi porticum desinebat: parte autem altera ad occidentem ex eo loco ductus, per eum qui vocatur Betifo descendens in Essenorum portam: deinde supra fontem Siloam in meridiem flexus, atque inde rursus in orientem versus, qua stagnum Salomonis est, & usque ad locum pertinens, quem Ophlan vocant, cum orientali porticu templi conjungitur. Secundus autem murus, a porta quidem habebat initium, quam Genath appellabant: hæc autem fuerat muri prioris: septentrionalem vero tantummodo tractum ambiens, usque ad Antoniam ascendebat. Tertio muro turris Hippicos principium dabat: unde ad Boreæ tractum pertinens, deinde ad Psephinam turrim veniens, contra munimentum Helenæ, quæ Adiabenorum Regina fuerat, Izatæ Regis mater, & per speluncas regias in longum ductus, a turri quidem in angulo posita flectebatur contra Fullonis quod dicitur monumentum; cum vetere autem ambitu junctus in Cedron vallem, quæ sic dicitur, desinebat.

A. M. 4034 P.C.N. 72.

Fons Siloa

Murus vetustissimus

Secundus murus.

Tertius murus.

A. M. 4034. P.C.N. 72. Hoc muro eam partem civitatis, quam ipſe addiderat Agrippa cinxerat, cum eſſet omnis ante nuda: exuberans enim multitudine, paulatim extra mœnia ſerpebat: templique ſeptentrionali regione colli proxima civitati adjuncta non paululum proceſſerat; quin & quartus collis incolebatur, cui nomen eſt Bezetha, ſitus quidem ex adverſo Antoniæ, foſſis autem altiſſimis ſeparatus: quæ de induſtria ductæ ſunt, ne Antoniæ fundamentis colli cohærentibus, & acceſſui facilis ſit, & minus edita: unde etiam foſſæ altitudo plurimum turribus celſitudinis adjiciebat. Nominata eſt autem pars addita civitati voce indigena Bezetha, quod Latino ſermone dicitur nova civitas. Ejus autem partes incolis protegi deſiderantibus, pater hujus Regis eodem nomine Agrippa, murum quidem ita ut prædiximus inchoarat; veritus autem Claudium Cæſarem, ne magnificentiam conſtructionis ad novarum rerum ac diſcordiæ ſuſpicionem traheret, fundamentis tantummodo jactis, ab opere deſtitit. Nec enim expugnabilis eſſet civitas, ſi perfeciſſet muros ut cœperat. Saxa enim viginti cubitis longa, & decem lata contexebantur: quæ neque ferro facile ſuffodi poſſent, neque machinis dimoveri: hisque murus dilatabatur; profecto altitudinis quoque plus habuiſſet, ſi ejus magnificentia, qui ædificium aggreſſus erat, minime fuiſſet inhibita. Rurſus autem idem murus, etiam Judæorum ſtudio fabricatus, ad viginti cubitos crevit, & minas quidem binis cubitis, propugnacula vero trinis habebat: totaque altitudo ad viginti quinque cubitos erigebatur. Murum autem ſupereminebant turres, viginti quidem cubitis in latitudinem,

Bezeta quartus collis.

Agrippæ in extruendo muro ſumptus.

vi-

viginti vero in altitudinem, quadratis angulis ſtructæ, & ſicut ipſe murus plenæ ac ſolidæ: præterea ſtructura ac pulchritudo ſaxorum nihil erat templo deterior: poſt altitudinem vero turrim ſolidam, viginti cubitis elatam, cellæ deſuper ac cœnacula erant, aquarumque pluvialium receptacula, & tortuoſi latique ſingularum aſcenſus. Ejusmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat: earum autem intervalla cubitos ducentenos: medius vero murus in quatuordecim turres, & antiquus in ſexaginta, diviſi erant: omne autem civitatis in gyro ſpatium triginta tribus ſtadiis finiebatur. Cum autem totus admirabilis eſſet tertius murus, admirabilior Pſephina turris ad ſeptentrionem occidentemque ſurgebat in angulo, qua parte Titus caſtra poſuerat; ex ea namque per ſeptuaginta cubitos ædita, ſole orto Arabia proſpici poterat, & usque ad mare, itemque ad ultima finium Hebræorum. Erat autem octo angulis. Contra eam vero turris Hippicos, & juxta duæ, quas Herodes Rex in antiquo muro ædificaverat: quæque magnitudine ſive pulchritudine ac firmitate, univerſis quæ toto orbe eſſent, præſtabant: nam præter naturalem animi liberalitatem, Rex pro amore civitatis, operum excellentiam propriis affectibus indulgebat: perſonisque tribus chariſſimis, quarum nominibus turres appellavit, fratri & amico, & conjugi memoriam dedicando: huic quidem, ut dixi, amoris cauſa peremptæ, iis autem bello amiſſis, cum fortiter decertaſſent. Hippicos quidem turris, amici vocabulo dicta, quatuor angulis erat. Singulæ autem viginti quinque cubitos in latitudine itemque longitudine habebant, &

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Tertius murus 90. turres habet.

Pſephina turris 70. cubitos alta.

Herodes tres turres nominibus perſonarum chariſſimarum appellat.

A. M. 4034. P.C.N. 72. excelſæ XXX. cubitos erant, nusquam inanes: ſupra ſoliditatem vero ſaxisque adunatam compaginem puteus viginti cubitis altus erat imbribus excipiendis: ſuper hunc autem duplici tecto domus, viginti quinque cubitis alta, inque varia membra diviſa: & deſuper eam minæ quidem binis, propugnacula vero ternis cubitis ambiebant: ut omnis altitudo ad octoginta quinque cubitos numeraretur. Secunda vero turris, quam fratris nomine Phaſaelon appellaverat, æque lata fuerat ac longa, cubitis quadragenis: per totidem autem cubitos in pilæ modum facta & ſolida ejus altitudo ſurgebat: & ſuper hanc decem cubitis edita porticus erat, inſtructa brachiis, itemque propugnaculis ſepta. In media vero porticu ſupereminens alia turris ſtabat, in membra magnifica & balneas diviſa, ne quid regalis ei uſus videretur deeſſe: in ſummo autem propugnaculis minisque erat ornata, cum omnis ejus celſitudo prope ad nonaginta cubitos tolleretur, & ſpecie quidem videbatur aſſimilis Phari turri, quæ Alexandriam navigantibus ignem procul oſtendit: ambitu vero ampliore dilatabatur: tunc autem tyrannicum domicilium exhibebat Simoni. Tertia turris Mariammes (ſic enim Regina vocabatur) usque ad viginti cubitos farta, per viginti alios cubitos in latitudinem tendebat: & magnificentiora cæterisque ornatiora diverſoria ſuſtinebat: cum id proprium, ſeque dignum eſſe Rex putaviſſet, ut uxoris nomine appellata turris, plus haberet pulchritudinis, quam quæ virorum nominibus vocitatæ ſunt: ſicut illæ hac munitiores erant, cui fœmina nomen dederat, & cujus omnis altitudo per quinquaginta quinque cubitos erige-

Hippicos altitudo 85. cubitorum.

Phaſaeli altitudo 90. cubitorum.

Mariammes tertia turris pulchertima, 55. cubitorum alta

ge-

gebatur. Sed quanquam tres turres tantæ magnitudinis erant, ex loco tamen, quo erant sitæ, multo videbantur esse majores: nam & ipse antiquus murus, in quo erant, excelso loco fuerat conditus, & ipsius collis velut quidam vertex altius prope ad triginta cubitos eminebat, supra quem turres positæ multum sublimitatis assumpserant. Mirabilis etiam fuit lapidum magnitudo: nec enim ex vulgaribus saxis, aut quæ homines ferre possent, verum secto marmore candido, & singulis per viginti cubitos longis, latisque decem, ac per quinque altis erant ædificatæ: quæ ita inter se copulata erant: ut singulæ turres, singula saxa viderentur: sic autem manibus artificum in faciem angulosque formata, ut nusquam junctura compaginis appareret. A. M. 4034. P.C.N. 72.

His autem in septentrionali parte positis, intus aula regia conjungebatur: narratione omni præstantior. Nec enim vel magnificentia, vel structura operis, aliqua ex parte superari poterat; sed tota quidem muro per XXX. cubitos edito cincta erat: æqualis autem distantiæ turribus ornatissimis ambiebatur, ornata virorum receptaculis & cœnaculis rectorum centum capacibus. Inenarrabilis autem fuit marmorum varietas in ea, collectis ibi plurimis quæ ubique rara videbantur, & fastigia simul proceritate trabium & ornamentorum claritudine mirabilia: membrorum etiam multitudo, & innumeræ species ædificii, plenaque omnia suppellectilis, cum pleraque in singulis ex auro essent, atque argento: ad hæc multæ porticus, alia per aliam in circulum flexæ, columnæque in singulis, & quæ inter eas sub dio patebant spatia, cum essent utique viridariis sylvisque variata: tum prolixas Aula regia

A. M. 4034 P.C.N. 72.

lixas ambulationes habebat, altis euripis cinctas, ciſternas ubique ſignorum æneorum plenas, quibus aqua effundebatur: multasque turres manſuetarum circum latices columbarum. Sed enim neque pro merito exponi regia, qualis fuerit, poteſt: habetque memoria cruciatum, referens, quantas res latrocinalis flamma conſumpſerit; nec enim hæc a Romanis incenſa ſunt, ſed ab inſidiatoribus inteſtinis, ut ſupra memoravimus in principio diſſenſionis. Et ab Antonia quidem omnia corripuit ignis: tranſiit autem in regiam, triumque turrium tecta corripuit. Fanum autem conditum erat, ut dixi, ſupra duriſſimum collem. Et initio quidem vix templo atque areæ ſufficiebat, jacens in ſummo planities, quod undique præceps erat atque declivis. Cum autem Rex Salomon, qui etiam templum ædificaverat, muro ejus partem ab oriente cinxiſſet, una porticus aggeri eſt impoſita: & manebat ex aliis partibus nudum, quoad ſeculis poſterioribus, ſemper aliquid aggeris accumulante populo, coæquatus collis latior effectus eſt. Perrupto autem ſeptentrionali quoque muro, tantum aſſumpſere ſpatium, quantum poſtea totius fani ambitus incluſerat. Triplici autem muro colle circumdato, ſpe majus opus extructum eſt: in quo longa ſecula conſumpta ſunt, omnesque theſauri ſacri, quos toto orbe miſſa Deo munera repleverant, tam in ſuperiore ambitu, quam inferiore templo ædificatis: cujusquod humillimum fuit, trecentenis cubitis munierant, in quibusdam vero locis pluribus, non tamen omnis altitudo fundamentorum videri poterat, multum vallibus obrutis, ut anguſtas vias oppidi coæquarent. Saxa vero quadragenum cubitorum ma-

A latronibus & inteſtinis inſidiatoribus aula regia incenſa.

Templum ſupra duriſſimum collem conditum.

In extruendo templo omnes theſauri ſacri conſumpti.

magnitudinis erant: nam & pecuniarum copia, & populi largitas, majora dictu conabatur: quodque nunquam posse perfici sperabatur, diuturnitate ac perseverantia explicabile videbatur. Tantis autem fundamentis digna erant opera imposita. Duplices porticus omnes, quas columnæ sustinebant quinis & vicenis cubitis altæ, de singulis saxis marmore candido, & laquearia cedrina protegebant; quorum naturalis magnificentia, quodque ligno rasili erant, apteque cohærebant, operæ precium spectantibus exhibebat: nulloque aut pictoris, aut sculptoris opere extrinsecus ornabatur. Latæ autem per XXX. cubitos erant: omnisque gyrus earum sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur. Totum autem sub dio spatium variabatur, omnium quidem generum lapidibus stratum: qua vero ad secundum templum ibatur, cancellis septum saxeis ad tres cubitos altis, nimiumque grato opere factis: ubi æquis depositæ intervallis columnæ stabant, legem castimoniæ præmonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis literis, in locum sanctum transire alienigenas non debere. Sanctum enim vocabatur alterum fanum, & quatuordecim gradibus ascendebatur a primo: quadratumque sursum erat, & proprio muro circumdatum, cujus exterior celsitudo, quamvis quadraginta cubitis surgeret, tamen gradibus tegebatur; interior autem XXV. cubitorum erat: quoniam in altiori loco per gradus ædificata non tota pars interior cernebatur, colle obtecta. Post quatuordecim autem gradus, spatium erat usque ad murum CCC. cubitis planum. Hinc rursum alii quinque gradus, & scalæ ad portas ducebant: a septentrione quidem

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Porticus de singulis saxis marmore candido columnæ sustinent.

A. M. 4034. P.C.N. 72. ac meridie octo, quaternæ utrinque videlicet, duæ vero ex oriente. Neceſſario namque proprius locus, religionis cauſa mulieribus deſtinatus, muro diſcernebatur: altera quoque porta opus eſſe videbatur. Contra primam vero, ſecreta erat ex aliis regionibus una porta meridiana, & una ſeptentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim tranſire ad mulieres non licebat. Sed nec ſuam portam interjecto muro transgredi licebat. Patebat enim locus ille pariter indigenis & hoſpitibus fœminis, religionis cauſa venientibus, occidua vero pars nullam portam habebat, ſed perpetuus ibi murus erat extructus. Inter portas autem porticus, a muro intro prope a theſauro adverſæ, magnis & pulcherrimis columnis ſuſtinebantur: erant autem ſimplices, ac præter magnitudinem nulla re ab inferioribus aberant. Portarum autem, aliæ quidem auro & argento undique tectæ erant, itemque poſtes ac frontes: una vero extra templum ære Corinthio, quæ multum argento incluſas & inauratas honore ſuperabat. Et binæ fores quidem in ſingulis januis erant tricenis cubitis altæ, quinisdenis etiam latæ: poſt introitum vero, ubi latiores fiebant, tricenis utrinque cubitis exedras habebant: exemplo quidem turrium longas & latas; ſupra vero quam viginti cubitis celſas: ſingulas autem binæ columnæ duodenum cubitorum craſſitudine ſuſtinebant. Et aliarum quidem portarum magnitudo par fuit. Quæ vero ſupra Corinthiam poſita, quo mulieres conveniebant, ab oriente aperiebatur, porta templi ſine dubio major erat, quinquaginta enim cubitis ſurgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumque magnifi-

Locus proprius religionis cauſa mulieribus deſtinatus.

Portarum aliæ auro & argento una vero ære Corinthio tectæ

cen-

centiorem: quoniam craſſiori argento atque auro veſtiebatur: quod quidem novem portis infuderat Tiberii pater, Alexander. Gradus autem quindecim a muro, qui mulieres ſegregabat, ad majorem portam ducebant; namque illis, qui ad alias portas iter dirigerent, quinque gradibus erant breviores. Ipſum vero templum in medio poſitum, hoc eſt, fanum ſacroſanctum, duodecim gradibus aſcendebatur. Et a fronte quidem altitudo ejus & latitudo centenos cubitos habebat: pone autem quadraginta cubitis anguſtius erat; aditus enim, veluti quibusdam humeris, utrinque vicenum cubitorum producebantur. Prima vero ejus porta ſeptuaginta cubitis alta erat, & viginti quinque lata, neque fores habebat: cœlum enim undique conſpicuum lateque patens ſignificabat; erantque totæ frontes inauratæ: ac prima ædes omnis perlucebat extrinſecus: auroque circum interiorem fani partem ſplendida cuncta cernentibus occurrebant. Cum autem interior ejus pars contignatione interſepta eſſet, adjacens ei prima ædes patebat in altitudinem perpetuam: perque nonaginta cubitos tollebatur, cum longa quadraginta cubitos eſſet, ac viginti transverſa. Interior vero porta tota inaurata erat, ut dixi, & circum eam auratus paries; deſuper autem habebat aureos pampinos, unde racemi ſtatura hominis dependebant, & quia contignatio jam intercedebat, templum exteriore humilius videbatur: & fores habebat aureas, quinquaginta & quinque cubitis altas, ſexdecim vero latas; ad hæc aulæum longitudine pari: hoc eſt, velum Babylonium, hyacintho, & byſſo, & cocco, & purpura variatum, mirabili opere fa-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Fanum ſacroſanctum.

Aulæum ſive velum Babylonium colorum permixtione mirabili opere factum.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

factum, neque contemplationis expers colorum permixtione, ſed velut omnium rerum imaginem præferens; cocco enim videbatur ignem imitari, & byſſo terram, & hyacintho aerem, ac mare purpura: partim quidem coloribus, byſſo autem ac purpura origine: quoniam byſſum quidem terra, mare autem purpuram gignit; eratque in eo perſcripta omnis cæli ratio, præter ſigna. Introgreſſos autem inferior pars excipiebat: cujus altitudo quidem habebat ſexaginta cubitos, & longitudo totidem ac latitudo viginti; rurſus autem quadraginta cubiti diviſi erant. Et prima quidem pars, ad quadraginta cubitos avulſa, hæc tria mirabilia & prædicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & menſam, & thuribulum. Septem vero lucernæ ſtellas errantes ſignificabant: tot enim ab ipſo candelabro oriebantur. Duodecim vero panes in menſa poſiti, ſignorum circulum, atque annum. Thuribulum autem per tredecim odores, quibus replebatur, ex mari & inhoſpito & inhabitabili, deſignabat omnia Dei eſſe, Deoque ſervire. Intima vero templi pars, viginti cubitorum erat: diſcernebatur autem ſimiliter velo ab exteriore, nihilque prorſus in ea erat poſitum: inacceſſa vero, & inviolata, & inviſibilis omnibus habebatur, ſanctique ſanctum vocabatur. Circa latera vero inferioris templi, multa erant membra pervia, triplici tecto ſuſpenſa: & ad utrumque latus, ad ea introitus a porta patebat. Superior autem pars eadem membra non habebat, quo minus erat anguſtior, celſior autem XL. cubitis, nec ita ut inferior ambitioſa. Colligitur enim centum cubitorum celſitudo univerſa, cum in ſolo LX. cubi-

Aulæi ſeu veli ſignificatio.

Tria mirabilia opera, Candelabrum menſa & thuribulum.

bi-

bitos habuerit. Exterior autem facies, nihil quod animus aut oculi mirarentur, non habebat; cruſtis enim aureis graviſſimis undique tecta, ultra primos ortus igneo ſplendore lucebat: ut cum intuerentur contendentium oculi, quaſi ſolis radiis averterentur. Hoſpitibus quidem adeuntibus, procul monti niveo ſimilis videbatur; nam ubi deauratum non erat templum, candidiſſimum erat. In ſummo autem aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus avibus pollueretur. Nonnullorum autem ſaxorum ejus, longitudo XLV. cubitorum erat, altitudo quinque, & latitudo ſex. Ara vero pro templo, quindecim cubitis alta, lata vero & longa cubitis quadragenis, quadrataque ſtans, veluti cornutis angulis eminebat, & a meridie aſcenſus in eam clementer arduus reſupinabatur; ſine ferro autem conſtructa erat, nec unquam eam ferrum tetigerat. Templum autem aramque cingebat ex pulcherrimo ſaxo lorica gratiſſima, usque ad cubitum ſurgens, quæ populum a ſacerdotibus ſegregabat. Gonorrhœos, hoc eſt, ſemine fluentes, itemque leproſos tota civitas arcebat, & fœminis menſtrua ſolventibus clauſa erat; prædictum autem limitem, ne puris quidem mulieribus transgredi permittebatur. Viri autem, qui non per omnia caſti fuiſſent, ab interiori aula, & qui puri eſſent, a ſacerdotibus prohibebantur. Qui vero ex origine ſacerdotum genus ducentes, cæcitatis cauſa munere non fungebantur: veſtibus tantum utebantur plebejis: quoniam ſacerdotali ſolus qui ſacra celebrabat, amiciebatur. Ad altare vero templumque accedebant carentes omni vitio

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Exterior templi facies cruſtis aureis graviſſimis undique tecta.

Ara ſine ferro conſtructa.

Lorica populum a ſacerdotibus ſegregat.

A. M. 4034 P.C.N. 72. Saderdotes, veſte quidem amicti byſſina: maxime vero mero abſtinentes, ac ſobrii religionis metu, ne quid rem divinam faciendo peccarent. Pontifex autem cum ipſis non tamen ſemper aſcendebat, ſed diebus quibusque ſeptimis, & per ſingulos menſes Calendis: vel ſi quando patria feſtivitas atque annua ab omni populo agebatur. Et ſacrificabat velamine præcinctus, eoque tectus femora usque ad genitalia: linthеum vero habens intrinſecus demiſſum usque ad pedes, & hyacinthinum deſuper indumentum rotundum, ex quo fimbriæ pendebant, alternis nodis aurea tintinnabula, malaque granata ſuſtinentes: tintinnabulis quidem tonitrua, malis vero fulgura deſignantibus. Pectoris autem veſtimentum vittæ cingebant, quinque variatæ coloribus: hoc eſt, auri, purpuræ, cocci, byſſi, & hyacinthi: quibus etiam vela templi diximus eſſe contexta: iisdem autem habebat etiam epomidem temperatam, in qua plus auri erat: & habitu quidem indumento thoraci ſimilis videbatur: duabus autem fibulis aureis, aſpidum ſpecie vinciebatur: quibus incluſi erant optimi maximique ſardonyches, ſcripta tribuum gentis Judææ nomina præferentes; ex altera vero parte, duodecim pendebant alii lapides, in quatuor partes terni diviſi, hoc eſt, ſardius, topazius, ſmaragdus: carbunculus, jaſpis, ſapphirus: achates, amethyſtus, lyncurium: onyx, berillus, chryſolitus: quorum ſingulis ſingula item cognomina erant ſcripta. Caput autem byſſina tiara tegebat, hyacinthis coronata. Et circa eam alia corona erat aurea, ſcriptas ferens ſacras literas, quæ ſunt quatuor elementa vocalia. Ea quidem veſte non ſemper, ſed alia ambitioſa utebatur.

Sacerdotes in veteri teſtamento mero abſtinentes, ac ſobrii religionis metu.

Pontificis veſtimenta.

Gemmæ in Pontificis ornatu precioſiſſimæ.

batur, illa vero ſi quando adyta introibat; ſolus autem atque ſemel in anno intrabat, quo die cunctos jejunare Deo mos erat. Sed de civitate ac templo & moribus & legibus iterum diligentius referemus; non enim pauca ſuper his exponenda ſunt; cæterum Antonia in angulo quidem duarum porticuum ſita erat prioris templi, quæ ad occidentem ſeptentrionemque ſpectarent; in ſaxo autem fuerat extructa, quinquaginta cubitis alto, & undique prærupto: quod opus Herodis Regis fuit, ubi maxime ingenii ſui magnificentiam demonſtravit. Primum enim a radicibus ſaxum ipſum levibus cruſtis obtegebatur, quo & decus adderet operi, & facile dilaberentur, qui vel aſcendere vel deſcendere tentaviſſent; deinde ante turris ædificium murus erat cubitorum trium; intra hunc omne ſpatium Antoniæ in quadraginta cubitos erigebatur. Intus autem regiæ latitudinem ac deſcriptionem habebat, diviſam in omnem uſum habitationum & ſpeciem, id eſt, atria, & balnea, & aulas caſtris aptiſſimas: ut quantum ad uſum neceſſarium pertinet, civitas videretur, magnificentia vero palatium: inſtar vero turris toto habitu formata, quatuor aliis per angulos turribus cingebatur: quarum cæteræ quinquaginta cubitis erant altæ: quæ vero ad meridianum orientalemque angulum ſita erat, LXX. cubitis eminebat, ut ex ea totum templum videri poſſet. Qua vero porticibus jungebatur, utrinque deſcenſus habebat, unde cuſtodes commeabant: ſemper namque in ea Rom. milites reſidebant: & cum armis appoſiti cuſtodes, ne quid populus feſtis diebus novi committeret, obſervabant: caſtrum enim erat impoſitum, oppido

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Antoniæ deſcriptio

Antonia civitati non abſimilis.

A. M. 4034. P.C.N. 72. pido quidem templum, templo vero Antonia. In hac autem porticu cuſtodes erant, & ſuperioris civitatis aliud caſtellum, regia Herodis erat. Bezetha autem collis, ita ut dixi, ab Antonia ſeparabatur: qui cum omnium eſſet altiſſimus, etiam parti novæ civitatis conjungebatur, temploque ſeptentrionali ſolus obſtabat. De civitate quidem, ac muris ejus, iterum ſcribere plenius cupiens, in præſentia ſatis dixi.

## CAPUT VII.

*Deditionem Judæi recuſant, & Rom. adoriuntur.*

Multitudo circa Simonem 15. millia.

Pugnaciſſima autem maximeque diſſentiens, multitudo circa Simonem erat, hominum decem millia, præter Idumæos: quinquaginta vero decem millium duces, quibus ipſe quaſi dominus omnium præerat. Idumæi autem qui erant ejus partium, cum eſſent numero quinque millia, duces decem habebant. Horum autem principes videbantur, Soſæ Jacobus, & Cathlæ filius Simon. Joannes autem qui templum occupaverat, ſex armatorum millia habebat, quos viginti duces regebant: tunc autem illi acceſſerant etiam Zelotarum, depoſitis diſcordiis, duo millia quadringenti: qui Eleazaro, quem ante habuerant, & Simone Arini filio utebantur ducibus. His autem (ut diximus) bellum inter ſe gerentibus, populus erat præmium: & plebis pars, quæ non eadem quæ illi committeret, ab utrisque diripiebatur. Tenebat autem Simon quidem ſuperiorem civitatem, murumque majorem usque ad Cedronem, & antiquioris muri, quantum a Siloa flectitur ad orientem, & usque ad Monobazi aulam deſcen-

Simonis contra Joannem caſtra.

dit. Is Rex erat Adiabenæ gentis, ultra Euphratem habitantis. Tenebat etiam montem Acræ, quæ inferior eſt civitas, usque ad Helenæ Regiam, quæ Monobazi fuerat Mater. Joannes autem, templum & circum templum aliquatenus, itemque Ophlam, & vallem quæ Cedron appellatur, & aliis quæ interjacebant incenſis, medium bello quod inter ſe gerebant ſpatium aperuere. Nec enim caſtris Romanorum prope murum poſitis, intra civitatem ſeditio quieſcebat: ſed ad primum eorum impetum pauliſper ſanitate recepta, mox ad priſtinum morbum rediere. Rurſusque diſcreti, pro ſua quisque parte pugnabat: omnia faciendo, quæ obſidentes optarent: nihil enim acerbius a Romanis paſſi ſunt, quam ipſi ſe tractarunt: neque poſt illos civitas aliquid novæ calamitatis experta eſt. Sed illa quidem graviores prius caſus pertulit, antequam ſubverteretur; qui vero eam debellarunt, majus aliquid perfecere. Dico enim, quod ſeditio civitatem, Romani vero ſeditionem cepere, quæ multo erat mœnibus tutior, & res quidem adverſas ſuis, juſtitiam vero recte quis Romanis aſſcriberet: intelliget autem quod dies cuique ſuggeſſerit. Verumtamen his intra civitatem ita ſe habentibus, Titus cum lectis equitibus foris circuiens, qua muros aggrederetur explorabat. Hæſitanti autem, quia nec ab ea parte adiri poterat pedibus, qua valles erant, & ab alio latere, prior murus machinis firmior videbatur, placuit ad Joannis Pontificis monumentum (hic enim tantummodo & primus humilior erat, nec ſecundo muro conjungebatur) invadere, neglecta enim fuerat munitio, propterea, quia non ſatis

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Seditio civitatem, Romani vero ſeditionem cepere.

Titus foris circuiens qua muros aggrederetur explorat.

A. M. 4034. P.C.N. 72. nova civitas frequentabatur. Sic in tertium murum facilis aditus illac erat: per quem ſuperiorem civitatem, & per Antoniam templum capi poſſe cogitabat. Hæc eo colluſtrante, quidam ex amicis ejus, Nicanor nomine, ad humerum lævum ſagitta percutitur: cum propius una cum Joſepho acceſſiſſet, pacemque in muro ſtantibus (dicendi enim peritus erat) ſuadere tentaret. Unde cognitis eorum conatibus Cæſar ex eo, quod nec ad ſalutem ſe hortantibus abſtinuere, excitatur in obſidionem: ſimulque ſuburbana militibus vaſtare permittit, collectaque omni materia, jubet aggerem conſtrui. Tripartito autem exercitu ad opera, medios in aggeribus jaculatores & ſagittarios conſtituebat, & ante eos balliſtas, aliasque machinas atque tormenta: quibus & excurſus hoſtium in opera prohiberet, & qui ex muris obſtare tentarent. Cæſis autem arboribus, momento ſuburbana nudata ſunt. Collectis autem lignis in aggeres, cum totus operi intentus eſſet exercitus, nec Judæi ſegnes erant: populum quidem in rapinis ac cædibus conſtitutum fiducia tunc habebat, quod reſpiraturus eſſet: illis adverſus hoſtes diſtractis, exiſtimantem pœnas ſe ab noxiis repetiturum, ſi Romani ſuperaſſent. Joannes autem quamvis in externos ſocii ſui irrumpere properarent, metu tamen Simonis manebat. Verum Simon non quieſcebat, proximus enim erat obſidioni, miſſilibus per murum diſpoſitis, quæ pridem Romanis abſtulerat, quæque apud Antoniam capta fuerant. Sed horum poſſeſſio, propter imperitiam plerisque non erat utilis: pauci autem a transfugis docti, male utebantur inſtrumentis. Sed cum lapidibus & ſagittis aggerem

Nicanor ad humerum lævũ ſagitta percutitur

Miſſilium poſſeſſio Judæis propter imperitiam inutilis.

gerem jacientibus militibus imminebant, perque cuneos excurrentes, manus etiam conſerebant. Operantes autem crates ſuper vallum oppoſitæ protegebant, omnibusque legionibus contra excurſus erant machinæ comparatæ mirabiles, præcipue vero decimæ legionis balliſtæ vehementiores, & tormenta ſaxorum, quibus non ſolum irruentes, ſed etiam ſuper murum ſtantes avertebantur: nam & ſingula ſaxa talenti pondus æquabant, & ultra ſtadii modum torquebantur; ictus autem non ſolum primis quos offendiſſet, ſed aliquando poſterioribus quoque intolerabilis erat. Judæi ſane cavebant a lapidibus, quod erant candidi: nec tantum ſono ac fremitu noſcebantur, ſed etiam claritudine proſpiciebantur: denique ſpeculatores in turribus præſidentes, prædicebant, quando impelleretur machina, ſaxumque ferretur, patria lingua clamantes, filius venit: itaque præſciebant, in quos veniret, atque ita vitabant: & hinc eveniebat, ut illis declinantibus, lapis irritus intercideret. Proinde Romani excogitant, atramento decolorare lapides, tunc enim miſſi, non ſimiliter incertos ictus habebant, multosque ſimul unius impetu corrumpebant. Sed ne male quidem affecti Judæi, aggeris inſtruendi Romanis copiam dabant: omni vero eos molitione atque audacia, die noctuque prohibebant. Perfectis autem operibus, plumbo, & lino ab aggeribus jacto, fabri quod erat ad murum ſpatium metiuntur: nec enim alioqui id fieri poterat, quoniam deſuper telis petebantur. Cumque pares intervallo arietes inveniſſent, eos applicant: propiusque diſpoſitis machinis, Titus, ne ex muro arietes prohiberentur, ex tribus partibus murum

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus ex tribus partibus murum pulſari jubet.

A. M. 4034. P.C.N. 72. pulsari jubet. Somitu autem circumstrepente civitatem, clamor ingens civium sublatus est, itemque seditiosos pavor invasit. Et quia periculum commune utrisque videbatur, communiter jam repugnare cogitabant, vociferantibus inter se discordibus, quia omnia pro commoditate hostium facerent: cum si non perpetuam concordiam sibi Deus præbeat, saltem in præsentia contra Romanos oporteat conspirare. Simon autem præcone misso, volentibus ex templo ad murum egrediendi copiam dedit: idemque & Joannes, licet minus crederet, permisit.

Seditiosi odiorum ac discordiarum obliti, in unum corpus coeunt.

Illi autem obliti odiorum, ac discordiarum suarum, in unum corpus coeunt: murumque amplexi, faces inde quam plurimas jaciebant contra machinas Romanorum, contraque impulsores arietum, eosque sine intermissione telis petebant: audacissimi vero catervatim prosilientes, machinarum tegmina dissipabant: hisque appositis irruentes, peritia quidem pauca, plura vero audacia perficiebant. Semper autem aderat adjumento laborantibus ipse Titus: & juxta utrasque machinas equitibus ac sagittariis ordinatis, ignem quidem ferentes prohibebat: jaculantes vero a turribus, reprimebat, nocendi tempus arietibus faciens: & tamen murus ictibus non cedebat, nisi quod quintæ legionis aries commovit angulum turris: murus autem stabat incolumis: nec enim statim cum turri periculum sensit, quæ multo altius eminebat, nullamque partem muri secum trahere poterat in ruinam. Cum autem ab excursibus paululum quievissent, observato Romanos per opera & castra esse dispersos, quia labore & formidine Judæos discessisse arbitrarentur, excurrunt

Aries angulum turris commovet.

runt omnes qua turris erat Hippicus, porta latenter: ignemque operibus injiciunt. Usque ad castrorum quoque munimenta, in Romanos animati procedebant. Horum autem periculo mature, & qui erant propius excitati sunt, & qui procul aberant convenere. Romanorum autem disciplina vincebat audaciam Judæorum: & quos prius offenderant, in fugam versis, aliis qui colligerentur instabant. Gravis autem circum machinas pugna commissa est, illis incendere, his incendium prohibere certantibus, incertusque clamor utrinque tollebatur, & multi qui in fronte steterant, ceciderunt. Sed Judæi confidentia superiores erant, ignisque opera tetigerat, incensaque omnia cum instrumentis penitus essent, nisi lecti de Alexandria restitissent plerique, præter opinionem sui viriliter dimicantes: nam glorioſissimis in hoc bello prælati sunt, donec Imperator equitum valentissimis comitatus, in hostes irruit: & ipse quidem duodecim repugnatores peremit: metu autem cladis eorum cætera multitudine in fugam versa, omnes compulit in civitatem, eoque modo aggeres liberavit incendio. In hac autem pugna unum ex Judæis vivum capi contigit, eumque Titus crucifigi pro muro jussit, si forte reliqui vel hoc spectaculo territi concederent. Post ejus vero discessum, etiam Dux Idumæorum Joannes, dum ante muros cum noto milite loquitur, a quodam Arabe pectus sagitta percussus, continuo periit: magnumque & Judæis luctum, & seditiosis mœrorem reliquit: nam & manu promptus erat, & sapientia nobilis.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus Judæos in fugam vertit, omnesque in civitatem compellit.

Joannes Idumæorum Dux, pectus sagitta percussus, perit.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT VIII.

*De casu turris & duorum murorum obtentu.*

NOcte vero quæ secuta est, incredibilis tumultus Romanis incidit. Nam cum tres turres Imperator Titus quinquagenum cubitorum construi præcepisset, ut his per aggeres singulos positis, hinc hostes in muro stantes facilius in fugam verteret, una earum sponte sua nocte intempesta lapsa est: ingenti vero sonitu facto, metus occupavit exercitum. Conari autem aliquid Judæos suspicati, ad arma currebant, eaque re turba in legionibus ac tumultus erat: cumque nemo quid accidisset referre posset, diu queruli alius aliud opinabantur: nullisque intervenientibus hostibus semetipsos timebant: signumque diligenter singuli a proximis requirebant, tanquam Judæi jam castra possiderent: Panicoque terrore capti videbantur, donec Titus, cognitis quæ res erant, verum cunctis indicari jussit: tandemque tumultus eo nuncio conquievit. Judæi quidem cætera fortiter sustinentes, male turribus affecti sunt: machinis enim levioribus, & jaculatoribus, ac sagittariis, saxorumque tormentis inde feriebantur. Sed neque harum æquare ipsi poterant celsitudinem, & turres excidendi spes non erat: cumque neque everti propter gravitatem, neque incendi propterea, quod ferro tegebantur, facile possent, ultra jactum teli fugientes, arietum impetus non vetabant: qui sine intermissione ferientes, paulatim aliquid proficiebant. Itaque muro jam cedente magno arieti Romanorum, quem Judæi Nicona vocabant, quod omnia vinceret, quamvis & antea defessi erant pugna & vigiliis, cum

Nicon, id est victor, magnus aries Romanorum.

cum longe ab oppido pernoctarent: tamen etiam negligentia, vel quod male consulerent, murum sibi supervacuum esse credentes, quibus alia duo munimenta supereſſent, lassatique plurimi recessere: cum autem Romani qua primum murum Nicon perruperat, ascendissent, ad secundum omnes Judæi relictis custodiis refugerunt: portis autem Romani qui transierunt patefactis, exercitum recepere. Et hi quidem hoc modo potiti muro, quinto nonas Maji, & partem ejus maximam diruunt, & septentrionalem civitatis regionem, quam ante Cestius vastaverat. Titus autem notato qua Assyriorum castrum est, militem transfert, occupato omni, quod inter Cedrona fuerat, spatio: & ultra sagittæ jactum a secundo muro separatus, oppugnationem statim aggressus est. Tunc igitur partiti murum Judæi, fortiter restiterunt. Et Joannes quidem, ejusque socii ex Antonia & septentrionali porticu templi ab Alexandri monumento pugnabant. Simonis autem manus juxta monumentum Joannis aditum clauserant, usque ad portam, qua in Hippicon turrim aqua inducebatur. Sæpe autem prosilientes e portis, cominus dimicabant: compulsique intra muros, in conflictu quidem Romanorum disciplina, propter imperitiam vincebantur: in murali autem certamine superabant: eos enim fortuna atque scientia, Judæos vero audacia, quam timor aleret, sustentabat: quod natura erant in calamitatibus duri. Ad hæc autem, & istis suberat spes salutis, & Romanis citæ victoriæ: neutros autem lassitudo fatigabat, sed aggressiones, murorumque oppugnationes, & excursus crebri per cuneos diebus totis agebantur: nul-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Romani primo muro potiuntur.

Judæorum cum Romanis conflictus.

Judæos audacia sustentat.

la-

A. M. 4034. P.C.N. 72. laque prælíorum ſpecies aberat, cum a prima luce incipientia utrisque inſomnis & die gravior nox dirimeret: his quidem occupatum iri murum continuo metuentibus, illis vero, ne Judæi caſtra pervaderent. Itaque in armis pernoctantes, prima luce utrique pugnæ parati erant. Et Judæi quidem certabant: quis eſſet promptior ad periculum, eoque modo gratia emineret apud duces ſuos: maxime vero Simonis eos metus ac reverentia commovebat, eoque modo illum ſinguli ſubjectorum colebant, ut ad ſemet quoque interficiendos parati eſſent, ſi hoc ille juſſiſſet. Romanos autē ad virtutem hortabatur conſuetudo vincendi, & qui vinci non aſſueverunt, crebræque militiæ, exercitationesque perpetuæ, & imperii magnitudo: ante omnia vero Titus ſemper ubiq; præſens: nam & inertia, ſpectante atque opitulante Cæſare, graviſſimum facinus videbatur: & ei qui bene decertaſſet, teſtis aderat, qui rependeret præmium, præterea fructus erat, vel cognoſci ſolum principi virum fortem: idcirco multorum major viribus alacritas demonſtrata eſt. Denique iſtis ipſis diebus, validiſſima Judæorum acie inſtructa pro mœnibus, telisque utrinque miſſis, quidam Longinus de numero equitum ex acie Rom. progreſſus, in mediam aciem Judæorum irruit: hisque disjectis, hoc impetu duos fortiſſimos perimit, unius obviam tendentis ore percuſſo, alterius eodem telo, quod priori extraxerat, transfixo latere refugientis: & ex mediis hoſtibus ad ſuos primus occurrit. Ille igitur ob virtutem inſignis erat: æmuli autem ejus fortitudinis multi extiterunt. Et Judæi quidem negligentes quid paterentur, tantummodo qualiter afficerent conſiderabant: morsque

Romanorum vincendi conſuetudo.

Longinus in mediam Judæorum aciem irruit & diſturbat.

his

his leviſſima ducebatur, ſi quo interfecto hoſte cecidiſſent. Titus autem non minus ſaluti militis, quam victoriæ conſulebat: & temerarios impetus deſperationem dicens, ſolam vero eſſe virtutem, ſi quis prudenter & caute ſine proprio incommodo fortiter faceret, in ea re potius, quæ periculum non haberet, viros eſſe præcipiebat. A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT IX.

*De Caſtore Judæo Romanis illudente.*

ITaque a ſeptentrionali parte, mediæ turri applicat arietem: in qua Judæus quidam verſutus ac ſubdolus, Caſtor nomine, cum decem aliis militibus ſuis delituerat, fugatis cæteris formidine ſagittarum. Hi cum pavidi ſub loricis aliquamdiu quieviſſent, concuſſa turri ſurgunt: extentisque manibus, Caſtor veluti ſupplex Cæſarem implorabat: & voce miſerabili, ut ſibi parceret, obteſtabatur. Cui Titus pro ſimplicitate ſua credulus, jamque Judæos exiſtimans belli pœnitere, arietes quidem impulſione ceſſare jubet, ac ſagittarios ſupplicibus prohibet, Caſtori autem quid vellet eloqui permittit. Cumque ille reſpondiſſet, ad fœdus velle deſcendere: Titus gratulaturum ſe ait, ſi omnes eadem ſentire voluiſſent: paratoque animo fidem pacis etiam civitati daturum. Sed cum ex illis decem Caſtoris ſociis quinque itidem ſupplices eſſe ſimularent, cæteri nunquam ſe Romanis ſervituros clamant, dum mori liberis liceat. Denique illis ſuper hoc ambigentibus, ceſſabat expugnatio. Caſtor autem interea Simonem per internuncios admonebat, ut dum vacuum eſſet tempus, de rebus urgentibus conſilium

Caſtor Judæus verſutus ac ſubdolus.

A. M. 4034. P.C.N. 72. filium caperet: pauliſper enim ſe illudere Imperatori Romano. Simul autem hoc agens, ad pacem hortari contradicentes ſocios videbatur: illi autem velut ægre ferentes, in thoracas nudos fixere gladios: hisque percuſſis velut interfecti ceciderunt. Titus vero ejusque ſocii obſtupuere tanta eorum pertinacia, cum ex inferiori loco quod factum erat, vere videre non potuiſſent: mirabanturque ſimul audaciam, & calamitatem miſerabantur. Interea Caſtorem ad natem quidam ſagitta percutit: tumque ille telum extractum Imperatori oſtendens, iniqua ſe perpeti querebatur. At Titus incuſato qui hoc emiſerat, aſtantem Joſephum mittit, ut Caſtori dexteram porrigeret; verum is neque ſe iturum, nihil enim ſanum ſupplices cogitare, reſpondit: & amicos qui voluere ire prohibuit. Cum vero quidam ex perfugis Æneas iturum ſeſe dixiſſet ad eum, invitante Caſtore, ut etiam ſecum in quo ferret argentum aliquid ſuſcipere: ad hæc ille ſtudioſe aperto ſinu accurrit: alter vero ſuper eum ſaxum demiſit. Et ipſum quidem, quoniam præcaverat, ferire non potuit: ſed alium militem qui aderat, vulneravit.

Miſericordia in bello nocet.

Cæſar vero fallaciam reputans, intellexit miſericordiam in bello nocere, minusque decipi calliditate ſævitiam: arietisque impulſionibus, iracundia fraudis, vehementius utebatur. Caſtor autem ejusque ſocii turrim ictibus jam cedentem incendunt: perque flammas in ejusdem miſſi cuniculos, iterum magni animi opinionem apud Romanos habuere, tanquam ſe ignibus tradidiſſent. Capit autem hac parte murum Titus, die quinto poſtquam primum ceperat: fugatisque inde Judæis, intro cum lectis mille

Titus ſecundum murum capit.

tran-

tranſiit, quos circa ſe habebat, armatis: ubi nova civitas & lanæ venditores erant, fabrique ærarii, veſtiumque mercatus, & ad murum anguſtæ viæ transverſæ tendebant. Enimvero ſi vel ſtatim muri diſturbaſſet maximam partem, vel quæ ceperat lege belli vaſtaſſet, nullum credo damnum victoriæ fuiſſet admixtum: nunc autem Judæos exoratum iri ſperans, cum liceret capere, facilem diſceſſioni aditum dilatavit: nec enim quibus conſulebat, inſidiaturos ſibi putabat. A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT X.

*De ſecundo muro bis obtento a Romanis.*

DEnique poſtquam ingreſſus eſt, neque occidi quenquam permiſit eorum qui comprehendebantur, neque domus incendi: ſed tam ſeditioſis, ſi pugnare vellent, ſine populi detrimento copiam dabat, quam ipſi populo fortunas proprias ſe redditurum pollicebatur. Plurimi namque petebant ſibi civitatem ſervari, templum vero civitati. At enim populum quidem ad ea, quæ hortabatur, & antea paratum habebat, bellicoſi autem pro inertia ducebant humanitatem: Titumque imbelli animo, quod cæteram civitatem tenere non poſſet, has proponere conditiones putabant: mortem autem populo denunciantes, & ſi verbum quisquam de traditione feciſſet, pacemve nominaſſet, mox interficiendum eum eſſe minitantes, Romanis, qui introiere, alii per viarum anguſtias obſtabant, alii ex ædibus: alii murum per ſuperiores portas egreſſi, pugnare cœperunt: quibus rebus perturbati cuſtodes, de muro ſeſe demi-

Belliçoſi Titi humanitatẽ pro inertia ducunt

A. M. 4034. P.C.N. 72.

ferunt, relictisque turribus in castra recesserunt: clamor autem audiebatur militum intra civitatem, quod ab hostibus cingerentur: foris autem degentium clausis contubernalibus metuentium; crescente autem numero Judæorum, & propter locorum peritiam viarumque scientiam prævalente, multi Romanorum trucidabantur, & ab incumbentibus pellebantur, cum magis necessitate resisterent; nec enim multis simul fugiendi copia per anguſtias muri patebat: omnesque pene qui transierant, perempti fuissent, nisi Titus eis opem tulisset. Dispositis enim per summa viarum sagittariis, & ubi plus erat multitudinis astans, missilibus hostes abigebat, & cum eo Domitius Sabinus, vir bonus etiam in illo prælio comprobatus: duravitque tam diu, sagittis eos prohibens irruere, donec omnes milites recedere. Romani quidem ita secundo muro potiti, ad extremum pulsi sunt. Oppidanis vero qui pugnaces erant, spiritus crevit: & secundis rebus amentes erant, neque Romanos ausuros esse ad civitatem accedere suspicantes, neque vinci se posse, si ad prælium processissent: nam quia iniqui erant, officiebat eorum sententiis Deus: & neque Romanorum vim, multo majorem illa, quæ pulsa fuerat, superesse cernebant: neque famem, jam jamque serpentem: adhuc enim malis publicis alebantur, & sanguinem civitatis bibebant: boni autem jamdudum inopia laborabant, & penuria victus jam multi defecerant: populi tamen interitum, seditiosi pro levamine sui ducebant: & solos eos, qui pacem non probarent, salvos esse cupiebant, quique vivere contra Romanos optarent: contrariam vero multitudinem, velut onus

Romani ab Judæis urbe pelluntur.

Judæis spiritus crescunt.

Populus inopia laborat, & penuria victus multi deficiunt.

quod-

quoddam, consumi gratulabantur: & ita quidem circa suos affecti erant. Romanos autem, quod civitatem iterum ingredi conabantur, armati prohibuerunt, disjectis muri partibus objectu corporum præmunitis: ac per triduum sustinuere fortiter dimicantes. Quarto autem die, Titum vehementius aggressum nequaquam ferre potuerunt: sed vi coacti, rursum quo antea refugerunt: ille autem interim muro potitus, totam ejus septentrionalem partem statim deposuit: in meridiana vero per turres præsidia collocavit. A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus secundo muro iterum potitur.

## CAPUT XI.

*De aggeribus in tertium murum, & oratione prolixa Josephi pro deditione facienda, & fame obsessorum.*

JAmque tertium murum Titus aggredi cogitabat. Videbatur autem brevissimi temporis ejus obsidio: spatiumque consilii seditiosis esse dandum, si quid disturbatione secundi muri aut famis metu remitterent: nec enim diutius eis prædas posse sufficere: & ipse ocio commode utebatur. Nam cum dies advenisset, quo militibus oportebat alimenta distribui, in conspicuo hostibus loco ductis, jussit duces ordinato exercitu pecuniam singulis numerare. Illi autem prolatis armis ex involucris muniti procedunt, equitibus ornatos equos ducentibus: locaque suburbana per multum spatium auro argentoque lucebant. Illo autem spectaculo nihil aut jucundius suis, aut horribilius hostibus videbatur: spectantibus enim & vetera plena erant mœnia, & septentrionalis regio: quin &

Titus expugnatione omissa pecuniam singulis numerare jubet.

A. M. 4034. P.C.N. 72. domos refertas intuentibus cerneres, nullamque civitatis partem quam non infusa multitudo tegebat: metus autem quamvis audaciſſimos ceperat, omnem ſimul exercitum armorumque pulchritudinem conſpicientes, & ordinationem virorum. Et fortaſſe ad illam ſpeciem ſeditioſi animos mutaviſſent, niſi malorum immanitate, quæ in populum commiſerant, dandam ſibi veniam a Romanis deſperaſſent: imminente autem, ſi deſtitiſſent, morte ſupplicii, bello mori præſtabilius eſſe ducebant: prævalebat etiam fatum, quod innocentes cum nocentibus, & civitatem cum ſeditioſis perire decreverat. Quatriduo per ſingulas legiones alimenta conſecuti ſunt. Quinto autem die, cum omnia faciens Titus, nihil Judæos pacatum cogitare ſenſiſſet, bifariam diviſo exercitu, Antoniam verſus ad Joannis monumentum aggeres inchoavit: iſta parte ſuperiorem civitatem captum iri cogitans, & per Antoniam templum: namque hoc niſi cepiſſet, ne oppidum quidem tutum erat obtinere. In utraque autem parte duo aggeres erigebantur, a ſingulis legionibus ſinguli. Et juxta monumentum quidem operantes, a Judæis & Simonis ſociis infeſtantibus prohibebantur: ad Antoniam vero ab Joannis ſociis cum multitudine Zelotarum, non ſolum quia de ſuperiore loco pugnabant, verumetiam quia machinis jam uti didicerant: paulatim enim uſus quotidianus aluit peritiam. Habebant autem baliſtas trecentas, & quadraginta tormenta ſaxorum, quibus difficiliorem aggerum extructionem Romanis efficiebant. Titus autem ſibi ſalvam fore fortunam ſciens, & perituram eſſe civitatem, una & obſidioni vehementer inſtabat: nec pœni-

Fatum innocentes cum nocentibus, & civitatem cum ſeditioſis perire decreverat.

Romani operantes a Judæis prohibentur.

nitudinem Judæis ſuadere ceſſabat: conſilium- A. M.
que factis admiſcens, & orationem ſæpe armis 4034
efficaciorem cognoſcens, tam ipſos ut ſalvari P. C. N.
vellent rogabat, tradita ſibi civitate, quæ jam 72.
capta videretur, quam & Joſephum allegabat, patria lingua verba facturum, ſperans eos hominis gentilis monitu aliquid remiſſuros. Itaque Joſephus murum circumiens, ſimulque extra teli jactum ſtans, unde exaudiri facilius poſſet, multis orabat, ut ſibi ac populo parcerent, templo ac patriæ, neve contra hæc fierent alienigenis duriores. Romanos enim ſancta revereri, cum quibus nulla ſibi ſocietas eſſet, manusque ſuas ad hoc usque cohibere: ipſos vero in his edoctos, cum ſervare poſſent, ſponte ad eorum interitum ruere; quin potius viderent muros concidiſſe firmiores, exciſis vero infirmiores ſupereſſe? Romanorumque vires cognoſcerent ſuſtinere non poſſe: hisque ſervire non eſſe novum, neque inexpertum Judæis. Nam licet pulchrum ſit pro libertate pugnare, tamen id in principio decere fieri: ſemel autem ſubditum, qui multo tempore paruiſſet imperio, jugum excutiendum, malæ mortis cupidum, non libertatis amatorem videri. Debere autem dedignari dominos humiliores, non quorum in poteſtate ſunt omnia. Nam quid Romanos effugiſſe, niſi quod propter æſtus aut frigora eſſet inutile? imo vero tranſiſſe ad eos undique fortunam, Deumque per ſingulas nationes ducentem imperium, nunc eſſe in Italia. Hanc autem validiſſimam legem, tam feris beſtiis quam hominibus eſſe præfinitam, potentioribus cedere: apud eosque eſſe victoriam, apud quos robur fuerit armorum. Idcirco etiam

Titi erga Judæos benignitas

Joſephi ad Judæos oratio.

Fortuna & Deus cum Romanis.

ma-

A. M. 4034. P.C.N. 72. majores eorum, quanquam multum & animis & corporibus & aliis ſubſidiis meliores, ceſſiſſe Romanis: quos niſi Deum ſciſſent illis favere, nunquam perpeſſi fuiſſent: ipſos vero qua nunc re fretos reſiſtere, cum ex magna parte capta ſit civitas: cives autem etiam ſi muros integros haberent, excidio pariter affecti ſint. Nec enim latere Romanos, quæ fames teneat civitatem: & modo quidem conſumi populum, continuo vero etiam bellatores interituros: nam etſi Romani deſierint, & ab obſidione ceſſaverint, neque civitatem ſtrictis gladiis irruerint, Judæis tamen inexpugnabile bellum intus alliderе, quod horis ſingulis aleretur: niſi forte contra famem quoque arma caperent ac dimicarent, ſolique poſſent etiam infortunium ſuperare. His addebat, optimum eſſe ante intolerabilem calamitatem mutare ſententiam: dumque liceret, ſalutare conſilium ſequi. Nec enim antea geſtorum cauſa ſuccenſere Romanos, niſi ad finem usque inſolentes eſſent: natura eos eſſe in imperio manſuetos, atque iracundiæ præferre quod utile eſt. Utile autem putare, neque civitatem vacuam viris, neque deſertam habere provinciam: idcirco velle Imperatorem cum his dexteram jungere: nec enim cuiquam ſalutem daturum, ſi vi ceperit civitatem: præſertim qui nec in extremis ei cladibus rogati paruerint. Brevi autem murum quoque tertium captum iri, priores qui capti ſunt, fidem facere; & quamvis perrumpi tutamina non poſſint, famem pro Romanis pugnaturam. His monentem Joſephum multi in muro ſtantes vituperabant, multi vero conviciis, nonnulli etiam jaculis appetebant. Ille autem cum manifeſtis

Fames civitatem tenet.

Imperator cum Judæis dexteram jungere cupit.

eos

eos calamitatibus minime flecteret, ad gentiles transit hostias: O miseri! vociferans, vestrorumque auxiliatorum immemores, armis & manibus cum Romanis bellum geritis, quasi quem alium sic vicerimus. Quando autem non Deus omnium conditor, Judæorum defensor est, si lædantur? Non resipietis? Unde progressi pugnatis, quantumque auxiliatorem violatis? Non recordamini opera divina parentum, atque hunc sanctum locum, quanta bella nobis aliquando peremit? Ego autem facta Dei narrare auribus indignis horresco: sed tamen audite, ut cognoscatis non solum vos Romanis, sed etiam Deo resistere. Nechias qui tunc Rex erat Ægyptiorum, idemque Pharao vocabatur, cum infinita manu descendit, Reginamque Saram materni nostri generis rapuit. Quid igitur vir ejus Abraham proavus noster? Armis credo ultus est injuriam? Atqui CCC. & XVIII. præfectos habebat, quorum singulis infinita multitudo parebat. An ipse quidem quiescere maluit absente Deo? puras autem manus ad hunc locum tendens, quem vos polluistis, invictum sibi auxiliatorem ad militiam legit? Nonne secunda vespera incorrupta Regina remissa est ad maritum? Adorans autem, quem vos gentili cæde cruentastis locum, ac tremens nocturnis somniis Ægyptius exagitatus aufugit, auroque & argento amantissimos Deo donavit Hebræos. Dicam translata in Ægyptum majorum nostrorum domicilia. Qui cum annos quadringentos tyrannis an Regibus alienigenis subjacerent, armis ac mœnibus ulcisci possent, semetipsos Deo potius permisere. Quis nescit Ægyptum repletam omni genere serpentium, omnique mor-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Josephus ad gentiles historias transit

Nechias sive Rex Ægyptiorum.

Judæi annos quadringentos tyrannis in Ægypto subjacent.

A. M. 4034. P.C.N. 72. bo corruptam? Quis terram infructuosam? quis Nili defectionem, & continuas decem plagas? & ob hoc parentes nostros cum præsidio incruentos, & sine periculo deduci, quos Deus sibi sacerdotes ducebat? An non ab Assyriis raptam nobis sanctam Arcam, Palæstina & Dagon simulacrum gemuit, & tota gens quæ rapuerat? corruptis vero occultis corporum, ac per ea cum cibo visceribus exhaustis, cymbalorum ac tympanorum sono manibus noxiis reportaverunt, sanctum placationibus expiantes? Deus erat qui hæc parentibus administrabat, propterea quod omissis armis ac manibus ejus se judicio permisere. Rex Assyriorum Senacherib, cum totam ducens Asiam ad hanc urbem castra posuisset, num manibus humanis cecidit? nonne ab armis quiescentes in votis erant, & Angelus Dei in una nocte infinitum delevit exercitum? posteroque die excitatus Assyrius CLXXXV. millia reperit mortuorum, atque ita cum reliquis Hebræos inermes, nec persequentes fugiebat? Scitis etiam in Babylone servitium, ubi per annos LXX. populus exulans, non ante libertatem recepit, quam eam Deo Cyrus donaret: qui eos etiam est prosecutus, iterumque auxiliatori suo sacerdotum more serviebant. Breviter dicam, nullum est operæ precium, quod armis parentes nostri fecerint, aut non sine armis Deo permissa potestate impetraverint. Domi autem manentes, ut placebat judici superabant. Pugnantes vero, semper de spe deciderunt. Nam ubi Rege Babyloniorum urbem obsidente, contra Hieremiæ prædicationem Sedechias Rex noster cum eo congressus est, tam ipse captus est, quam cum tem-

Arca sancta ab Assyriis rapta & Judæis restituta.

Senacherib Rex Assyriorum.

Babylonica captivitas.

Hierosolymæ a Babyloniorum Rege devastatio.

templo civitatem vidit excindi. Atqui videte, quanto ille Rex vestris ducibus, ejusque populus vobis erat moderatior. Denique Hieremiam vociferantem, invisos esse eos Deo propter delicta, quæ in eum commiserant, captum iri autem nisi traderent civitatem, neque Rex neque populus interfecit. Sed vos (ut intus gesta prætermittam, neque digne possim iniquitates vestras exponere) me, qui vobis salutem suadeam, querimini, telisque appetitis irati, quod vos vestrorum commonefacio peccatorum, nec dici ea toleratis, quorum quotidie facta committitis. Idem tunc fuit, cum Antiocho, qui dictus est Epiphanes, obsidente civitatem, multis modis offensa divinitate, majores nostri cum armis progressi, ipsi quidem in pugna perempti sunt, oppidum vero ab hostibus direptum est: sanctumque per triennium sexque menses penitus desolatum est. Et quid pluribus opus est? Ipsos Romanos quis contra Judæorum gentes ad militiam provocavit? nonne indigenarum impietas? Unde servire cœpimus? Nonne a seditione majorum, quando Aristobuli & Hyrcani furor, & inter eos contentio, Pompejum intulit civitati, & Romanis Deus indignos libertate subjecit? Denique tres menses obsessi, quanquam nihil quale vos in sanctum legesque deliquerant, & majoribus ad bellum subsidiis utebantur, sese tradiderunt. Antigoni autem filii Aristobuli nescimus exitum? quo regnum obtinente, Deus iterum captivitate persequebatur populum delinquentem. Et Herodes quidem Antipatri filius, Sosium & Romanum adduxit exercitum: circumdati vero per sex menses obsidebantur, donec capti peccatorum suorum supplicia pependerunt;

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Josephi in Judæos acris oratio.

Judæi a seditione majorum servire cœperunt.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

runt: direptaque est ab hostibus civitas. Ita nunquam genti arma data sunt. Oppugnationi vero sine dubio cohæret excidium. Oportet ergo, ut opinor, sacri loci possessores judicium Deo de omnibus permittere: manusque tunc humanas contemnere, cum a superno ipsi judice non recedant. Vos autem quid ex his, quæ legis conditor bene dixit, egistis? Quid, quod is execratus est, prætermisistis? Quantum autem illos, qui cito periere, impietate superastis? nam occulta dedignantes peccata, hoc est, furta, insidiasque, atque adulteria, rapinis, cædibus certatis, novasque maleficiorum excogitastis vias. Sanctum vero templum, factum est omnium receptaculum: & indigenarum manibus pollutus est locus, quem Romani ex tam longinquo adorabant, multa per legem nostram de suis moribus derogantes. Deinde post hæc in quem fuistis impii, hunc auxiliatorem speratis? Valde quidem justi estis, supplices, purisque manibus adjutorem vestrum rogatis. Talibus Rex noster precibus adversum Assyrium supplicavit, cum magnum exercitum Deus una nocte prostravit? Similia vero Assyriis Romani committunt, ut etiam similem ultionem speretis? Nam ille quidem ab Rege nostro accepta pecunia, ut vastitati parceret civitatis, neglecto jurejurando ad incendium templi descendit: Romani autem solenne poscunt tributum, quod parentes nostri eorum parentibus pensabant. Et hoc si impetraverint, neque populantur civitatem, neque sancta omnino tangunt. Concedunt autem vobis familias liberas, & possessiones tenere, sacrasque leges salvas manere patiuntur.

Judæorum in legem Dei peccata.

Assyriis Romani similia non committunt.

tur. Insania est profecto, sperare Deum talem circa justos fore, qualis injustis apparuit: præsertim qui statim ulciscí noverit cum oportet. Denique Assyrios prima nocte, qua castra civitati admoverant, fregit. Quod si etiam vestram progeniem liberaret, Romanos vero dignos pœna judicaret, confestim eis illo tempore sicut Assyriis irascereturr, quo genti manus Pompejus attulit, quo post illum Sosius ascendit, quo Galilæam Vespasianus excidit, postremo non nunc Titus civitati appropinquaret. Sed neque Magnus, neque Sosius quicquam passi sunt, & civitatem victoria ceperunt. Vespasianus autem ex bello quod nobiscum gessit, etiam imperium adeptus est. Nam Tito quidem etiam fontes nunc uberiores profluunt, qui prius vobis aruerant. Denique ante ejus adventum scitis & Siloam & extra civitatem fontes adeo defeciisse, ut ad utrumque aqua mercaretur, nunc autem ita hostibus nostris largi sunt, ut non modo ipsis & jumentis eorum, sed etiam hortis sufficiant. Denique hujus prodigii & ante periculum factum est in excidio civitatis, quando supra memoratus Babylonius Rex cum exercitu advenit, & qui captam civitatem incendit & templum: quamvis ut opinor nihil illi tantum, quantum vos impie nunc, commisissent. Itaque sanctis relictis, Deum fugisse putaverim: hisque nunc adesse, quibus cum bellum geritis? An bonus quidem vir domum flagitiosam fugiet, & domesticos oderit: Deum vero malis vestris inhærere arbitramini, qui etiam occulta conspicit, & audit omnia quæ tacentur? Quid autem apud vos tacetur? quid celatur? quid non etiam inimicis planum factum

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Deus statim ulciscí novit cum oportet.

Tito fontes qui prius aruerant uberiores profluunt.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

est? Iniquitates enim vestræ velut in promptu neminem latent: inque dies singulos, quis pejor sit certamen habetis, atque ita nequitiam, ut virtutem demonstrare contenditis. Verumtamen reliqua salutis via est, si velitis, & divinitas confessis ac pœnitentibus solet sese placabilis offerre. Arma projicite, pudeat vos patriæ jam dirutæ: convertite oculos, & aspicite ejus quam proditis pulchritudinem, quale oppidum, quale templum, quam multarum gentium munera. Quis in hæc flammas adducit? quis hæc jam non esse desiderat? Et quid est hoc, quod salvum esse debeat, dignius? o duri & lapidibus stupidiores. Si hæc non veris luminibus cernitis, saltem familiarum vestrarum miseremini. Versentur in conspectu cujusque filii, conjuges, & parentes, quos paulo post aut bellum aut fames absumpserit. Scio quia una cum his periclitabitur mihi mater & conjunx, & familia non ignobilis, domusque olim clarissima. Et fortasse propterea me quisquam hæc suadere crediderit. Interficite illos, accipite mercedem salutis vestræ sanguinem meum. Ipse quoque mori paratus sum, si post me respiscitis. Hæc Josepho vociferante cum lachrymis, seditiosi quidem neque animos flexerunt, neque tutam sibi mutationem fore judicaverunt. Populus vero ad profugiendum commotus est, & alii possessionibus suis, alii rebus charissimis exiguo precio venundatis, aureos, ne latrones eos deprehenderent, transglutiebant: quum vero ad Romanos elapsi fuissent, exonerato ventre habebant usui necessaria. Titus enim plerosque per agros, quo vellet quisque pergere, dimittebat: idque magis eos ad perfugium hortabatur, quod

Divinitas confessis ac pœnitentibus sese placabilis offerre solet.

Amor & confiantia Josephi erga patriam.

Populus cum pecunia profugit.

quod & inteſtinis malis carebant, nec Romanis ſerviebant. Joannes autem & Simon cum ſociis, ne his magis pateret exitus, quam Romanis aditus, obſtruebant: & qui vel umbram ſuſpicionis dediſſet, continuo necabatur. Ditioribus quidem manere etiam ſicut profugere, par cauſa erat pereundi: nam quaſi transfugere voluiſſet, propter patrimonium quisque occidebatur. Cum fame autem creſcebat deſperatio ſeditioſorum, & in dies ſingulos utrumque malum amplius accendebatur. Et palam quidem nulla erant frumenta, irrumpentes autem ſcrutabantur domos. Et ſiquidem inveniſſent aliquid, eos qui negaverant verberabant: ſi vero nihil inveniſſent, quaſi diligentius celaviſſent, tormentis itidem afficiebant. Habendi autem argumento erant corpora miſerorum, cum ea quæ ſolidis viribus ſtarent, abundare cibo putarentur. Tabidi autem transfigebantur: nec rationis eſſe videbatur, ſtatim fame morituros occidere: multi vero clam univerſa bona ſua uno frumenti modio, qui ditiores eſſent, itemque pauperes hordei permutarunt. Incluſi deinde intimis ædium tectis, quidam ſumma penuria infectum triticum comedebant: panem alii conficiebant, ut neceſſitas metusque monuiſſet. Et menſa quidem nusquam apponebatur, ſed incoctum ſubtrahentes igni cibum diripiebant. Miſerabilis autem erat victus, dignumque lachrymis ſpectaculum, cum potentiores quidem plus haberent, infirmiores autem injuriam deplorarent, quippe cum fames ſuper omnes clades haberetur: Nihil enim ſic perdit hominem ut pudor: nam quod reverentia dignum eſt, in fame negligitur. Denique

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Ingens in urbe fames.

Abundantiæ cibi argumenta.

Miſerabilis victus, dignumq; lachrymis ſpectaculum.

uxo-

A. M. 4034. P.C.N. 72. uxores viris, & filii parentibus, & quod miſerrimum, matres cibum infantibus ex ipſo ore rapiebant: & marceſcentibus inter manus chariſſimis nemo parcebat, quin vitæ guttas auferret. Edentes vero talia non latebant, ſed ubique aderant qui iſta diriperent. Nam ſicubi clauſam domum vidiſſent, eos qui intus erant, cibum capere hoc ſuſpicabantur indicio: ſtatimque ruptis foribus irruebant, victumque jam contuſum dentibus, ex gutture pene revocabant, ipſos faucibus ſtrangulantes. Pulſabantur autem ſenes ne cibum defenderent: lacerabantur mulieres, ea quæ haberent in manibus occulentes: nullaque miſeratio vel cani erat capitis, vel infantiæ: ſed abſtractos pueros & ex buccella pendentes, humo allidebant. Si quis autem incurrentes anteveniſſet, quodque rapturi fuerant devoraſſet, tanquam læſi cruentiores erant. Acerbiſſimos autem cruciatus excogitabant, dummodo alimenta reperirent: nunc excruciantes genitalium vias, nunc virgis acutis podices transfigendo, horrendaque etiam auditu quis patiebatur: in unius panis confeſſionem, & ut unum pugnum farinæ abditum indicaret. Tortores autem nec eſuriebant (minus enim crudele videretur, quod neceſſitas impetraret) exercentes autem dementiam ſuam, ſexque ſibi dierum commeatum præparantes, hisque occurrentes, qui per Romanorum cuſtodias agreſtis oleris herbarumque gratia colligendarum nocte erepſiſſent, cum jam ſe hoſtes evaſiſſe credebant, quæ attuliſſent, eripiebant: multumque ſupplicantibus, & horribile Dei nomen implorantibus, ut aliquam partem ſibi concederent eorum, quæ cum periculo ſibi collegiſſent, nihil penitus

Milites victum jam contuſum dentibus, ex gutture pene revocant, ipſos faucibus ſtrangulantes.

da-

dabant, gratumque videbatur, si spoliati non perirent. Hæc quidem humiliores a satellitibus patiebantur. Honorati vero ac divites ad tyrannos perducebantur, quorum alii insidiarum falso accusati occidebantur, alii quia Romanis proderent civitatem. Et plerumque delator subornatus indicabat, quod profugere voluissent. Si vero quem Simon expilasset, eum ad Joannem remittebat: & quem Joannes expoliasset, eum Simon excipiebat: sibique invicem propinabant sanguinem popularium, miserorumque cadavera partiebantur. Et dominandi quidem causa erat in utroque dissensio, scelerum vero concordia. Nam qui ex alienis malis partem alteri, sibi totum vendicans, non dedisset, nequissimus videbatur. Et qui non accepisset, velut boni alicujus damno dolebat, quia crudelitatis parte caruisset. Singillatim quidem iniquitates eorum explanare non potero: ut autem breviter dicam, neque aliam civitatem unquam talia perpessam puto, neque ullam nationem post hominum memoriam malitia ferociorem fuisse. Postremo etiam genti Hebræorum maledicebant, ut minus impii viderentur in alienos. Verumtamen, quod erant, & servos se, & convenas & degeneris gentis abortiones esse confessi sunt. Denique civitatem ipsi evertere, & Romanos invitos hanc tristem admittere victoriam coegere: tardiusque venientem in templum ignem pene traxere. Denique cum hi ardere superiorem civitatem vidissent, neque doluere, neque illachrymavere: sed apud Romanos, qui hæc paterentur, inventi sunt. Verum hæc quidem suo loco postea cum rerum documentis dicemus.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Honorati ac divites ad tyrannos perducuntur.

Dominandi causa in Joanne & Simone dissensio, scelerum vero concordia.

Josephi de populo Judaico judicium.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT XII.

*De Judæis crucifixis & aggeribus combustis.*

TIto autem aggeres proficiebant, quamvis a muro milites male afficerentur: parte vero equitatus missa, jussit per valles ad alimenta comportanda exeuntibus insidias tendi. Erant autem in his nonnulli etiam pugnatores, quibus jam minime præda sufficeret: major vero pars ex populo pauperes, quos profugere deterrebat pro affectibus suis metus: nec clam enim seditiosis fieri posse sperabant, ut cum conjugibus ac liberis diffugerent: eosque latronibus relinquere non patiebantur vice sua jugulandos. Audaciores autem faciebat ad exeundum fames, restabatque jam latitantes egredi, & ab hostibus capi. Deprehensi autem necessitate pugnabant, metu supplicii, seroque videbantur supplicare: post pugnam itaque verberati, & ante mortem modis omnibus excruciati, contra murum cruci suffigebantur. Tito quidem miserabilis videbatur ista calamitas, cum Judæi in dies singulos quingenti, nonnunquam etiam plures caperentur. Sed neque captos dimittere tutum erat, tantamque asservare multitudinem custodum videbat esse custodiam: maxime vero propterea non prohibuit, citius eos existimans ea facie remissuros, tanquam similia passuros, nisi se dedidissent. Milites autem diversis modis suffigebant, ira & odio & ludibrii causa: & propter multitudinem quam cepissent, jam spatium crucibus deerat, & corporibus cruces. Seditiosis vero tantum defuit, ut ea clade moverentur, quod etiam in contrarium eis cessit, ad deterrendam reliquam multitudinem. Transfugarum

Pauperum ex populo miseria.

Judæos permultos Titus contra murum cruci suffigit.

rum enim familiaribus ad murum tractis, & si qui erant popularium proniores ad pacem, & quæ paterentur qui ad Romanos profugerent, demonstrabant: & qui comprehensi tenebantur, eos supplices non captivos esse dicebant. Ea res multos perfugere cupientium, donec verum cognosceretur, inhibuit. Fuerunt autem qui statim dilapsi sunt, quasi ad verum supplicium properantes. Illatam enim ab hostibus mortem, comparatione famis requiem esse ducebant. Multis autem captivorum Titus etiam manus abscindi præcepit, eosque ad Joannem & Simonem intromisit, ut propter calamitatem nec viderentur profugi, nec crederentur: saltem nunc desinerent admonens, neve se compellerent ad excidium civitatis; sed lucrarentur in extremis mutata voluntate, & proprias animas, & patriam tantam, & templum, cujus participem non habebant: simul autem aggeres circumeundo, operantes urgebat, veluti factis verba non multo post secuturus. Ad hæc in muris stantes, & ipsi Cæsari, & patri ejus maledicebant, mortemque se contemnere conclamabant, eamque servituti recte præferre, multa vero mala Romanis facere dum sperant, nec se nec patriam curantes, ut ipse diceret, perituros: mundumque Deo templum hoc melius esse: quamvis & id servaturus sit qui incoleret: quem ipsos quoque auxiliatorem habentes, omnibus interminationibus illusuros, quibus facta non adfore: finem enim Dei esse. Talia conviciis admiscentes vociferabantur. Et inter hæc Antiochus quoque aderat Epiphanes, multos alios armatos secum ducens, & præterea caterva stipatus qui Macedones appellabantur, omnes æta-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Transfugarum familiaribus ad murum tractis, seditiosi quæ paterentur qui ad Romanos profugerent, demonstrant

Judæi ipsi Cæsari & patri ejus maledicunt.

A. M. 4034. P.C.N. 72. te pares & paulo maturiores adoleſcentibus, more Macedonum inſtructi armis & eruditi: unde etiam nomen habebant, plerique tamen famam gentis æquare non poterant. Omnium enim Regum qui Romanis parebant, feliciſſimum Comagenum fieri contigit, prius quam fortuna mutaretur. Oſtendit autem ille quoque in ſenecta ætate, nullum ante mortem beatum dici oportere. Cæterum filius ejus adhuc eo vigente præſens ſe mirari ajebat, quidnam eſſet, quod Romanos adire pigebat muros; erat enim bellator ipſe, naturaque promptiſſimus, tantusque viribus, ut multum peccaret audacia. Cum vero Titus ad hoc ſubriſiſſet, laboremque communem eſſe dixiſſet, ſicut erat Antiochus cum Macedonibus in murum impetum fecit: & ipſe quidem pro viribus ſuis ac peritia cavebat tela Judæorum, ſagittis eos appetens: adoleſcentes autem omnes præter paucos attriti ſunt. Nam pudore promiſſionis diutius pugna certaverant, & ad extremum multi ſaucii receſſere: hoc reputantes, quod etiam viris Macedonibus vincere cupientibus, fortuna opus ſit Alexandri. A Romanis enim duodecimo die menſis Maji aggeres inchoati, vix nono & vigeſimo perfecti ſunt, cum totos dies ſeptem & decem laboraſſent: ingentes enim quatuor jacti ſunt, & unus quidem qui erat ad Antoniam, & a quinta legione fuerat extructus, contra medium ſtagnum, quod Struthium vocatur: alter vero a duodecima viginti cubitis diſtans. Decima vero legio quæ ſupra memoratis præſtabat, in ſeptentrionali parte opus erexerat, ubi ſtagnum eſt quod appellatur Amygdalon. Ab hoc autem quintadecima legio triginta diſcedentem cubitis aggerem fecit

Dicique beatus... Ante obitum nemo ſupremaq; funera debet.

Antiochi & militum inſolentia.

Romani per dies ſeptem & decem aggeres quatuor ingentes perficiunt.

ad

ad Pontificis monumentum. Jam vero admotis aggeribus, Joannes ſubfoſſa intus terra usque ad aggeres Antoniam verſus, diſpoſitis per cuniculum ſudibus, opera ſuſpendit: illataque ſylva pice ac bitumine illita, ignem immittit: ſuccenſis autem fulcimentis, foſſa repente ſubſedit, cumque magno ſonitu in eam aggeres decidere; ac primo quidem cum pulvere fumus ex alto excitatus eſt, cum ignem ruina concluderet: pereſa vero materia qua premebatur, flamma jam clarior apparebat. Et Romanos repentini quidem facti ſtupor occupat: molitionem vero Judæorum ægre ferebant: jamque ſe viciſſe credentium & ſpes eo caſu refrixit, & in poſterum ſubvenire adverſus ignem minus utile videbatur, etiam ſi eſſet extinctus ſemel aggeribus devoratis. Biduo vero poſt, alios etiam aggeres Simon cum ſociis aggreditur: illa enim parte Romani admotis arietibus concutere murum cœperant. Tepthæus autem quidam ex Garſi ortus, civitate Galilææ, & Megaſſarus ex regalibus famulis Mariammes, cumque his Adiabenus quidam, filius Nabatæi, nomen habens ex fortuna Agiras, cujus eſt interpretatio claudus, raptis facibus in machinas evolarunt: hisque viris neque audaciores in illo bello extra civitatem apparuere, neque magis horrendi: nam velut in amicos, non in agmen hoſtium excurrerent, nihil cunctati ſunt aut ſubſtitere: ſed per medios inimicos facto impetu, machinas incendere: acti autem miſſilibus, & cladibus detruſi, non prius a periculo demoti ſunt, quam ignis inſtrumenta corriperet. Sublata vero jam flamma, Romani quidem concurrentes e caſtris, auxilio properabant: Judæi vero ex muro eos prohi-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Trés viri audaces inter Judæos.

A. M. 4034. P.C.N. 72. bebant, manusque cum his conſerebant, qui flammas extinguere conarentur, propriis corporibus nullo modo parcentes. Et illi quidem arietes igni ſubtrahere, cum eorum tegmina cremarentur: Judæi vero etiam per flammas eos retinere certabant, & quamvis fervens nacti eſſent ferrum, tamen arietes non amiſere. Hinc autem flamma tranſiit in aggeres, & auxiliantes præveniebat incendium. Itaque Romani flamma circumdati, quoniam ſervare poſſe opera deſperabant, in caſtra diſcedunt. Judæi vero magis inſtabant, cum ſemper eorum numerus creſceret, ex civitate accedentibus adjumentis, minusque cautos haberent impetus, freti victoria: progreſſi autem usque ad munimenta caſtrorum prælio cum eorum cuſtodibus decertabant. Eſt enim ſtatio pro caſtris per vices ſuccedentium armatorum, & acerbiſſima in eos ſanctio Romanorum, ut qui loco de qualibet cauſa ceſſiſſet, occideretur, hi pœnali exitio glorioſa morte prælata, ſteterunt fortiter: eorumque neceſſitate ſimul ac pudore, plurimi fugientium redierunt: balliſtisque in muro diſpoſitis, ex civitate accedentem multitudinem prohibebant, nihil pro cautione ſive tutamine ſuorum corporum providentem; nam quoscunque obvios habuiſſent, cum his congrediebantur Judæi, & in ſpicula irruentes incaute, ipſis corporibus inimicos feriebant. Sed neque hi actis magis quam fiducia ſuperabant, & Romani plus audaciæ quam quod male tractarentur, cedebant. Jam vero Titus aderat ab Antonia, quo ſeceſſerat, locum aliis aggeribus proſpiciens: multumque increpatis militibus, ſi cum hoſtium muros obtinerent, in ſuis periclitarentur, & velut

Romani flamma circumdati opera extructa amittunt.

Sanctio Romanorum acerbiſſima in eos, qui loco cedunt.

Titus militibus negligentiam exprobrat.

lut ex carcere contra ſe dimiſſis Judæis, obſeſſorum paterentur ipſi fortunam, ipſe cum electis militibus hoſtes a latere circumvenit: illi autem cum in ora ferirentur, contra eum converſi durabant: mixta vero acie, pulvis quidem lumina, clamor vero aures exuperabat, neque aut amicum quisquam internoſcere poterat aut inimicum. Judæis autem non tam virium fiducia, quantum ſalutis deſperatione perſeverantibus, etiam Romanos pudor armorum & gloriæ & præſentia periclitantis Cæſaris reddidit fortiores. Itaque putaverim eos ad extremum nimia ferocitate animorum, vel totam multitudinem Judæorum fuiſſe rapturos, niſi prævento pugnæ momento, in civitatem ſe recepiſſent. Corruptis autem aggeribus Romani mœrore tenebantur, quod tam longum laborem una hora perdidere, & multi quidem ſolutis machinis captum iri civitatem jam deſperabant. A. M. 4034. P.C.N. 72.

Judæi in civitatem ſeſe recipiunt.

## CAPUT XIII.

*De muro extructo ab exercitu Romano circa Hieroſolymam triduo.*

TItus autem cum ducibus quid fieret deliberabat. Et callidioribus quidem placebat, omni admoto milite vi muros experiri: adhuc enim Judæos cum exercitus parte dimicaſſe, univerſi vero militis impetum tolerare non poſſe, verum ſagittis eſſe obruendos. Prudentiores autem rurſus aggeres fieri ſuadebant: alii & ſine aggeribus aſſideri, egreſſus eorum tantummodo obſervando, ac ne victus intro ferretur monebant, & civitatem fami relinquere, neque cum ho-

Titus cum Ducibus deliberat.

A. M. 4034 P.C.N. 72. ſte manu confligere: nec enim expugnari eorum confidentiam poſſe, quibus optatum eſt ferro procumbere, vel etiam ſine hoc interficere, quæ ſævior eſt cupiditas. Ipſi autem Tito, ceſſare quidem prorſus tanto cum exercitu, honeſtum non videbatur: & pugnare cum his ſupervacuum, qui ſemetipſos perdituri eſſent. Aggeres autem fieri, impendiorum penuria operoſum judicabat, egreſſus vero civitatis obſervari, operoſius. Nec enim circumdari eam propter magnitudinem locorumque difficultatem, ab exercitu poſſe, & præterea ad excurſus incautum: contra manifeſtam enim viam obſervatam, occultas vias excogitaturos Judæos, tam neceſſitate, quam locorum ſcientia. Si quid autem clam eſſet illatum, diutius obſidionem trahendam, verendumque, ne victoriæ gloriam diminuat temporis longitudo. Hæc enim cuncta quidem effici poſſe, ſed celeritatem ante gloriam duci: debere tamen ſi celeritate uti velit & cautione, totam muro cingere civitatem. Hoc enim modo omnes exitus poſſe *præcludi*: & Judæos aut omnibus modis ſalute deſperata, civitatem tradituros, aut fame victos facillime capiendos; aliter enim ſe non poſſe quieſcere. Verum & aggeres curaturum eſſe, cum infirmiores habeat qui prohibeant. Quod ſi cuiquam magnum opus & inextricabile videatur, eum conſiderare debere, quod neque parvum opus Romanos decebat facere: & ſine labore magnum quid perficere, ne Deo quidem facile ſit. His dictis duces exhortatus, jubet eos exercitus in opera diſtribuere. Divinus autem quidam impetus militibus incidit: ambitumque partiti, non ſolum rectores inter ſe, verum ipſi etiam

Titus totam muro cingere civitatem cogitat.

Romanorum militum in extruendo muro labor indefeſſus.

or-

ordines certabant. Et miles quidem decadarchus decadarcho autem hecatontarcho, isq; chiliarcho placere properabat: chiliarchorum vero ostentatio ad duces usque pertinebat, ducum vero certamina Cæsar ipse dijudicabat. In dies enim singulos circuiens, opus sæpissime inspiciebat. Cœptum enim a castris Assyriorum, ubi ipse tendebat, ad inferiorem Cænopolim murum duxit. Hinc per Cedronem ad Eleon montem revertens, a meridie montem complectitur, usque ad saxum quod Peristereonos vocatur, eique proximum collem, qui super vallem imminet Siloam, ac inde ad occidentem flexo ædificio, ad vallem fontis descendit. Hinc subiens ad Anani Pontificis monumentum, circumdato monte, ubi Pompejus castra posuerat, ad septentrionalem redit regionem. Et cum processisset ad vicum, cui nomen est Erebinthonicus, post illum Herodis monumentum ab oriente clausum castris suis conjunxit, unde cœperat: Murus quidem uno minus quadraginta stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim ædificata sunt: eorum gyrus denis stadiis numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut id quidem dignum mensibus videretur, celeritas vero fide careret. Muro autem circumclusa civitate, per castella custodibus collocatis, primam quidem vigiliam noctis ipse circuiens explorabat: secundam vero Alexandro permiserat: tertia vero obtigit legionum ducibus. Somnos autem vigiles inter se sortiebantur, totaque nocte per castellorum spatia circuibant.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Murus uno minus 40. stadiorum.

Romanorum per castella custodia collocata.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT XIV.

*De fame Hieroſolymorum & ſecundo aggere extructo.*

Tecta ac viæ mortuis plenæ.

JUdæis autem cum exeundi facultate, omnis etiam ſpes ſalutis adempta eſt: auctaque jam fames, totas domos ac familias depaſcebatur. Et tecta quidem plena erant mulieribus exanimatis, atque infantibus: viarum autem anguſta ſenibus mortuis. Adoleſcentes autem ac juvenes turgidi, velut umbræ mortuorum, per fora verſabantur: & ubi quem caſus occupaverat, decidebant. Sepelire autem funera, neque poterant præ labore, & eos quibus aliqua vis ſupererat, pigebat, & propter multitudinem mortuorum, & quod de ipſis erat incertum. Denique ſuper eos quos ſepelierant, multi moriebantur. Multi autem ad ſepulcra, prius quam fati dies veniret, & vivi properabant: neque luctus in illis calamitatibus, neque fletus erat, ſed fame ſuperabantur affectus. Siccis autem oculis, & corruptis oribus, qui tardius morerentur, eos qui ante ſe requieſcerent, tuebantur. Altum vero ſilentium civitatem, plenaque mortuis nox comprehenderat, & latrones his acerbiores; domos enim, quæ tum ſepulchra erant, & cadavera ſpoliabant, & velamina corporibus detrahentes, cum riſu egrediebantur; hisque gladiorum mucrones probabant: nonnullosque jacentium adhuc ſpirantes, ferro experiendi cauſa transverberabant. Si quis autem manum rogaſſet, aut ferrum ſibi commodari, quo famem evaderet, ſuperbiſſime negligebatur. Animas vero efflantium quisque, in morte templum obtutibus intuebatur, cum

Mortui inſepulti in civitate jacent.

Latronum in morientes crudelitas.

vi-

vivos relinqueret ſeditioſos. Illi autem, primo quidem ſumptu publico jubebant mortuos ſepeliri, cum fœtorem ferre non poſſent: deinde quod non ſufficiebant, in valles eos ex muro præcipitabant. Quas circuiens Titus ubi plenas cadaveribus vidit, altamque ſaniem tabefactis corporibus defluentem, ingemuit: & extentis manibus Deum teſtabatur, factum illud ſuum non eſſe. Civitas quidem ita erat affecta. Romani vero, cum jam nemo ſeditioſorum auderet excurrere (nam etiam eos mœror, famesque tangebat) dies lætos agebant: frumenti, aliarumque rerum neceſſariarum habentes copiam, de Syria proximisque provinciis: multi autem juxta murum ſtantes, magnamque alimentorum abundantiam demonſtrantes, ſatietate ſui famem hoſtium incendebant. Seditioſis autem nihilo magis calamitate cedentibus, Titus reliquias populi miſeratus, & properans ſaltem hoc liberare quod ſupereſt, iterum aggeres inchoabat, quanquam difficulter materiam reperiret: omnes enim civitati proximas ſylvas, opera prima conſumpſerant: a nonageſimo vero ſtadio milites alias congerebant: & ad Antoniam ſolam ex quatuor partibus, majores prioribus aggeres ſtruebantur. Cæſar autem agmina circuiens, atque opus urgens, quod in manibus eos haberet, latronibus oſtendebat. Sed illis pœnitudo plane perierat: & animis ac corporibus ſeparati, utrisque velut alienis utebantur. Nec enim vel animas affectio manſueta, vel corpora dolor tangebat, qui etiam mortuam plebem, quaſi canes lacerabant, replebantque languentibus carcerem.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus extentis manibus factum illud ſuum non eſſe, Deum teſtatur.

Romani Judæis magnam alimentorum abundantiam demonſtrant.

Titus populi miſeratus quod ſupereſt liberare properat.

Judæorum execratio.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT XV.

*De cæde Judæorum intra & extra Hierosolymam.*

Simonis in Matthiam ejusque filios crudelitas.

DEnique Simon Matthiam, per quem obtinuerat civitatem, excruciatum peremit. Boethi filius erat, ex pontificibus populo maxime fidelis & charus. Is, cum a Zelotis male populus tractaretur, quibus jam Joannes accesserat, ut adjutorem Simonem reciperet, populo persuasit: nulla cum eo prius habita pactione, nec aliquid mali metuens. Ingressus autem ille, postquam obtinuit civitatem, inimicum eum æque atque alios esse dicebat, qui pro se consilium dederat, velut hoc simplicitate suasisset: productumque eum & accusatum, quod cum Romanis sentiret, morte damnavit, ne purgationis quidem ei facultate concessa, cum tribus filiis suis: quartus enim ad Titum ante profugerat. Prius autem se occidi, quam filios obsecrantem, atque hanc pro illa, quod civitatem ei aperuisset, gratiam postulantem, ut augeret ejus dolorem, novissimum jussit interfici. Ille quidem super cæsos in conspectu suo filios jugulatur, coram Romanis productus: ita enim Simon Anano Bamadi filio præceperat, qui erat ejus satellitum crudelissimus, cavillatus si quid eum juvarent, ad quos exire voluisset: corpora vero sepeliri prohibuit. Post hos Ananias quidam, Pontifex, filius Masbali, nobilis, & scriba curiæ, vir fortis, ex Ammaunte genus ducens, & cum his quindecim ex populo clariores necantur. Josephi vero patrem concluſum asservabant: missoque præcone denunciant, ne quis in civitate degentium vel colloqueretur cum eo, vel in unum veniret, proditionis metu propo-

Ananus Simonis satellitum crudelissimus.

Ananias Pontifex, & quindecim ex populo clariores necantur.

Josephi pater captus.

sito:

ſito: & eos qui hæc cum illo deflerent, ante quæſtionem perimebant. Iſta videns quidam Judas filius Judæ, unus ex numero præfectorum Simonis, qui turrim ab eo ſibi creditam cuſtodiebat, fortaſſe quidem nonnihil etiam miſericordia crudeliter pereuntium, magis autem ſui providentia, convocatis decem fidiſſimis contubernalium: quousque tandem, inquit, hæc mala ſuſtinebimus? quamve ſalutis ſpem habemus, ſervantes peſſimo fidem? Ecce jam fames oppugnat. Romani vero pene intus ſunt. Simon autem bene quoque meritis infidelis eſt: metusque etiam apud eum pœnæ, & apud Romanos certa fœderis dextera. Ergo age, tradito muro & nosmet ſervemus & civitatem. Nihil autem grave Simon patietur, ſi, cum de ſe deſperaverit, pœnas citius pendet. His ubi decem aſſenſi ſunt, mane cæteros quos ſubjectos habebat, per diverſum dimittit, ne quid eorum quæ cogitaverat proderetur; ipſe vero de turri hora tertia Romanos invocabat; illorum autem alii præ ſuperbia contemnebant, alii non credebant, alios etiam pigebat, velut mox capturos civitatem nullo periculo. Interea vero, cum Titus ad murum cum armatis ſuccederet, ante rem Simon cognovit, turrimque velociter occupat: Romanisque eos inſpectantibus cuſtodes peremit, & per murum projecit corpora mortuorum. Ibique circuiens Joſephus (nec enim rogare ceſſabat) caput vulneratur lapide, ſtatimque attonitus cadit. Excurſus autem ad ejus caſum factus eſt Judæorum: abreptusque eſſet in civitatem, niſi Cæſar miſiſſet qui eum protegerent. Illis autem pugnantibus, Joſephus quidem tollitur, parum quod ageretur intelli-

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Judæ cum contubernalibus deliberatio.

Judas cum contubernalibus a Simone trucidatur

Joſephus caput vulneratur lapide, ſtatim attonitus cadit, & rumor per civitatem ſpargitur.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

gens: ſeditioſi vero, tanquam interfecto quem maxime cupiebant, cum lætitia conclamaverunt. Spargitur autem hic rumor per civitatem: ex quo reſiduam multitudinem mœror tenuit, vere periſſe credentem, cujus fiducia profugere cogitabant. Audito autem Joſephi mater in carcere, mortuum eſſe filium ſuum, ad cuſtodes quidem, ex Jotapatis hoc ait certo ſe credere, nec enim vivo potiri. Secreto autem flens, ad ancillas, hunc, inquit, fœcunditatis recepiſſe fructum, quod ne ſepelire quidem ſibi filium licuiſſet, a quo ſepeliri ſperaſſet. Verum ne illam quidem mendacium diutius cruciavit, neque latrones refecit. Cito enim curato vulnere Joſephus reſipuit: progreſſusque clamabat, illos ſibi non multo poſt vulneris pœnas daturos; populum autem rurſum ad fidem hortabatur; unde populo quidem fiducia, ſeditioſis vero ſtupor incidit ejus aſpectu. Profugorum autem alii ſtatim de muro neceſſitate proſiliebant: alii velut ad pugnam cum lapidibus progredi ſimulantes, mox ad Romanos profugiebant. Hos autem ſævior ea, quam intus pertulerant, fortuna conſequebatur: & fame, quam domi reliquerant, velociorem apud Romanos inveniebant ad exitium ſatietatem: aderant namque inflati ex inedia, & velut morbo intercutis aquæ turgidi; deinde vacuata replentes corpora disrumpebantur: niſi qui periti deſideria cohibuiſſent, paulatimque cibum deſueto corpori obtuliſſent. Verum & eos, qui hoc modo ſervarentur, alia plaga ſuſcepit. Quidam apud Syros ex transfugis deprehenditur, e ſimo ventris aureos colligens. Transglutientes autem (ut ſupra diximus) eos veniebant, quod cunctos ſeditioſi ſcrutabantur: & maxima

Joſephus curato vulnere reſipiſcit.

Fame, qui Judæi domi reliquerant, velociorem apud Romanos inveniunt ad exitium ſatietatem

xima vis auri fuerat in civitate; denique duodecim atticis comparabant, quod antea viginti-quinque valebat. Verum hac arte per unum detecta, totis caſtris fama percrebuit, quod auro transfugæ pleni venirent. Arabum autem multitudo & Syri, ſciſſis ventribus ſupplicium minitabantur. Et hac ego clade nullam credo ſæviorem contigiſſe Judæis: una denique nocte duorum millium patefacta ſunt viſcera. Et hac Titus injuſtitia cognita, pene juſſiſſet autores circumfuſo equitatu jaculis appeti, niſi magna fuiſſet multitudo noxiorum, multoque plures puniendi, quam qui fuerant interempti. Convocatis autem auxiliarium ducibus, itemque militum Romanorum (nam etiam militum quosdam hæc tangebat invidia) utrisque iratus dicebat: ſi qui militum ſuorum hæc committerent lucri cauſa incerti, nec arma propria quisquam erubeſceret auro argentoque facta: Arabes autem & Syri, primo in alieno bello licenter calamitates inferrent: deinde crudelitatem in cædibus & in Judæos odia Romanis aſſcriberent; hac enim quosdam ſuorum milites infamia participare, & his quidem mortem interminatus eſt, ſi quis in eadem poſtea repertus fuiſſet audacia; ad legiones autem mandata dedit, ut ſuſpectos inveſtigarent, atque ad ſe deferrent. Verum profecto avaritia contemnit omne ſupplicium, ſævisque hominibus lucrandi amor innatus eſt: nullaque omnino calamitas plus habendi cupidini comparatur. Imo vero hæc alias, & modum habent, & metu ſubjugantur. Deus autem, qui damnaverat populum, omnem viam ſalutis ad interitum verterat: denique id quod cum pœna interdixerat Cæſar, occulte in profugos admittebatur. Et ſi quis

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Una nocte duorum millium viſcera patefacta.

Titus militibus ob facinus iratus.

Avaritia ſupplicium omne contemnit.

trans-

A. M. 4034. P.C.N. 72. transfugiſſet, circumſpectantes ante, ne quis Romanorum videret, eos ſcindebant, & ex viſceribus quæſtum nefarium trahebant: in paucis autem reperiebatur, & plerosque ſola ſpes conſumebat. Hic quidem caſus multos transfugarum reduxit.

## CAPUT XVI.

*De ſacrilegio circa templum & relatis ex urbe cadaveribus & fame.*

Joannes ad ſacrilegium ſeſe convertit, multaque donaria templi retinet.

JOannes autem, ubi rapinæ ex populo defuere, ad ſacrilegium ſeſe convertit, multaque donaria templi retinens, multaque vaſa divinæ rei miniſterio neceſſaria, crateras, & lances, & menſas, ne urceolis quidem abſtinuit, quos Auguſtus ejusque uxor miſerat. Romanorum quidem Imperatores honoraverunt ſemper templum atque ornaverunt: tunc autem Judæus etiam alienigenarum dona diſtrahebat: ad ſocios autem dicebat, ſine metu divinis abuti debere, qui pro Deo, qui pro templo militarent, & ex ipſo ali. Proptereaque ſacrum vinum, & oleum, quod ſacerdotes ſacrificiis reſervabant, tutum erat effudiſſe: namque in templo & multitudini diſtribuit, & illi ſine horrore ungebantur & potabant. Non equidem recuſabo dicere, quæ dolor jubet. Puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmina ac Sodomæ incendia paſſuram: multo enim magis impiam progeniem tulit, quam quæ illa pertulerat: denique cum eorum pertinacia deſperata, totus populus interjit. Et quid eſt opus ſingulatim narrare clades? Mannæus Lazari filius, transgreſſus ad

Ti-

Titum, per unam portam, quæ ſibi credita fuerat, centum & quindecim millia & octoginta dixit elata cadavera, ex quo die caſtra prope civitatem poſita ſunt, ex die quartadecima menſis Aprilis, usque ad calendas Julii: hæc autem immenſa eſt multitudo: nec tamen ipſe fuit appoſitus portæ, ſed publicam mercedem dividens, mortuos ex neceſſitate numerabat, cæteros enim propinqui ſepeliebant: ſepultura autem fuit, elatos ex oppido projicere. Poſt hunc autem nobiles profugi, omnia mortuorum egenorum ſexcenta millia portis ejecta nunciabant: aliorum vero numerum minime poſſe comprehendi, cum autem pauperibus efferendis non ſufficerent, congeſta in maximis ædibus cadavera eſſe incluſa, & frumenti quidem modium veniiſſe talento; poſt autem ubi muro circumdata civitate, ne herbas quidem legere jam liceret; ad hoc neceſſitatis quosdam fuiſſe compulſos, ut cloacas rimarentur, boumque veterem fimum alimentum haberent: ſtercusque collectum, quod ne viſui quidem tolerabile fuerat, cibus erat. Hæc Romani quidem audientes miſerati ſunt: ſeditioſos autem ne videntes quidem pœnitebat, ſed patiebantur usque ad ea progredi, fatum enim eos reddiderat cæcos, quod jam & ipſis imminebat & civitati.

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Sexcenta millia mortuorum portis ejecta.

Boum fimus, ſtercusque collectum Judæorum alimentum.

# FLAVII JOSEPHI DE BELLO JUDAICO

## LIBER VII.

### SUMMA CAPITUM LIBRI VII.

De bello Judaico.


1. *De suffossione murorum, succensione aggerum, & Sabino oppugnante murum.*
2. *Romani Antoniam invadunt, & a Judæis repelluntur.*
3. *De Juliano Romano milite insigni fortitudine.*
4. *Josephi oratio pro deditione Judæorum, & profugium eorum.*
5. *De iterata pugna, extructis aggeribus, & excursionibus Judæorum.*
6. *Romani flammis pereunt dolo Judaico, & de Artorio quodam.*
7. *De fame Judæorum.*
8. *De muliere, quæ præ fame filium coxerat.*
9. *De expugnatione muri & incendio templi.*
10. *Quemadmodum Templum incensum est invito Tito.*
11. *De Sacerdotibus, gazophylacioque, & porticu.*
12. *De prodigiis excidium Hierosolymæ præcedentibus, & præsagiis.*
13. *De Imperio Titi, & sacerdotum interfectione.*
14. *De præda seditiosorum, & succensione interioris civitatis.*
15. *Superior pars civitatis oppugnatur, & confugiunt aliqui Judæorum ad Titum.*
16. *De occupata reliqua parte Civitatis.*
17. *De numero captivorum, & peremptorum.*
18. *Hierosolymæ urbis historia brevis.*
19. *De præmio militum.*

20. *De navigatione Vespasiani, deque comprehenso Simone, & spectaculo die natalitio exhibito.*
21. *De calamitate Judæorum apud Antiochenses.*
22. *Quomodo Vespasianus rediens a Romanis exceptus est.*
23. *Domitiani gesta contra Germanos & Gallos.*
24. *De amne Sabbatico, & triumpho Vespasiani ac Titi celeberrimo.*
25. *Herodium & Machærus a Basso capta.*
26. *De Judæis a Basso interemptis, & Judæa divendita.*
27. *De clade Antiochi Regis & eruptione Alanorum in Armeniam.*
28. *Excidium Massadæ castelli munitissimi.*
29. *Interitus Sicariorum, qui in Alexandriam & Thebas profugerant.*
30. *Oniæ templum clausum apud Alexandriam.*
31. *De interfectione Judæorum apud Cyrenem.*

## CAPUT I.

*De suffossione murorum, succensione aggerum, & Sabino oppugnante murum.*

A. M. 4034. P.C.N. 72.

CLades quidem Hierosolymorum in pejus quotidie procedebant, cum & seditiosi magis accenderentur adversis inclusi, postquam populum fames ipsosque jam possederat. Quin & multitudo congestorum in civitate cadaverum, & visu horrenda erat, odoremque pestiferum emittebat, cum excursus etiam pugnantium moraretur. Nam veluti per aciem ruerent, plurima cæde excitata, conculcare mortuos cogebantur: & qui super eos pedem ponerent, neque miserabantur, neque horrebant: nec saltem sibi augurio fore putabant contumeliam mortuorum. Gentili autem cæde polluti,

Multitudo congestorum in civitate cadaverum horrenda visa.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

dexteras ad externum bellum præparabant, tanquam exprobrantes Deo (ut mihi videtur) ſupplicii ſui tarditatem: non enim ſpe victoriæ major pars eorum, ſed deſperatione ſalutis ferocius ferebatur. Romani autem quamvis plurimum in aggreganda materia laborarent, tamen intra viginti & unum dies aggeres erexerunt, attonſis omnibus ad nonaginta usque ſtadia circa oppidum lucis. Erat autem miſerabilis terræ facies; nam quæ antea arboribus & paradiſis ornata fuerat, ea tunc deſerta præciſis undique arboribus cernebatur: nec ullus qui pridem Judæam viderat alienigena & ſuburbana pulcherrima civitatis, cum ejus ſolitudinem tunc videret, continere lachrymas poterat, vel non gemere mutationem quantum priſtinis derogaſſet. Omnia namque inſignia pulchritudinis, bellum deleverat: nec ſi quis ſubito adveniſſet, qui locum prius ſcierat, eum cognoſceret, ſed præſens quæreret civitatem. Romanis autem ac Judæis, finitum opus aggerum, par faciebat timoris initium; namque hi, niſi eos quoque exurerent, captum iri civitatem putabant: Romani autem, fortaſſe nec voluntatem ſibi fore illis incenſis alios parare: nam & materiæ defecerant: & labori quidem corpora militum, crebris vero offenſionibus animi ceſſerant. Verum civitatis cladibus triſtius Romani quam cives in ea degentes afficiebantur: ad mala enim quæ hinc accidebant, etiam propugnatoribus nihilo ſegnioribus utebantur. Sed eorum ſpes frangebatur, cum aggeres inſidiis, machinæ ſoliditate muri, manus vero conflictus audacia repugnantium ſuperaretur: & præcipue, quod cum ſeditione fameque ac bello totque malis

Judæi ſupplicii ſui tarditatem exprobrant Deo.

Judæa deſerta & deſolata.

Romanorum & Judæorum par timor.

Romani Judæorum audaciam verentur.

præ-

præstantiores Judæorum animos invenirent, virorum quidem inexpugnabiles esse impetus arbitrabantur, invictam vero animorum magnitudinem quæ calamitatibus aleretur: nam quis eos in rebus secundis sustineat, qui malis ad virtutem incitarentur? Illi quidem propterea cautius custodias præparabant. Joannis autem factio apud Antoniam, simul & quæ futura timebantur, si disjiceretur murus, cavebat, & antequam arietes admoverentur, operibus instabat: nisi quia conatus eorum irritus fieret. Aggressi enim cum facibus aggerem, spe decepti remeavere. Nam primum ne concordare quidem eorum videbatur consilium, paulatim & per intervalla, & constanter, non sine metu prosilientium, neque Judæorum more, ut breviter dicam: deerant enim quæ propria gentis essent, audacia, cursus, & omnium simul impetus: & ut non sine offensione recederent. Languidiores vero progressi quam solebant, etiam Romanos solito promptiores offendere: qui corporibus quidem atque armis ita undique aggeres sepsere, ut nusquam igni aditum relinquerent: animum vero ita confirmaverunt, ne quis loco, antequam occumberet, moveretur: nam præter omnium rerum desperationem, si etiam illud opus esset exustum, acerbissimus pudor milites occupaverat, si aut calliditati virtus cederet, aut arma temeritati, aut peritia multitudini, aut Judæis Romani. Simul autem missilia pro illis faciebant in prosilientes delata: & qui cecidisset, posteriores impediebat, ac periculum antecedentis molliores eos efficiebat. Qui vero intra teli jactum venire properassent, alii disciplina hostium & densitate perterriti, alii confixi hastis

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Judæi cum facibus aggerem aggrediuntur spe decepti remeant.

Audacia & impetus Judæorum decrescit.

A. M. 4034. P.C.N. 72. retrocedebant: & ad extremum alius alium timiditatis arguens, re infecta revertebantur. Calend. autem Julii tentata fuerat expugnatio. Judæis autem inde digressis, Romani machinas admovere: quamvis ab Antonia saxis atque igni ferroque peterentur, & quodcunque hostibus telum necessitas attulisset: nam licet multum mœnibus Judæi confiderent, machinasque contemnerent, tamen eas applicare prohibebant Romanos. Illi autem Judæis studium esse rati, ne murorum infirmitate Antonia læderetur: & fragilibus eam fundamentis suspicantes, contra certabant. Nec tamen quod feriebatur, ictibus obediebat: sed ipsi quidem crebris in se missilibus jactis, cum nullis periculis desuper venientibus lassarentur, arietum opus urgebant: cum vero inferiores essent, ac lapidibus frangerentur, alii scutis super corpora concameratis, fundamenta manibus & vectibus suffodiebant. Itaque saxis quatuor obstinato labore concussis, quietem utrisque nox attulit: & in ea murus arietibus labefactatus, ex qua parte *prioribus* Joannes aggeribus insidiando murum suffoderat, subsidente cuniculo repente labitur. Verum præter spem utrorumque animi affecti sunt. Nam Judæi quidem quibus mœrorem esse oportebat, quod ruina præter spem acciderat, & adversum eam præcauti non fuerant, tanquam maneret Antonia confidebant. Romanorum autem inopinatam lætitiam ex celeri subversione natam, conspectus alius murus, quem intrinsecus Joannes ædificaverat, cito restinxit. Verumtamen priore facilior oppugnatio videbatur. Tunc enim & ascensum per ruinas promptiorem, & Antonia esse infirmiorem murum qui recens erat,

Judæi seipsos timiditatis arguentes, re infecta revertuntur.

Oppugnatio Hierosolymæ Calend. Julii.

Romani murum suffodiunt

Murum quem Joannes ædificaverat, nemo ascendere audet.

erat, citoque deſtrui poſſet, arbitrabantur. Nemo tamen eum audebat aſcendere: quod ei, qui primus id tentaviſſet, certiſſimum eſſet exitium. Titus vero ſpe atque oratione putans alacritatem pugnantium excitari, & adhortatione atque promiſſis ſæpe quidem periculorum naſci oblivia, interdum autem mortem ſolere contemni, in unum congregatos fortiſſimos experiebatur, dicens: Commilitones, hortari quidem ad ea, quæ periculum non afferunt, aperte & ipſis qui rogantur, & qui eos rogant, ignaviæ reprehenſionem parit: exhortatione autem opus eſt in ſolis rebus ambiguis: quippe illa per ſe quemque gerere dignum eſt. Itaque difficilem vobis in murum eſſe aſcenſum ipſe profiteor: quod autem vel maxime oporteat gloriæ cupidos pugnare cum difficillimis rebus, pulchrumque ſit cum laude mori, nec erit infructuoſum, ſi qui primi fortiter fecerint, proſequar. Primum quidem vos illud hortetur, quod nonnullos fortaſſe deterret, Judæorum patiens animus, & in adverſis rebus dura conſtantia. Romanos enim eosque milites, quibus in pace bella diſcere, in bello autem vincere conſuetum eſt, a Judæis manu vel animo ſuperari turpiſſimum eſt: idque in fine victoriæ, cum etiam Dei nitamur auxilio; namque offenſiones noſtræ, Judaicæ deſperationes ſunt. Illorum autem clades, favore Dei veſtrisque virtutibus creſcunt. Etenim ſeditio, fames, obſidio, murorumque ſine machinis caſus, quid ſit aliud, quam in alios ira Dei, noſtrumque adjumentum. Igitur non ſolum deterioribus inferiores videri, ſed etiam divinum præſidium prodere, vobis non convenit. Quo pacto autem non turpe videa-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titi ad fortiſſimos oratio & adhortatio

Judæorum patiens animus & in adverſis rebus dura conſtantia.

Ira Dei in Judæos Romanorum adjumentum.

A. M. 4034. P.C.N. 72. videatur, Judæos quidem, quibus non magni pudoris eſt vinci, qui ſervire didicerint, quo minus in poſterum id patiantur, mortem contemnere atque in nos medios frequenter excurrere, non victoriæ ſpe, ſed oſtentationis gratia: nos autem totius pene terræ marisque victores, quibus etiam non vincere probro habetur, ocioſos ſedentes, ne ſemel quidem in hoſtes aliquid audaciter expertos, famem ac fortunam cum his armis operiri? maxime cum parvo diſcrimine totum poſſitis efficere. Denique in Antoniam ſi aſcenderimus, habebimus civitatem. Nam & ſi pugnandum ſit adversum intus poſitos, quod non arbitror, attamen capiti ac reſpirationi hoſtium inſiſtere victoriam nobis pleniſſimam repromittit. Equidem prætermiſſa nunc eorum laude, qui in bello cecidere, & immortalitate, qui Martio furore proſtrati ſunt, ex morbo pacis tempore mortem aliter ſentientibus imprecor, quorum anima cum corpore ſepultura damnatur. Quis enim virorum fortium neſcit, quod animas in acie ferro corporibus abſolutas, puriſſimum elementum æther hoſpitio receptas inter ſidera collocat: manesque ſe, bonos ac propitios heroas, videndos offerunt poſteris ſuis? Quas vero morbus corporis tabesque conſumpſerit, & ſi maxime probris ac piaculis purgatæ ſint, ſubterraneæ tenebræ operiunt, altaque oblivio ſuſcipit, corporis ſimul & vitæ ac memoriæ fine circumſcriptas. Quod ſi neceſſario mors homini decreta eſt; ad hoc autem omni morbo levius eſt ferri miniſterium; cui non videatur ignavum negare uſui, quod debito redditurus ſit? Et hæc quidem veluti ſervare nequeant, vel qui conati fuerint

Judæorum ac Romanorum comparatio.

Titus poetico more de futura vita loquitur.

pro-

proſecutus ſum; eſt autem ſalutis ſpes in maximis quoque periculis, qui virilem animum gerunt. Primum enim quod decidit, patet inceſſui: deinde totum quod ædificatum eſt, facillime diſſolvi poteſt. Vosque plures hoc opus aggredientes, alius alii pro adhortatione fietis atque ſubſidio: veſtraque obſtinatio brevi animos hoſtium franget: ac fortaſſe nobis, ſi eam tantum cœperimus, incruenta res efficietur. Etenim aſcendentes quidem nos prohibere ſcilicet conabuntur; ſi vero clam, vel etiam per vim aliquid egerimus ſemel, quamvis paucos non ſuſtinebunt. Me autem profecto pudeat, niſi, qui primus hoc fecerit, invidendum remunerationibus fecero: & qui vixerit quidem nunc æqualibus præſit: beatiſſima vero præmia ſequantur occiſos. Talia dicente Tito, cætera quidem multitudo periculi magnitudinem timuit: eorum vero unus, qui in cohortibus militarent, Sabinus nomine, genere Syrus, vir & manu ſimul & animo fortis apparuit: licet ſi quis eum ante vidiſſet, quantum ex habitu corporis, ne ſpecie quidem militem eſſe credidiſſet: erat enim colore nigro, exilis habitudine: ſed anima quædam heroica in macro corpore, atque anguſtiore viribus ſuis habitabat. Cum primus itaque ſurrexiſſet: dedo me, inquit, tibi alacri animo Cæſar, & ante omnes in murum aſcendo: atque opto quidem, ut vires ac voluntatem meam ſequatur fortuna tua; quod ſi cœpto caſus inviderit, ſcito me non præter ſpem, quod res aliter ceſſerit, ſed quod ſic decreverim, pro te moriturum. His dictis, & ſcutum læva manu capiti prætendens, ſtrictoque dextera gladio, circa horam diei ſextam murum petebat; ſeque-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Fortium virorum remuneratio.

Sabinus vir corporis habitu parvus, ſed manu ſimul & animo fortis.

A. M. 4034. P.C.N. 72. bantur autem ex aliis, qui ſoli ejus virtutis æmuli eſſe cupiebant undecim viri. Multo autem omnes antecedebat divino quodam impetu excitatus, cum de muro cuſtodes jaculis & ſagittis undique infinitis appeterent, atque ingentia ſaxa devolverent, quæ nonnullos de undecim dejecerunt. Sabinus autem miſſilibus occurrens, licet obrueretur ſagittis, non tamen ante impetum cohibuit, quam ſumma muri prehenderet, hoſtesque in fugam verteret: viribus enim ejus atque animi pertinacia territi, pluresque aſcendiſſe rati non ſteterunt. Qua in re fortunam quis, veluti virtutibus invideat, ſemperque præclaris facinoribus officiat, non incuſaverit? Siquidem hic vir neque ab incepto erravit, & offenſione lapidis cum maximo crepitu pronus decidit. Unde factum eſt, ut Judæi reverſi, ubi ſolum & jacentem videre, ex omni eum parte jaculis peterent. Ille vero genibus nixus, & ſcuto protectus, primo quidem ulciſcebatur hoſtes, multosque ad ſe appropinquantes ſauciavit: vulnerum autem multitudine remiſit dexteram: & ad extremum priusquam redderet animam ſagittis eſt obrutus, vir dignus pro fortitudine, qui meliori fortuna uteretur, pro menſura vero cœpti facinoris cecidit. Cæteri autem tres pene jam ſumma tenentes, obtriti lapidibus perierunt, & octo ſauciati detracti, & in caſtra relati ſunt. Hæc quidem tertia die menſis Julii geſta ſunt.

Sabinus cum undecim viris murum petit.

Fortunæ vis.

Sabinus cum tribus ſociis perit.

CA-

## CAPUT II.

A. M. 4034 P.C.N. 72.

*Romani Antoniam invadunt, & a Judæis repelluntur.*

BIduo autem post, viginti de numero excubantium per aggeres militum congregati, signiferum ordinis sui, & duos quosdam ex ala equitum, & tubicinem unum ad se vocant: nonaque noctis hora per ruinas ad Antoniam ociose procedunt; occisis autem primis custodibus somno oppressis, murum obtinent, ac buccina signum dari præcipiunt: quo cæteri quidem vigiles subito excitantur, & fugiunt priusquam multitudinem, quæ murum ascenderat, cernerent: nam & timor illis, & tuba imaginem quandam, ut magnum hostium numerum ascendisse crederent, ostendit. Cæsar autem signo audito, propere armat exercitum: & cum ducibus primis lectorum caterva comitatus, ascendit. Cum autem Judæi ad templum interius confugissent, ipsi quoque per cuniculum irruperunt, quem Joannes adversum Romanorum aggeres aperuerat. Dispositique amborum agminum seditiosi, tam Joannis quam Simonis, arcebant eos summa vi atque alacritate repugnandi: siquidem excidii finem putabant, locum sanctum penetrasse Romanos, quod & his victoriæ principium fuit. Ad ipsum auten aditum validissima pugna committitur: his quidem templum vi occupare certantibus, Judæis vero Antoniam versus eos repellentibus. Et sagittæ quidem ac hastæ utrisque inutiles erant, strictis autem ensibus dimicabant. Neque conflictu discerni poterat, ex qua parte quisque pugnaret, permixtis viris & propter angustias permutatis, cum

Antoniam Romani invadunt.

Prope templi aditum validissima pugna committitur.

Angustiæ ad pugnandum perincommodæ.

A. M. 4034. P.C.N. 72. & vocis intellectum magnitudo confunderet, multaque mors esset utrinque, armaque simul & cadavera jacentium conculcata frangerent præliantes. Semper autem si bellum fluctuans gravasset alteram partem, potiorum exhortatio & inferiorum conquestio nascebatur. Neque aut fugæ aut persecutioni locus erat: sed propinquæ mutationes confligentium, & inclinationes permixtæ fiebant exercitus. Qui vero inter primos stetissent, aut occidendi aut moriendi necessitatem habebant, quod refugere non dabatur; nam & posteriores utriusque partis, suos in frontem urgebant, nullumque inter dimicantes bello vacuum intervallum reliquerant. Cum autem Judæorum animi Romanorum peritiam vincerent, jamque omnino tota acies pelleretur (a nona enim hora noctis ad septimam usque diei pugnabant) hi quidem omnes simul excidii periculum pro nutrimento virtutis habebant: Romani vero exercitus parti (nondum enim ascenderant legiones, illisque spes pugnantium nitebatur) satis esse visum est in præsentia, Antoniam obtinere.

## CAPUT III.

### *De Juliano Romano milite insigni fortitudine.*

Fortitudo insignis Juliani.

JUlianus vero quidam centurio ex Bithynia non ignobilis, quem in bello & armorum peritia & viribus corporis & animi spiritu omnium fortissimum ipse cognovi, ubi Romanos jam cedere & male repugnare conspexit (propter Titum autem apud Antoniam stabat) subito prosiliit, jamque Judæos vincentes solus ad interiorem usque templi angulum persecutus est.

eſt. Fugiebat autem univerſa multitudo, neque vim ejus neque audaciam hominis eſſe opinantes. At ille per medios ruens, quos alios alio disjecerat, ipſos quos occupaſſet interficiebat: eaque facie nihil Cæſari admirabilius, aut aliis horribilius viſum eſt. Verum & ipſum profecto fata ſequebantur, quæ ab homine vitari non poſſunt. Calceos namque habens, creberrimis atque acutis clavis, ut cæteri ſolent milites, fixos, dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo curreret, labitur: magnoque cum armorum ſono dejectus, in tergum fugientes reduxit. Et Romanorum quidem clamor ex Antonia ſublatus eſt, ſaluti ejus metuentium: Judæi vero multis ſimul gladiis & haſtis undique feriebant. Ille autem multam quidem ferri vim ſcuto excipiebat: ſæpe autem conatus erigere ſe, percutientium multitudine revolutus eſt, & jacens tamen gladio multos perculit: nec enim cito peremptus eſt, quando galea & thorace omnia membra neci opportuna ſeptus erat: namque diu cervicem contraxerat, donec conciſis aliis ejus membris remiſit vires, cum ei nemo auderet ſuccurrere. Nimius autem dolor Cæſarem tenuit, ubi tantæ fortitudinis virum in conſpectu tantæ multitudinis vidit occidi: & quod locus ſe quidem intercludebat auxilium ferre cupientem: alios autem, ne poſſent, metus impediebat. Julianus igitur diu cum morte luctatus, cum non paucos interfectorum ſuorum ſaucios reliquiſſet, ægre peremptus eſt: magna ſui gloria, non apud Romanos tantum & Cæſarem, verum apud hoſtes quoque relicta. Judæi vero etiam mortui rapto corpore, Romanos in fugam verſos in Antoniam concluſere. Forti-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Julianus dum ſtrato ſaxeis cruſtis ſolo currit, labitur.

Mors Juliani.

A. M. 4034. P.C.N. 72. Heroes inter Judæos

ter autem in eo prælio decertavere, Alexas quidem & Gyphthæus, ex agmine Joannis: ex parte vero Simonis, Malachias, & Mertonis filius Judas, & Soſæ filius Jacobus, Dux Idumæorum: Zelotæ vero fratres duo filii Jairi Simon & Judas.

## CAPUT IV.

*Joſephi oratio pro deditione Judæorum & profugium eorum.*

Titus Joannem ad bellum progredi jubet, ne una ſecum & civitas interiret ſimul & templum.

TItus autem militibus ſuis imperat Antoniæ fundamenta diruere, facilemque aſcenſum cuncto exercitui præparare. Ipſe vero Joſepho ad ſe vocato (namque audierat eo die, qui erat menſis Julii 17. divinam obſervantiam, quæ entelechismos vocatur, virorum penuria defuiſſe, eaque re populum nimis dolere) iterum Joanni dici præcepit quæ ante mandaverat: quod etiam ſi quis eum pugnandi ſævus amor teneret, cum qua placeret ei multitudine, ad bellum progredi liceret: dummodo non una ſecum & civitas interiret ſimul & templum: ſanctum tamen locum violare deſineret, neve in Deum nefas admitteret. Poteſtatem autem haberet ſi vellet, ſacra intermiſſa celebrare per Judæos, quos ipſe delegiſſet. Itaque Joſephus, ne ſoli Joanni hæc intimarentur, ſed etiam pluribus, unde exaudiri poſſet conſtitit, & mandata Cæſaris Hebraico ſermone diſſeruit. Multum autem eos quo patriæ parcerent precabatur, ignemque depellerent jam templo contiguum, Deoque vota rederent conſueta. His dictis populus triſtitia ſimul & ſilentio tenebatur. Multis autem conviciis tyrannus Joſepho cum execrationibus la-

Joannis in Joſephum convicia.

ce-

cerato, postremo addidit, nunquam sibi excidium esse metuendum, quoniam Dei civitas esset. Atque cum exclamatione: sane vero, inquit Josephus, eam puram Deo conservasti, inviolataque sancta manere: nec in eum, cujus speras auxilium, quicquam impium deliquisti: sed solennia sacra consequitur. Et si quidem tibi quisquam quotidianum auferat cibum, impium eum hostem putabis: Deum vero, quem perpetua religione privaveris, belli auxilio speras futurum? Et Romanis peccata imputas? qui nostras leges etiam nunc tuentur: & quæ ipse intercidisti sacra, Deo reddi compellunt. Quis non inopinatæ mutationis causam gemat, ac defleat civitatem? cum alieni quidem, hostesque impietatem tuam corrigant: tu vero Judæus, & inter leges educatus, illis quoque in has sævior inveniaris. Atqui Joannes etiam pœnitere malorum non est turpe in rebus extremis: bonumque tibi exemplum patriam servare cupienti propositum est, Jechonias Rex Judæorum: qui quondam Babyloniis bellum sibi inferentibus, sponte civitate priusquam caperetur excessit, & cum cognatione sua voluntariam captivitatem sustinuit, ne hæc sancta hostibus proderet, Deique domum videret exuri. Ob hoc sacra Judæorum commemoratione laudatur: eumque memoria transmissa per secula semper nova immortalem posteris tradit. Bonum o Joannes exemplar, & si periculum præsto sit: ego autem veniam quoque tibi a Romanis spondeo, dum memineris, quod gentilis moneam, & Judæis ista promittam, spectarique oporteat, quis sit autor, & unde consilium. Absit enim unquam me ita captivum vivere, ut

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Jechonias voluntariam Babylonicam captivitatem sustinet.

ge-

A. M. 4034 P.C.N. 72. genus aut leges patrias obliviſcar. Rurſum indignaris & clamas, mihique maledicis. Etiam acerbiora mereor, qui hæc adverſus fata ſuadeo, Deique ſententia condemnatos ſervare contendo. Quis ignorat ſcripta veterum prophetarum, & reſponſum impendens miſerrimæ civitati? Jam tunc enim ejus excidium prædixere, cum quis homicidium gentile cœpiſſet. Veſtrorum autem cadaverum non civitas tantum, ſed etiam templum omne repletum eſt. Deus plane, Deus ipſe cum Romanis ignem ſibi luſtrationis infert, totque ſcelerum plenam exurit civitatem. Hæc Joſepho cum fletu & lachrymis proſequente, vox ejus ſingultibus interrupta eſt. Et Romani quidem miſerati dolorem, admirati ſunt. Joannes autem ejusque ſocii magis contra Romanos irritabantur, illum quoque capere cupientes. Nobilium tamen plurimos commovit ejus oratio. Et nonnulli quidem ſeditioſorum cuſtodias formidantes, locis ſuis manebant, jamdudum certi de ſuo pariter & civitatis exitio. Fuerunt autem, qui capto diſceſſionis tempore, ad Romanos confugere: in quibus erant Pontifices Joſephus & Jeſus. Filii vero Pontificum, tres quidem Iſmaelis, cui apud Cyrenen fuerat caput abſciſſum, & Matthiæ quatuor: alterius vero Matthiæ unus, qui poſt interitum patris aufugerat, quem Simon Gioræ cum tribus filiis, ut ſupra dictum eſt, interemit. Multi autem nobiles cum Pontificibus defecere: eosque Imperator cum per alia humane ſuſcepit, tum ſciens in alienigenis moribus illis verſari moleſtum eſſe, in Gophnam dimiſit, ut ibi manerent interim, multas etiam pollicitus poſſeſſiones cuique peracto bel-

Fato, Deique ſententia urbem inteſtutam.

Joſephi vox ſingultibus interrupta.

Judæorum nobilium plurimi ad Romanos confugiunt.

Cæſaris in transfugas humanitas

lo

lo ſe redditurum. Illi quidem in deſtinatum municipium læti cum omni cautione diſcedunt. His autem in civitate non viſis, rumor a ſeditioſis iterum diffamatus eſt, quod Romani transfugas occidiſſent, ut hoc metu videlicet a fuga reliquos deterrerent. Et pauliſper quidem hæc calliditas eorum, ſicut antea, valuit, timor autem, profugere cupientes inhibuit. Rurſus autem poſtquam eos Titus revocatos a Gophna cum Joſepho murum circumire, & populo conſpici juſſit, multi ad Romanos fugiebant. In unum vero congregati, & ante Romanos ſtantes, cum lachrymis atque ululatu ſeditioſos rogabant, primo quidem, ut in civitatem Romanos ſuſciperent, patriamque ſervarent: ſi hoc diſpliceret, ſaltem de fano exirent, templumque ſibi liberarent. Nec enim auſuros ſine maxima neceſſitate Romanos ignem ſanctis immittere. His illi magis adverſabantur, multaque in transfugas vociferati convicia, ſupra ſacras portas jacula & baliſtas & ſaxorum diſpoſuere tormenta, ut omne quidem circum fanum ſpatium multitudine mortuorum ſepulcro, templum vero ipſum caſtello ſimile videretur. In loca vero ſancta & inacceſſa, cum armis adhuc & manibus gentili cæde calentibus inſiliebant: & ad hanc proceſſere legis injuriam, ut quam Judæos indignationem oporteret exercere, ſi hæc Romani admitterent: ea tunc in Judæos propria ſacra temerantes, uterentur Romani milites. Nemo ſane fuit eorum, qui non cum honore templum aſpiceret, atque adoraret: latronesque optaret, antequam immedicabile malum contingeret, pœnitere. Titus autem dolens vicem eorum, iterum Joannem ejusque

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Transfugæ cum lachrymis & ululatu ſeditioſos Judæos rogant.

Templum caſtello ſimile.

Titus Joannem ejusque ſocios alloquitur.

A. M. 4034. P.C.N. 72. que ſocios increpabat, dicens: Nonne vos, o ſceleratiſſimi, cancello ſanctum locum protexiſtis? Nonne literis Græcis ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta cuiquam transgredi liceret edicitur? Nonne eos, qui tranſiſſent, quamvis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus? Quid igitur in eo etiam mortuos conculcaſtis, o nocentiſſimi? Aut cur templum & externi & gentilis ſanguinis confuſione polluiſtis? Teſtor ego patrios Deos, & ſi quis unquam hunc locum ante aſpexit (nunc enim neminem credo) itemque teſtor & exercitum meum & Judæos qui apud me ſunt, & vosipſos, quod non ego vos violare hæc compellam: quin & ſi locum acies veſtra mutaverit, neque accedet ad ſancta quiſpiam Romanorum, neque quicquam in eorum contumeliam faciet: ſervabo autem vobis etiam templum nolentibus.

Titus Judæis nolentibus templum ſervare conatur.

## CAPUT V.

*De iterata pugna, extructis aggeribus, & excurſionibus Judæorum.*

HÆc Joſepho internunciante principis dicta, latrones ac tyranni exiſtimantes non benevolentia, ſed timiditate hos ſermones fieri, in ſuperbiam tollebantur. Titus autem, qui neque ſeipſos miſerari eos, neque templo parcere proſpiciebat, rurſus bellum gerere decrevit invitus. Sed univerſum quidem his militem, quod locus eum non caperet, inferre non poterat. Tricenis autem de ſingulis centuriis viris fortiſſimis lectis, etiam chiliarchis ſingulis millenos attribuit: hisque duce præpoſito Cereali

Titus tricenis de ſingulis centuriis viris fortiſſimis lectis in cuſtodias impetum fieri jubet.

hora

hora noctis nona jubet in cuſtodias impetum fieri. Cum autem ipſe quoque in armis eſſet, unaque deſcendere ſtatuiſſet, amici eum propter periculi magnitudinē ducumque dicta continuerunt; plus enim operis eum in Antonia præſidentem militum certamini facturum eſſe dixerunt, quam ſi periculum ſubiſſet: omnes enim fore ſub oculis Imperatoris optimos bellatores. His dictis paruit. Deinde ob hoc ſolum ſe manere locutus ad milites, ut de eorum virtute judicaret: ne aut fortis quisquam indonatus abiret, aut contra impunitus ignavus lateret, ſed omnium ſpectator ac teſtis fieret ipſe, qui & ulciſcendi & remunerandi eſſet dominus: illos quidem ad aciem hora qua ſupra memoratum eſt, dimiſit. Progreſſus autem ad ſpeculam, in Antonia quid fieret expectabat. Verum hi qui miſſi fuerant, non ita, ut ſperabant, ſomno oppreſſos invenere cuſtodes: ſed coortis cum clamore confeſtim manus conſeruere, excubitorum autem tumultu exciti cæteri catervatim excurrere. Itaque primorum quidem impetum excipiebant Romani: qui autem illos ſequerentur, in agmen proprium incidebant, multisque ſuorum velut hoſtibus utebantur. Vocis namque agnitionem confuſus partium clamor, oculorum autem ſingulis nox ademerat: cum præterea quosdam furor cæcos, alios iracundia, alios timor efficeret: idcirco obvium quemque ſine diſcretione feriebant. Romanis quidem ſcutorum conjunctione ſeptis, & per globos proſilientibus, ignoratio minus nocebat: ſigni enim ſui quisque meminerat. Judæi vero disjecti tam impetus, quam receſſus temere facientes, ſæpe imaginem inter ſe hoſtium aliis alii demonſtrabant:

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Titus ad ſpeculam in Antonia progreſſus quid fieret expectat.

A. M. 4034. P.C.N. 72. bant: cum revertentem ſuum quisque per tenebras, quaſi Romanum aggredientem excipe-ret. Denique plures a ſuis quam ab hoſtibus ſauciati ſunt, donec orto die, viſu jam pugna diſcerneretur: & in acie ſtantes ordine, ſagittis atque telis uterentur. Neutri vero cedebant, neque labore fatigabantur. Sed Romani quidem & ſigillatim, & multi ſimul in conſpectu Imperatoris de virtute certabant: illumque diem ſibi quisque promotionis initium fore putabat, ſi fortiter dimicaſſet. Judæis autem & proprium cujusque periculum, & quod templo metuerent, miniſtrabat audaciam: quod tyrannus ſtans hos rogaret, alios verberaret, & ad pugnandum interminationibus incitaret. Cominus autem plerumque pugnatum eſt; ſed cito & brevi momento prælia mutabantur: neutra enim pars prolixum fugæ ſpatium vel perſecutionis habebat. Pro ſuorum autem eventu ex Antonia tumultus erat, & confidere ſuperantibus, & ſtare ſi fugerent, acclamantium: eratque veluti quoddam belli theatrum: nec enim vel Titum vel alios, qui una erant, quicquam eorum, quæ in pugna gerebantur, latebat. Poſtremo nona hora noctis cœpto prælio, quinta diei diſſoluti ſunt, cum neutri eo loco, unde pugnam iniere certa fuga ceſſiſſent, verum mediam in ancipiti prælio victoriam reliquiſſent. Romanorum quidem plurimi nobiliter decertarunt. Judæorum vero partis quidem Simonis, Judas Mertonis filius, & Simon Joſiæ: Idumæique Jacobus, & Simon, hic Cathlæ filius, Jacobus autem Soſæ: de Joannis autem ſociis Gyphthæus & Alexas: & de Zelotis, Simon filius Jairi. At Romanorum reliqua manus, die ſeptimo ſubver-

Cito & brevi momento prælia mutantur.

Media victoria in ancipiti prælio relicta.

verſis Antoniæ fundamentis, latam viam usque ad templum fecit: admotæque muro legiones, mox aggeres inchoabant: unum contra interioris templi angulum, qui ad ſeptentrionem orientemque ſpectabat: alterum contra exedram, ad aquilonis partem inter duas portas ædificatam, aliorum duorum unum contra porticum occidentalem templi exterioris, alterum contra ſeptentrionalem. Magno tamen opus cum labore ac miſeriis proficiebat, cum materias a centeſimo usque ſtadio deportarent. Interdum autem inſidiis lædebantur, cum ipſi quidem vincendi facultate minime caverent, Iudæis vero propter deſperationem ſalutis audacioribus uterentur. Nonnulli enim equitum, quoties ad ligna ſive fœnum colligendum exiſſent, interea dum id facerent, equos ſuos frenis exutos paſci ſinebant: quos Iudæi per cuneos erumpentes rapiebant. Itaque cum id crebro fieret, Cæſar exiſtimans, quod erat verum, negligentia ſuorum magis, quam Iudæorum virtute rapinas contingere, triſti animadverſione cæteros ad equorum cuſtodiam revocare ſtatuit: unoque milite, qui equum perdiderat, morte damnato, eo metu equos ſuos cæteris conſervavit. Nunquam enim eos poſthac in paſcua dimittebant, ſed tanquam natura his connexi ad neceſſitatem egrediebantur. Illi quidem templum oppugnabant, aggeresque erigebant. Altera vero die poſt eorum aſcenſum, multi ſeditioſorum, quos rapinæ defecerant & fames urgebat, congregati, in præſidia Romanorum, quæ Eleon montem verſus collocata erant, circa undecimam diei horam impetum faciunt; ſperabant enim primo quidem inopinatos, deinde curandi

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Aggeres quatuor e regione templi extructi.

Romanorum equos Judæi capiunt.

Judæorum & Romanorum ad montem Eleon pugna.

A. M. 4034. P.C.N. 72. corporis cauſa quieſcentes, facile decipi poſſe. Verum cognito illorum conatu Romani de propriis cuſtodiis celeriter collecti obſtabant eis, murum tranſcendere ac perrumpere violenter ambitum conatis. Conflato autem vehementi prælio, & alia multa ab utraque parte fortiter geſta ſunt: cum Romani præter fortitudinem etiam bellandi peritia, Iudæi vero immoderato impetu & effrænatis animis uterentur. Dux autem his pudor erat, illis neceſſitas: nam & amittere Iudæos, veluti laqueis irretitos, Romanis turpiſſimum videbatur: & illi unam ſpem ſalutis, ſi murum vi perrumpere poſſent, habebant, & quidam ex ala equitum, Pedanius nomine, Iudæis in fugam verſis, atque in vallem coactis equo in adverſum montem a latere incitato prætervectus, rapit unum ex hoſtibus fugam petentem, juvenem & gravem corpore, & armis undique ſeptum, talo comprehenſum. Tantum ſe inclinavit equo currente, tantamque dexteræ vim itemque cæteri corporis, & equeſtris peritiæ demonſtravit. Iſte quidem tanquam munus aliquod rapuiſſet, captivum ferens, ad Cæſarem venit. Titus autem vires ejus qui ceperat admiratus, & captivo, quia murum aggredi tentaverat, ſupplicio tradito, ipſe templi oppugnationem curabat, utque aggeres mature fierent perurgebat. Inter quæ Iudæi adverſis prœliis male tractati, tumeſcente paulatim bello & in templi ſerpente perniciem, ſicut in putrefacto corpore aſſolet, membra peſte occupata, prævenientes ne ulterius procederet, abſcindebant. Porticus enim parte, quæ ab Aquilone in orientem pertinens Antoniæ jungebatur, incenſa, deinde ad viginti fere cubitos

Pedanius vir fortis & eques peritus.

Captivus ſupplicio affectus.

Judæi templi porticus incendunt

ab-

abrupere, immiſſo ſanctis incendio manibus ſuis. Biduo autem poſt, prædicti menſis viceſimo & quarto die, Romani porticum inflammavere: & usque ad quartum decimum cubitum igne progreſſo, Iudæi ſimiliter culmen abjiciunt, neque omnino recedentes ab operibus, & Antoniæ continentiæ dirimentes, cum liceret eis ac deberent incendium prohibere. Itaque immiſſo igne, curſum ejus otioſe pro ſua utilitate metiebantur. Circa templum autem nunquam prælia ceſſavere: ſed frequens erat paulatim contra ſe excurrentium pugna. Iisdem autem diebus, quidam ex Iudæis, vir & corpore brevis, & vultu deſpicabilis, tamque genere quam rebus aliis viliſſimus, Ionathas nomine, progreſſus ad Ioannis Pontificis monumentum, cum alia multa ſuperbe ad Romanos prolocutus eſt, tum quem fortiſſimum haberent ad ſingulare prælium provocavit. At qui contra ſtetere, multi quidem dedignabantur: erant autem inter eos (ut aſſolet) etiam qui timerent: quosdam vero non inconſulta movebat ratio, cum mortis cupido non debere confligere. Nam qui de ſalute deſperaſſent, eos neque cautos impetus habere, neque Deum vereri: & cum his in diſcrimen venire, quos neque vincere magnum ſit, & vinci cum dehoneſtamento periculoſum, non fortitudinis, ſed ferocitatis videri. Quum autem diu nemo procederet, multaque Iudæus eorum timiditati illuderet, homo arrogans & ſuperbus, Romanus ex ala equitum nomine Pudens, inſolentiam ejus exoſus, fortaſſe autem etiam corporis brevitate ſublatus, inconſulte proſiliit: & cæteris commiſſa cum eo pugna riſum præbuit, a fortuna proditus. Lapſum

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Judæi immiſſo igne curſum ejus otioſe metiuntur

Ionathas Romanorum fortiſſimum ad ſingulare certamen provocat.

Pudens eſt Ionatha pugnat, & interficitur

A. M. 4034. P.C.N. 72. pſum enim Ionathas interfecit: deinde pede ſupra mortuum poſito, læva ſcutum, dextraque cruentum gladium corruſcabat: armisque cum fremitu concuſſis, exercitui & jacenti inſultans, ſpectantes Romanos increpabat: donec eum tripudiantem & vana jactantem, Priſcus centurio ſagitta transfixit, eoque facto, & Iudæorum & Romanorum clamor varius excitatus eſt. Ille autem dolore in vertiginem tortus, ſupra corpus hoſtis incubuit: bellique felicitatem ratione carentem, quam velox ultio ſequeretur oſtendit.

Jonatham Priſcus centurio ſagitta transfigit.

## CAPUT VI.

*Romani flammis pereunt dolo Judaico, & de Artorio quodam.*

SEditioſi vero templum tenentes aperte quidem & quotidie militibus in aggeribus poſitis repugnabant. Viceſimo autem ſeptimo die prædicti menſis, hujusmodi dolum excogitant. Occidentalis porticus ſpatium, quod inter culmen & trabes erat vacuum, ſylvis aridis, itemque ſulfure ac bitumine replevere. Deinde velut oppreſſi cedebant. Quare multi quidem temerarii fugientibus inſtabant, & in porticum aſcendere poſitis ſcalis nitebantur: qui vero prudentiores erant, nullam fugæ cauſam Iudæis fuiſſe cogitantes, locis ſuis manebant. Verum porticu repleta his qui aſcenderant, ignem immittunt Iudæi, excitataque undique ſubito flamma Romanos & qui extra periculum ſteterunt ingens ſtupor invaſit, & deſperatio, quos incendium ceperat, occupavit: flammis enim cincti ſemetipſos retrorſum in oppidum, alii vero in ho-

Judaï porticus ſpatium ſylvis aridis, ſulfure ac bitumine replent.

Romanorum in flamma calamitas.

hoſtes præcipitabant: multi ſpe ſalutis deſilientes in puteos, illico debilitabantur: alios, dum conantur, prævęniebat incendium: alii ferro flammam antevertebant: ſtatim vero & alios fugientes ignis comprehendebat, plurimum pervagatus. Cæſarem vero, licet morientibus indignaretur, quod injuſſi porticum aſcenderant, miſericordia tamen eorum tetigit. Cumque nemo prohibere poſſet incendium, hoc erat tamen ſolatio pereuntibus, quia videbant ejus dolorem, pro quo ipſi animam perderent. Vociferans enim & ante alios proſiliens, & comites ſuos quam poſſent auxilium ferre obſecrans, cernebatur. Ejusque voces & affectiones quisque, velut aliquam præclariſſimam ſepulturam, ſecum auferens moriebatur. Nonnulli tamen recepti in partem porticus latiorem, flammarum quidem periculum evaſere: obſeſſi autem a Judæis, cum diu ſaucii reſtitiſſent, poſtremo univerſi cecidere. Poſt omnes autem quidam juvenis, nomine Longus, toti huic ornamento fuit calamitati: & quamvis ſigillatim digni ſint memoria, qui periere, omnium tamen fortiſſimus demonſtratus eſt. Quem Judæi quidem, & quia fortis erat, & quia interficere eum cupiebant, ad ſe deſcendere promiſſa fide hortabantur. Frater vero ejus Cornelius, qui ex altera parte ſtabat, ne gloriam ſuam Romanamque militiam dehoneſtaret, orabat: cui magis obtemperavit: ſublatoque altius gladio, ut ab utrisque partibus cerneretur, ſemetipſum occidit. Eorum autem, quos ignis obſederat, Artorius quidam calliditate ſervatus eſt. Appellato enim clara voce Lucio quodam, commilitone & contubernali ſuo: hæredem te, inquit, re-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Cæſarem Romanorum in flamma conſtitutorum miſericordia tangit.

Longus ſemetipſum occidit.

Lucius moritur, Artorius vero calliditate ſervatur.

A. M. 4034. P.C.N. 72. relinquo totius patrimonii mei, si me exceperis. Cum autem ille prompto animo accurrisset, ipse quidem, qui se in eum projecerat, vixit: Lucius vero pondere oppressus, constratoque lapidibus solo allisus, continuo moritur. Ea calamitas paulisper quidem Romanis tristitiam comparavit, in posterum tamen cautiores effecit, & adversus Judæorum insidias juvit, quibus plerumque loca moresque hominum nescientes lædebantur. Exusta est vero porticus ad turrim usque Joannis, quam ille belli tempore quod cum Simone gerebat, supra postes, qui in Xystum ducerent, ædificaverat: reliquum vero Judæi, postquam consumpti fuerant qui ascenderant, absciderunt. Postero autem die Romani quoque, porticum quæ in Boreæ parte fuit, ad orientalem usque totam incendunt: continentem angulos ejus, quæ appellatur Cedronos, super vallem ædificata: unde etiam profunda erat & horribilis ejus altitudo.

Porticus templi exusta.

## CAPUT VII.

### *De fame Judæorum.*

Intestinum bellum Judæorum fame pereuntium.

CIrca templum quidem ita se res habebant. Eorum vero qui per civitatem fame corrumpebantur, infinita multitudo moriebatur. Inenarrabiles autem clades eveniebant. Per singulas namque domos, sicubi aliqua vestigia cibi apparuissent, bellum illico gerebatur: & amicissimi inter se ad manus veniebant, miseris diripientes animis viaticum. Fides autem penuriæ nec morientibus habebatur: sed etiam quos viderent expirare, scrutabantur latrones: ne quem forte cibum sinu occultans quispiam, more-

reretur. Ipſos autem ſpes egeſtate victus hiantes, veluti canes rabidos decipiebat: & impingentes in oſtia, tanquam ebrii ferebantur, easdemque domos bis ac ter eodem momento deſperatione inquietabant: omniaque dentibus neceſſitas ſubigebat: & ea colligentes quæ nullum, quamvis ſordidiſſimum mutorum animalium, non horreret, comedere patiebantur. Denique nec cingulis nec calceamentis abſtinuere, coriaque ſcutis detracta mandebant. Quinetiam fœni veteris laceramenta victui habebantur: cujus nonnulli exiguum pondus quatuor Atticis venundabant. Et quid opus eſt famis improbitatem ex rebus anima carentibus demonſtrare? Factum enim relaturus ſum, neque apud Græcos, neque apud Barbaros cognitum, & dictu quidem horrendum, auditu vero incredibile. Itaque libenter hanc calamitatem intermitterem, ne mentiri me poſteri æſtimarent, niſi teſtes multos haberem: & fortaſſe frigidam referrem gratiam, parcius ea differens, quorum fata perpeſſa eſt. A. M. 4034. P.C.N. 72.

Calceamenta, coria ſcutis detracta, veterusque fœnum Judæorum cibus.

## CAPUT VIII.

*De muliere quæ per famem filium coxerat.*

MUlier quædam ex numero trans Jordanem habitantium incolarum, Maria nomine, Eleazari filia de Vico Vetezobra, quod ſignificat domus hyſſopi, genere ac divitiis nobilis, cum alia multitudine fugiens in Hieroſolymam recepta, cum cæteris obſidebatur. Hujus alia quidem bona tyranni diripuerunt, quæ ex transamnanis locis in oppidum comportaverat. Reliquis vero conditorum, & ſi alimenta reperiſ-

A. M. 4034. P.C.N. 72. sent, irrumpentes domum ejus satellites, quotidie auferebant. Graviter autem mulier indignabatur: propterea quæ sæpissime raptoribus maledicens, & imprecans, eos contra se vehementius irritabat: cum neque iratus, neque miserans, eam quisquam vellet interficere. Sed victum quidem parando aliis parabat: undique autem adempta jam erat ei etiam rapiendi facultas, famesque visceribus & medullis irrepserat. Plus vero quam fames iracundia succendebat. Igitur vi animi ac necessitate impulsa, rebus adversis contra naturam excitatur: raptoque filio, quem lactantem habebat, miserum te, ait, infans, in bello & fame & seditione cui te servavero? Apud Romanos etiam si vixeris serviturus es: fames autem prævenit servitutem: his vero seditiosi sæviores sunt. Esto igitur mihi cibus, & seditiosis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Judæorum. Et hoc simul dicens, occidit filium, coctumque medium comedit: adopertum vero reliquum servavit. Ecce autem aderant seditiosi, & contaminatissimi nidoris odore capti, mortem ei statim, nisi quod parasset, ostenderet, minabantur. Illa vero bonam partem se reservasse respondens, aperit filii reliquias. Illos autem confestim horror cœpit atque dementia, visuque ipso diriguerunt. At mulier: & hic, inquit, est vere filius & facinus meum, comedite: nam & ego comedi. Nolo ut sitis aut fœmina molliores, aut matre misericordiores. Quod si vos pietatem colitis, & mea sacrificia repudiatis, ego quidem comedi, reliquum ejus me manebit. Post hoc illi quidem trementes exierunt, ad hoc solum timidi, vix-

Matris priusquam filium occidit, colloquium.

Seditiosi cibum a matre paratum posscunt.

que

que hoc cibi matri ceſſere. Mox autem repleta eſt eo ſcelere tota civitas: & unusquisque ante oculos ſibi cladem illam proponens, tanquam hoc ipſe admiſiſſet, horrebat. Ab omnibus autem, quos fames urgebat, properabatur ad mortem & beati appellabantur, qui prius quam id paterentur interiiſſent. Cito autem Romanis etiam nunciata eſt illa calamitas: eorumque alii non credebant, alii miſerabantur, multos autem vehementius ejus gentis odium cepit. Cæſar autem ſuper hoc Deum placabat: ſiquidem Judæis pacem obtuliſſet, eisque liberam propoſuiſſet omnium oblivionem quæ commiſerant. Illos autem pro concordia ſeditionem, bellum pro pace, pro ſatietate atque opulentia famem optaſſe: & qui propriis manibus templum, quod ipſe eis ſervaſſet, incendere cœperant, hujusmodi alimentis eos eſſe digniſſimos. Verumtamen ſcelus hujus nefandi victus, ruina ſeſe patriæ operturum: neque relicturum in orbe terræ, ut ſol inſpiciat civitatem, in qua matres ſic veſcerentur. Ante matres autem patribus hujusmodi alimenta deberi: qui nec poſt ejusmodi clades arma deponerent. Simul hæc dicens, deſperationem hoſtium reputabat, nec eos ſanam mentem recepturos exiſtimabat, qui cuncta jam pertuliſſent, quibus antequam ea paterentur, mutare ſententiam ſperabantur.

A. M. 4034. P. C N. 72.

Calamitas Romanis nunciata.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT IX.

*De expugnatione muri & incendio Templi.*

OCtavo autem die menſis Auguſti, cum duæ legiones aggeres perfeciſſent, ad exedram occidentalem templi exterioris admoveri arietes juſſit: cum diebus ante ſex, qui firmiſſimus erat aries, parietem ſine intermiſſione pulſando, nihil omnino profeciſſet. Verum & hujus & cæterorum magnitudinem ſtructura lapidum ſuperabat. Septentrionalis autem portæ alii fundamenta ſuffodiebant: multumque fatigati, exteriores tantum lapides evellere potuere, ab interioribus autem portæ ſuſtinebantur: tamque diu manſere, donec inſtrumentorum & vectium conatibus deſperatis, Romani ſcalas porticibus applicuere. Judæi vero præventi, ne eas ſubire prohiberent, cum his congreſſi dimicabant. Et alios quidem retro depellentes præcipitabant, accedentes alios ſubſidio trucidabant, multos de ſcalis egredientes, prius quam ſe ſcutis obtegerent, ferientes gladiis præveniebant, nonnullas autem ſcalas armatorum plenas, in latus declinantes, dejiciebant. Unde Romanorum quoque non parva cædes ſequebatur. Alii ſignis ablatis pro his decertabant, rapinam eorum graviſſimæ fore turpitudini ducentes. Poſtremo tamen Judæi & ſignis potiuntur, & eos qui una aſcenderant interficiunt, cæteri vero clade intereuntium perterriti deſcendunt. Romanorum quidem nemo non aliquo facto opere procubuit. Seditioſorum autem, qui prioribus præliis, etiam tunc fortiter pugnaverunt, & præterea Eleazarus fratris Simonis tyranni filius. Titus autem cum videret ſe alie-

Romanos Judæi vincunt eorumque ſignis potiuntur.

Simonis fatellites duo ab eo deficiunt.

no

no templo cum damno & nece militum parce- A. M. 4034. P.C.N. 72.
re, ignem portis ſubjici juſſit. Inter hæc autem ad eum profugi veniunt, Ananus Ammauntinus, Simonis ſatelles crudeliſſimus, & Archelaus filius Magadati: idcirco ſperantes veniam, quod Judæos victores reliquerant. Titus autem, cum hanc eorum in Judæos crudelitatem audivit, utrumque obtruncare decrevit. Dicebat enim neceſſitate, non voluntate veniſſe: nec ſalute dignos eſſe, incenſam ipſorum cauſa patriam deſerentes. Verumtamen cohibuit iracundiam fides, eosque dimiſit: ſed non eo loco habendos, quo etiam alios credidit. Jam vero portis milites ignem admoverant, liquefactoque argento cito lignum flammæ abſumpſerant, cum ſubito auctæ proximas inde porticus corripuere. Judæis vero ignem circum ſe videntibus, corpora ſimul animique ceciderunt: & ſtupore attoniti, adjuvare quidem vel extinguere nemo conatus eſt: ſtantes vero aſpiciebant, nec tamen his quæ abſumerentur dolentes, ſaltem ut quod reliquum eſſet ſalvum haberent, animum colligebant. Illo quidem die, & quæ ſecuta eſt nocte, creſcebat incendium: paulatim enim, nec ſimul undique inflammari porticus potuerunt: poſtero autem die Titus parte militum juſſa incendium reſtinguere, perque proxima portis loca viam ſternere, ut facilior agminibus eſſet aſcenſus, rectores ad ſe convocat: ſexque collectis qui erant proceres, Tiberio Alexandro totius militiæ præfecto, & Sexto Cereali quintæ legionis præpoſito, & Largio Lepido 10. & Tito Frigio 15. cum quibus erat etiam Æternius Fronto magiſter duarum Alexandrinarum legionum & Marcus

Iracundiam Titi fides cohibet.

Judæorum nemo incendium extinguere conatur

Titus rectores ad ſe convocat.

An-

A. M. 4034. P.C.N. 72. Antonius Julianus procurator Judææ, congregatisque præterea chiliarchis & procuratoribus, consilium de templo proposuit. Aliis quidem videbatur lege belli utendum esse: nunquam enim Judæos a novis rebus posse desinere templo manente, quo omnes ubicunque essent colligerentur. Nonnulli si templum reliquissent Iudæi, neque armis pro eo quisquam certaret, conservandum esse suadebant: si vero id pugna obtinuissent, ignibus consumendum: quoniam castellum jam videretur esse non templum: & piaculum non ipse, verum illi, qui id fieri coegere, committerent. Tito autem, nec si superstantes dimicarent Iudæi, pro hominibus anima carentia ulciscendum esse dicente, neque se unquam tantum opus incensurum: jam enim Romanorum fore hoc damnum, sicut ornamentum quoque fore imperii, si maneret: jam certi quid vellet, ad ejus accedunt sententiam, Fronto, Alexander & Cerealis. Tunc quidem consilium dimisit: jussisque militibus quiescere, itemque ducibus, ut his in procinctu validioribus uteretur, viam sternere per ruinas lectis ex cohortibus imperat, ignemque restinguere. Illo quidem die Iudæos labor timorque ab impetu continuit. Postero autem collectis viribus, & recepta fiducia, per orientalem portam contra templi exterioris custodes, secunda hora diei procurrunt. Illi autem primam quidem coitionem fortiter excepere: septique scutis, a fronte murum condensa acie imitantur: certum tamen erat eos non diu duraturos, quod & multitudine infestantium & animis vincerentur. Cæsar autem prius quam verteretur acies (nam pugnam ex Antonia prospectabat) cum equitibus

Titus consilium de templo proponit.

Titus Romanis cum equitibus lectis auxilio venit.

bus lectis venit auxilio, impetum vero ejus non sustinuere Judæi: sed primis interfectis, plerique fugam petunt: & cedentibus quidem Romanis, revertentes instabant: cum autem illi retorsissent: iterum refugiebant: donec circa horam quintam, Judæi vi coacti templum introire concluſi sunt. Titus autem discessit in Antoniam, decreto postridie mane cum omni exercitu aggredi, templumque oppugnare. Sed id plane Dei sententia jamdudum igne damnaverat: evolutisque temporibus aderat feralis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius a Rege Babyloniorum fuerat concrematum. A domesticis autem causam principiumque sumpsit incendium. Nam cum paulisper Titi discessu seditiosi quievissent, Romanos rursus aggrediuntur, custodumque templi cum ignem exterioris fani restinguentibus pugna committitur. Hique Judæis in fugam versis, usque ad templum accesserunt. A. M. 4034. P.C.N. 72.

Templum ab Romanis, decimo mensis Augusti die, quo etiã prius a Babyloniorum Rege, concrematur.

## CAPUT X.

*Quemadmodum Templum incensum est invito Tito.*

Hic itaque tunc militum quidam, non expectato cujusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed divino quodam motus impetu, a contubernali suo sustollitur: & ex ardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream, unde ad membra circum templum ædificata de septentrionali regione aditus erat. Flamma vero excitata, Judæorum quidem calamitate dignus clamor exoritur, & ad subveniendum properabant: neque jam vitæ parcendum rati, neque viribus temperandum,

Miles Romanus invito Tito, Templum incendit.

A. M. 4034. P.C.N. 72. amiſſo eo cujus gratia cautiſſimi videbantur: mature autem hoc Tito quidam nunciat. Et ille (namque caſu in tabernaculo quieſcebat, ſicut a prælio redierat) exilit: templumque curriculo petit, prohibiturus incendium: omnesque poſt eum duces, & hos agmina perterrita ſequebantur. Clamor autem ac tumultus erat tanto exercitu ſine ordine concitato. Cæſar autem voce ſimul ac dextera pugnantibus ſigno dato, ignem jubebat extingui. Sed neque vox ejus audiebatur, quod aures eorum major clamor obſtrueret, nutumque dexteræ non attendebant, quum alios bellum, alios ira diſtraheret. Introcurrentium vero agminum impetum, non præcepta neque interminationes continebant: ſed quo furor eos duceret, ſequebantur. Ad ipſos autem introitus conferti, multi quidem ſeſe invicem conculcabant: multi vero ardentibus adhuc & fumantibus porticuum incidentes ruinis, eadem quæ victi patiebantur. Cum vero ad templum acceſſiſſent, edicta quidem Cæſaris non audire ſimulantes, præcedentem quisque, ut ignem immitteret, hortabatur: ſeditioſis autem jam ſubveniendi quidem ſpes nulla erat, ſed fuga & cædes omnia poſſidebat. Magna vero populi multitudo invalida & inermis, ubicunque occupati fuerant, interficiebantur. Et circum aram quidem ingens mortuorum numerus congregabatur: per gradus vero templi, & ſanguis multus profluebat, & eorum corpora, qui ſupra ceciderant, delabebantur. Cæſar autem ubi neque impetum inſanientium militum continere poterat, & flamma dominabatur, intro cum rectoribus ingreſſus, & ſanctum templi, & quæcunque illic erant aſpexit,

Incendium templi.

Ingens cædes in templo & calamitas.

ea

ea quidem quæ apud alienigenas erat fama meliora, jactatione vero & opinione domeſtica non minora. Cum autem flamma nondum ex ulla parte ad interiora penetraſſet: nec membra quæ circum templum erant depaſceretur, quod erat verum, exiſtimans adhuc illud poſſe ſervari, & ipſe proſiluit, militesque rogare ut ignem reſtinguerent conabatur: & Liberalem centurionem de ſtipatoribus ſuis, fuſte multatos, qui non obedirent, juſſit arcere. Illorum autem furor bellique impetus quidam vehementior, Judæorumque odia, & Cæſaris reverentiam & prohibentis metum ſuperabant: plerosque autem prædarum ſpes incitabat, ſuſpicantes intus omnia pecunia referta eſſe: quoniam fores auro factas conſpicerent. Præterea quidam miles, ex his qui intraverant, quum Cæſar ad inhibendum incendium cucurriſſet, ignem jam cardinibus portæ ſubjecerat: tumque ſubito, poſtquam flamma intus apparuit, & duces cum Cæſare diſcedebant, & ſtantes extra ſuccendere nemo prohibebat. Templum quidem hoc modo invito Tito exuritur. Sed quamvis hoc multum quis deflendum putet, ut opus omnium, quæ audivimus aut vidimus, maxime admirabile, tam exſtructionis genere, quam magnitudinis, itemque munificentiæ in ſingulis rebus, & gloriæ quæ de ſanctis habebatur, maximum tamen ex fato capiet ſolatium: quod ut animalibus, ita operibus locisque fatum ſit ineluctabile. Mirabitur autem in eo etiam circumacti temporis fidem. Nam & menſem, ut dictum eſt, eumque diem ſervavit, quo primum a Babyloniis templum erat incenſum.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus ſanctum templi ſervare idque fruſtra conatur.

A. M. 4034. P. C. N. 72. Et a prima quidem ſtructione templi, quam Solomon Rex inchoaverat, usque ad hoc excidium, quod evenit ſecundo annō principis Veſpaſiani, mille centum triginta colliguntur anni, & ſeptem menſes, ac dies quindecim. A poſteriore vero, quam ſecundo anno Cyri Regis Aggæus fecerat, usque ad excidium, quod Veſpaſiano Imperante ſuſtinuit civitas, anni ſexcenti triginta novem, & dies quadraginta quinque.

A prima ſtructione templi, quam Salomon Rex inchoaverat usque ad hoc excidium quot anni.

## CAPUT XI.

*De Sacerdotibus, gazophylacioque, & porticu.*

CUm templum autem incenderetur, etiam quicquid in manus forte veniſſet rapiebatur, & cædes erat infinita deprehenſorum. Nec actæ fuit ætatis miſeratio, aut reverentia caſtitatis: ſed & pueri & ſenes & ſacri & profani ſimiliter interficiebantur, atque omne genus hominum belli calamitas perſequebatur, unaque ſupplices cum repugnantibus necabantur: flammaque ulterius progrediens, cum gemitu occumbentium concrepabat. Et pro altitudine quidem collis, ardentisque operis magnitudine, totam quis ardere crederet civitatem. Illo autem clamore nihil majus aut horribilius excogitari poteſt. Nam & Romanorum legionum fremitus erat, & ſeditioſorum ferro ignique clauſorum clamor ingens, & populi ſurſum deprehenſi ad hoſtes fuga cum ſtupore, ac calamitatis conqueſtio: in colle autem conſtitutis, etiam multitudo oppidi conſonabat. Jam vero multi fame marcidi, in mortem pene luminibus clauſis, poſtquam ignem templi videre, in queſtus interim vires clamoremque receperunt. Reſo-

Clamor & ululatus Judæorum pereuntium.

nabat

nabat autem & trans fluvium regio, & montes circumpositi graviorem sonitum reddebant: & tamen erant clades acerbiores tumultu. Nam collem quidem, in quo templum erat, exuri radicitus quis putaret, ita undique flamma plenum: videbatur autem sanguis igne largior esse, pluresque interfectoribus interfecti: omnisque terra cadaveribus tegebatur, & supra corpora mortuorum gradientes milites cursum fugientium sequebantur. Latrocinalis quidem multitudo, tandem pulsis Romanis, in exterius templum, deinde in civitatem evadit: populi autem quod fuit reliquum, in exteriorem porticum confugerat. Sacerdotum autem nonnulli, primum verubus, itemque sedibus suis, quæ ex plumbo factæ erant, avulsis, in Romanos pro missilibus utebantur: deinde cum nihil proficerent, ignisque in eos evomeretur, in parietem secedentes octo cubitis latum, ibi manebant. Duo tamen ex nobilibus, cum ad Romanos transeundo servari possent, aut communem cum cæteris durare fortunam, semetipsos in ignem injecere, & cum templo concremati sunt, Mejerus filius Belgæ, & Josephus Dalæi. Romani autem, quod frustra se circum templum ædificiis parcere judicabant, cum ipsum templum arderet, omnia simul incendunt, & quicquid ex porticibus reliquum erat, & portas: præter unam ex parte orientali, alteram ex meridiana, quamvis eas quoque postea funditus everterint. Quinetiam arculas, quæ gazophylacia vocantur, incendunt, in quibus magna vis erat pecuniæ, ac plurimum vestium, aliaque bona, & (ut breviter dicam) omnes Judæorum congestæ divitiæ, quod opulentissimus

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Templum sanguine & igne repletum.

Duo nobiles semetipsos in ignem injiciunt.

Circa templum omnia incensa.

A. M. 4034 P.C.N. 72. quisque illuc totas domos exhauſerant. Venerunt autem etiam in eam, quæ reſtabat, unam porticum extra templum, quo confugerant ex populo mulierculæ, itemque pueri & promiſcua multitudo, prope ad ſex hominum millia. Sed prius quam de his Cæſar quicquam decerneret, vel ducibus imperaret, ira flagrantes milites incendunt porticum. Hincque contigit, ut alii quum ſe ex flamma præcipitarent morerentur, alios ipſa corrumperet: ex tanto autem numero nemo ſervatus eſt. His cauſa interitus quidam Pſeudopropheta fuerat, qui eo die prædicaverat in civitate, quod eos in templum Deus aſcendere ſigna ſalutis accepturos juberet. Multi enim a tyrannis tunc ſubornati Prophetæ, populo denunciabant, ut expectarent Dei auxilium, quo propterea minus profugerent, & eos qui ſupra timorem & cuſtodiam fierent, ſpes retineret. Cito autem in adverſis homini perſuadetur. Quod ſi etiam malorum inſtantium liberationem polliceatur qui fallit, neceſſario qui ea patitur, ſpei totus efficitur.

Sex hominum millia in porticu flamma pereunt.

Pſeudoprophetæ a tyrannis ſubornati.

## CAPUT XII.

*De prodigiis excidium Hieroſolymæ præcedentibus, & præſagiis.*

Populi execratio.

DEnique miſerabilis populus, illis quidem fallacibus Deumque calumniantibus, credulus erat. Certis vero prodigiis & futuram ſolitudinem prænunciantibus, neque attendebant animo, neque credebant: ſed velut attoniti, nec aut oculos habentes, aut animas, edicta Dei diſſimulavere: modo cum ſupra civitatem ſidus ſtetit ſimile gladio, & per annum

Primum prodigium.

Cometes gladio ſimilis.

per-

perſeveravit cometes: modo cum ante defectionem primique belli motus ad diem feſtum Azymorum populo conveniente (octavus autem dies erat Aprilis menſis) nona hora nocturna, circum aram itemque templum tantum lumen effulſit, ut clariſſimus dies putaretur: & hoc usque ad mediam permanſit horam: quod imperitis quidem bonum augurium eſſe videbatur: ſacrorum vero peritis, prius quam eveniret, ſtatim dijudicatum eſt. Eodemque feſto die etiam bos, cum ad hoſtiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cum eſſet ænea atque graviſſima, & ſub veſperam vix a viginti viris clauderetur, ferisque ferro vinctis obſeraretur, peſſulosque altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis hora ſexta ſponte pateſcere. His autem curriculo per cuſtodes templi magiſtratui nunciatis, aſcendit ille, vixque eam potuit claudere. Verum & hoc iterum ignaris quidem ſignum optimum videbatur. Deum namque bonorum portam ſibi aperuiſſe dicebant. Prudentiores vero templi tutamen ſponte ſua diſſolutum iri cogitabant: & hoſtium donum eſſe, portas aperiri: ſolitudinemque illo oſtento ſignari inter ſe pronunciabant. Poſt dies autem feſtos diebus paucis, viceſimo primo die menſis Maji viſio quædam apparuit fidem excedens. Pro fabula autem fortaſſe quod dicturus ſum haberetur, niſi qui viderunt ſupereſſent, & clades dignæ præſagiis ſecutæ fuiſſent: namque ante ſolis occaſum viſi ſunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfuſæ. Feſto autem die, quam pentecoſten

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Secundum prodigium lumen clariſſimum circum aram & templum noctu effulget.

Tertium prodigium bos agnum in medio fani parit.

Quartum prodigium ænea templi porta ſponte ſeſe aperit.

Quintum prodigium currus & armatæ acies tranantes nubila.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Sextum prodigium vox in intimo templo.

Septimum prodigium Jesu plebei ac rustici, clamor & mors.

sten vocant, nocte Sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quendamque strepitum senserunt: postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret, Migremus hinc. Quod autem his horribilius fuit, Jesus quidam, filius Anani, plebejus & rusticus, quadriennio prius quam bellum gereretur, in summa civitatis pace atque opulentia, cum ad festum diem venisset, quo ategias in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos est, repente exclamare cœpit: Vox ab oriente: Vox ab occidente: Vox a quatuor ventis: Vox in Hierosolymam & templum: Vox in maritos novos novasque nuptas: Vox in omnem hunc populum. Atque hæc interdiu noctuque clamitans omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum insignium, adversum omen indigne ferentes, corripiunt hominem, multisque verberibus afficiunt. Ille autem neque pro se, nec ad eos qui se mulctabant, secreto quicquam loquutus, eadem quæ prius vociferans perseverabat. Magistratus autem rati, quod erat verum, magis divinum esse hominis motum, ducunt eum ad Romanorum præfectum: ubi plagis usque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lachrymavit: sed ut poterat inclinans maxime flebiliter vocem ad singulos ictus respondebat: Væ væ Hierosolymis. Albino autem interroganti (is namque judex erat) quis esset, vel unde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit. Non prius autem cessavit a luctu miseræ civitatis, donec eum Albinus furere judicatum dimisit. Ille autem ad belli usque tempus neque adibat quenquam civium,

vium, neque loqui visus est: sed quotidie vel- A. M.
ut orationem quandam meditatus, Væ væ Hie- 4034.
rosolymis querebatur. Sed nec imprecatus P.C.N.
est cuiquam, cum in dies singulos mulctaretur, 72.
nec victum offerentibus bene dicebat. Sola ve-
ro ejus responsio ad omnes erat triste præsa-
gium. Maxime autem diebus festis vociferaba- Jesus per annos septem & quinque menses vociferatur.
tur: idque per annos septem & quinque men-
ses continuos faciens, neque voce raucior fuit,
neque delassatus est, donec obsidionis tempore
ipsa re perspectis auguriis ipse quievit. Supra Jesum in muro lapis tormento missus petimit.
murum enim circumiens iterum, Væ væ civi-
tati, ac Fano, ac populo, voce maxima clami-
tabat. Quum autem ad extremum addidisset,
væ autem mihi, lapis tormento missus eum
statim peremit, animamque adhuc illa omnia
lugentem dimisit. Hæc si quis reputet, profe-
cto inveniet, Deum quidem hominibus consu-
lere, modisque omnibus præmonstrare, quæ sint
eorum generi salutaria: ipsos autem ob demen-
tiam suam malis voluntariis interire, quandoqui-
dem & Judæi post Antoniam captam quadra-
tum Fanum fecerant: cum in sacris libris scri-
ptum haberent, capiendam civitatem ac tem-
plum, si fanum quatuor angulis esset effectum.
Sed quod maxime eos ad bellum excitaverat, re-
sponsum erat ambiguum, itidem in sacris libris
inventum, quod eo tempore quidam esset ex
eorum finibus orbis terræ habiturus imperium.
Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, Judæi signa pro sua libidine interpretantes, Patriæ excidium sibique perniciem acciverunt.
multique sapientes interpretatione decepti sunt.
Hoc autem plane responso, Vespasiani designa-
batur imperium, qui apud Judæam creatus est
Imperator. Sed enim homines fatum vitare
non possunt, etiam si præviderint. At vero hi

A. M. 4034 P.C.N. 72. ſignorum quædam pro ſua libidine interpretati ſunt, alia contempſere: donec patriæ excidio ſuaque pernicie, eorum iniquitas confutata eſt.

## CAPUT XIII.

*De Imperio Titi, & ſacerdotum interfectione.*

ROmani quidem, poſtquam ſeditioſi ad civitatem confugere, templo itemque omnibus circum locis ardentibus, ſigna in fano repoſuere contra portam orientalem: hique ibi ſacrificio celebrato, maximis cum clamoribus declarabant Titum Imperatorem. Usque adeo vero præda ſatiati ſunt milites univerſi, ut in Syria dimidio, quam pridem fuerat, pretio pondus auri veniret. Ex his autem Sacerdotibus, qui in templi pariete perduraverant, puer ſitiens a Romanis cuſtodibus pacem petebat, ſitimque fatebatur. Sed ubi illi tam ætatis quam neceſſitatis miſerti, dedere ei dexteram, & ipſe bibit, & quam ſecum attulerat, lagena repleta, ſurſum refugiens abiit ad ſuos: nec eum quisquam cuſtodum aſſequi valuit, ſed ejus perfidiæ maledicebant. Ille autem nihil ſe præter placita feciſſe dicebat. Dexteram enim ſibi datam, non ut apud ipſos remaneret, ſed ut tantum deſcenderet, atque ut aquam acciperet: quæ cum fecerit, in fide manſiſſe. Aſtutiam quidem propter ætatem, maxime pueri, qui decepti fuerant, mirabantur. Quinta vero die Sacerdotes oppreſſi fame deſcendunt, & a cuſtodibus ad Titum perducti, ut ſalutem ſibi concederet orabant. Ille autem veniæ quidem tempus illis præteriſſe fatus, periſſe vero id cujus eos gratia merito conſervaſſet, decere autem Sacerdo-

Dimidio pretio pondus auri venit.

Dolus pueri.

Sacerdotes veniam petunt, Titus vero duci homines ad ſupplicia jubet.

dotes interire cum templo, duci homines ad ſupplicium jubet. Sed tyranni cum ſociis, quoniam bello undique tenebantur, circumdatis autem nusquam erat fugæ copia, Titum ad colloquia provocant. Ille autem pro humanitate naturali ſaltem oppidum ſervare cupiens, & amicis præterea ſuadentibus (latrones enim jam moderatiores factos eſſe arbitrabantur) in parte occidua templi interioris conſiſtit. Hic enim ſuper Xyſtum erant portæ, ac pons qui civitatem ſuperiorem templo jungebat, isque tunc inter tyrannos ac Titum interveniebat. Multi autem militum utrinque denſi aſtabant: Judæi quidem circum Simonem ac Joannem ſuſpenſi ſpe veniæ: Romani vero ad Cæſarem ſpeculandi ſtudio, qualiter eos reciperet. Edicto autem dato militibus, Titus, ut & iracundiam & ſagittas continerent, adhibitoque interprete, quo argumento ſuperior oſtendebatur, prior alloqui cœpit. Etiamne ſaturati eſtis patriæ malis, o viri? quibus neque virtutis noſtræ, neque infirmitatis propriæ venit in mentem: ſed inconſulto impetu ac furore perditis populum & civitatem ſimul ac templum, ipſi quoque juſte perituri: qui primum quidem, poſtquam vos Pompejus fortiter debellaverat, novas res affectare non deſtitiſtis, deinde etiam bellum apertum contra Romanum populum extuliſtis: utrumne multitudine freti? atqui parva manus vobis Romani exercitus ſatis reſtitit. Auxiliatorum fide? Et quæ gens imperio noſtro libera, Judæos præ Romanis optaret? Sed viribus corporum? Atqui ſcitis nobis ſervire Germanos. Firmitate murorum? Et qui major Oceano murus, atque obſtaculum? quo ſepti Bri-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Seditioſi Titum ad colloquia provocant

Titi ad Judæos per interpretem oratio

A. M. 4034. P.C.N. 72.

tanni, adorant arma Romanorum. Animorum obſtinatione, vel aſtutia ducum? Atqui etiam Carthaginenſes captos eſſe noveratis. Itaque vos contra Romanos ipſorum excitavit humanitas, qui primum vobis & terram dedimus poſſidendam, & gentiles impoſuimus Reges, deinde leges ſervavimus patrias, & vivere vos non ſolum diſcretos, ſed cum aliis etiam veſtra voluntate conceſſimus: quodque maximum eſt, tributum capere Dei nomine, ac donaria colligere permiſimus: eaque offerentes neque monuimus, neque prohibuimus, ut hoſtes nobis efficeremini ditiores, noſtraque pecunia vos contra nos inſtrueretis. Ergo tantis bonis affecti, ſatietatem in eos, qui hæc vobis præſtiterant, extuliſtis, & immitium exemplo ſerpentium virus blandientibus infudiſtis. Eſto, Neronis negligentiam contempſiſtis, & veluti ruptum aliquod membrum, ſive contractum alias, male quieti in majore vitio detecti eſtis, & ad ſpes improbas, etiam cupiditates immodicas explicaſtis. Venit pater meus ad patriam veſtram, non ut pœnas a vobis ob ea, quæ in Ceſtium commiſeratis, exigeret, ſed monitis emendaret. Denique cum deberet, ſi populandæ nationis cauſa veniſſet, ſtirpem veſtram petere, atque hanc delere civitatem, Galilæam & circa eam loca vaſtare maluit, ut pœnitendi vobis præberet inducias. Sed hæc ejus humanitas infirmitas videbatur, noſtraque lenitate aluiſtis audaciam. Et Nerone mortuo, feciſtis quod nequiſſimi ſolent, & ex inteſtinis noſtris diſſenſionibus fiduciam præſumpſiſtis: meque ac patre meo digreſſis ad Ægyptum, ad ſtruendum bellum tempus illud utile putaviſtis. Neque

Judæos contra Romanos ipſorum excitavit humanitas.

vos

vos puduit perturbare principes declaratos, quos etiam duces humaniſſimos fueratis experti. Denique ubi ad nos confugit imperium, & omnibus in eo quieſcentibus, per legatos autem gratulantibus exteris nationibus, ecce iterum hoſtes Judæi: & legationes quidem a vobis trans Euphratem usque novarum rerum gratia miſſæ, murorum autem novi ambitus: ſeditio etiam, tyrannorumque contentio, & bellum inteſtinum, quæ ſola hujuſcemodi nequiſſimos decent. Juſſus ergo ab invito patre cum mandatis triſtibus ad civitatem venire, lætabar, cognito populum de pace ſentire. Ante bellum rogabam vos deſiſtere, pugnantibus aliquamdiu parcebam, ſponte ad me venientibus dexteram dedi, fidem ſervavi confugientibus, multos captivos miſeratus, verberibus urgentes bellum coercui, muris veſtris machinas invitus admovi, ſemper cædis veſtræ cupidos milites continui. Quoties vici, toties vos ad pacem tanquam victus provocavi. Cum prope ad templum acceſſiſſem, conſulto iterum legis belli oblitus, parcere vos propriis ſanctis orabam, templumque ſervare, data vobis exeundi copia & fide ſalutis, vel etiam pugnare alio tempore ſi velletis, in alio loco facultatem præbui. Iſta omnia ſpreuiſtis, & templum manibus veſtris incendiſtis. Deinde ſceleratiſſimi nunc me ad colloquium provocatis, ut quid tale conſervetis quale periit? Qua vosmetipſos ſalute dignos eſſe poſt templi excidium judicatis? Quinetiam nunc armati ſtatis, & nec in extremis ſupplices aſſimulatis. O miſeri! qua fiducia? Nonne populus veſter exanimatus? Templum vero periit, mihique ſubdita eſt civitas: in manibus

A. M. 4034. P.C.N. 72.

A. M. 4034. P.C.N. 72. autem meis habetis animas vestras. Et tamen fortitudinis esse gloriam mortem arbitramini? Non contendam cum pertinacia vestra. Projectis autem armis, traditisque corporibus, vitam vobis indulgeo, & sicut in privata domo, dominus mitis ultus graviora, cætera mihi servo. Ad hæc illi responderunt, fidem quidem se ab eo minime posse accipere: nam juravisse, nunquam id esse facturos: exeundi vero per munitiones, qua murum sepserat, cum coniugibus ac liberis facultatem petebant. Ituros enim se in solitudinem, ipsisque oppidum relicturos. Ob hoc Titus vehementer iratus, quod in sorte captorum constituti, victorum sibi conditiones ponerent, declarari quidem his jussit voce præconis, ne ulterius ad se profugerent, neve fidem sperarent: nulli enim esse parcendum: cunctis autem viribus dimicarent, & quantum possent, saluti suæ consulerent: jam enim se omnia jure belli gesturum. Militibus autem diripere civitatem, atque inflammare permisit. Illi autem ipso quidem die nihil egerunt, postero autem die Archivum, & Acram, & curiam, & qui vocatur Ophla, succendere: & progrediebatur ignis usque ad Helenæ regiam, quæ in media erat Acra: nec minus civitatis mortuis plenæ vici domusque ardebant. Eodem die Izatæ Regis filii, & fratres, cumque his multi nobiles ex populo congregati, ut fidem sibi daret, Cæsari supplicarunt. Ille autem, quanquam cæteris omnibus iratus erat, mores tamen non mutavit, sed eos suscepit. Et tunc quidem omnes in custodia habebat. Regis autem filios ac propinquos postea vinctos Romam perduxit, fidem obsidum præstaturos.

Titus Judæis projectis armis, traditisque corporibus vitam indulget.

Judæi a Tito fidem accipere recusant.

Civitatem milites inflammant.

Cæsaris mores non mutantur.

CA-

## CAPUT XIV.

A.M. 4034 P.C.N. 72.

*De præda ſeditioſorum, & ſuccenſione interioris civitatis.*

SEditioſi autem ad domum regiam profecti, ubi (quia tuta erat) multi facultates ſuas depoſuerant, & Romanos hinc pellunt, & omnibus popularibus, qui eo convenerant, prope ad octo millia & quadringentos occiſis, pecuniam etiam diripuere. Vivos autem duos Romanos milites cepere, unum equitem, alterum peditem, & peditem quidem interfectum per omnem traxere civitatem, velut uno corpore omnes Romanos ulciſcerentur: eques vero quiddam his quod ſaluti foret, ſuadere pollicitus deducitur ad Simonem, cumque ibi quæ diceret non haberet, Ardalæ cuidam ex numero ducum traditur puniendus. Is autem eum revinctis poſt terga manibus, oculisque faſcia obſtructis, in conſpectum Romanorum veluti capite cæſurus produxit. Verum ille dum gladium Judæus educeret, ad Romanos refugit. Hunc Titus quoniam ab hoſtibus eſſet elapſus, non eſt paſſus quidem occidi, indignum vero eſſe Romanorum militem judicavit, quia vivus fuerat captus: & armis ablatis eum agmine pepulit, quæ res prudenti viro gravior eſſe morte videbatur. Poſtero autem die Romani, verſis in fugam ex inferiori civitate latronibus, omnia Siloam usque igni tradidere, & oppidum quidem gaudebant abſumi, rapinis vero carebant: quoniam latrones exinanitis prius omnibus, in ſuperiorem civitatem recedebant. Erat namque illis malorum quidem nulla pœnitudo: arrogantia autem tanquam in rebus ſecundis. Denique

Seditioſi ad domum regiam profecti, pecuniam diripiunt.

Pœna Romani militis ab Judæis capti

ar-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

ardere civitatem lætis vultibus aſpicientes, alacri voto mortem ſe expectare dicebant, quod perempto populo, incenſo templo, & flagrante oppido, nihil eſſent hoſtibus relicturi. Sed tamen Joſephus in extremis eorum rebus, pro reliquiis civitatis obſecrando laborabat. Sed multa quidem in eorum crudelitatem atque impietatem locutus, multa vero pro ſalute adhortatus, nihil amplius quam eluſus eſt: quia neque ſe tradere propter jusjurandum patiebantur, neque pugnare cum Romanis ex æquo jam poterant, veluti cuſtodia circumvallati: cædisque inſuper conſuetudo dextras commovebat. Diſperſi autem per civitatem, per ruinas latitabant, profugere parati inſidiantes. Multi autem capiebantur, omnesque interficiebantur: nam propter inediam fugere non valebant: mortuos autem canibus projiciebant. Omne autem pereundi genus, fame levius videbatur: adeo ut ad Romanos quoque ſine licentia, etiam deſperata miſericordia, tamen fugerent: atque in ſeditioſos a cæde non ceſſantes, ſponte inciderent: nullusque in civitate locus vacuus erat: ſed cuncta mortuos habebant, quos fames aut latrones confecerant, & cadaveribus eorum plena erant, qui alimentorum penuria vel ſeditione perierant. Tyrannos autem fovebat, factionemque latronum, ſpes ultima ſita in cloacis: quo ſi fugiſſent, minime inveniri poſſe arbitrabantur: ſed peracto excidio, poſt Romanorum digreſſum prodire ac fugere cogitabant. Id autem plane illis erat ſomnium. Nec enim vel Deum, vel Romanos fuerant latituri. Tunc quidem ſubterraneis freti, plura quam Romani concremabant, & qui ex incendiis fugientes in

Judæi in media calamitate arrogantes

Judæi Romanis ſeſe tradere recuſant, nec pugnare cum eis ex æquo poſſunt.

Tyrannorum ac latronum ſpes ultima in cloacis ſita

cu-

cuniculos descendissent, eos improbe necabant itemque spoliabant. Quinetiam cibum sicubi reperissent concretum sanguine rapientes, devorabant. Erat autem inter se illis jam rapinarum causa bellum: eosque putaverim, nisi excidio præventi essent, nimia credulitate mortuorum quoque corpora degustaturos fuisse. A. M. 4034. P.C.N. 72. Rapinæ ac cædes in cloacis.

## CAPUT XV.

*Superior pars civitatis oppugnatur, & confugiunt aliqui Judæorum ad Titum.*

CÆsar autem fieri non posse prospiciens, ut sine aggeribus superiorem caperet civitatem, in prærupto undique loco sitam, distribuit operibus militem vicesimo die mensis Augusti. Erat autem transvectio materiæ difficilis: omnibus, ut dictum est, circum civitatem usque ad centesimum stadium in priorum aggerum exstructionem detonsis. Quatuor quidem legionum opus in occidentali parte civitatis contra aulam regiam erigitur: auxiliarium vero manus, & cætera multitudo Xystum versus, ac pontem & Simonis turrim: quam cum Joanne bellum gerens, pro castello sibi ædificaverat. His autem diebus, Idumæorum duces clam congregati, consilium de sui traditione cepere: missisque ad Titum quinque, ut dexteram sibi daret, precabantur. Ille vero tyrannos sperans esse cessuros Idumæis abstractis, quoniam belli pars videbantur, sero quidem, verumtamen vitam his pollicitus, legatos remisit. Discessum autem parantibus Simon præsensit, & eos quidem, qui ad Titum perrexerant, quinque viros statim occidit: duces vero, quorum nobilissi- Idumæorum duces clam congregati, consilium de sui traditione capiunt.

A. M. 4034. P.C.N. 72. mus erat Soſæ filius Jacobus, correptos in cuſtodiam conjicit. Nec multitudinem Idumæorum, abductis rectoribus, quid ageret neſcientem, ſine cuſtodia habebat: ſed diligentioribus eam cuſtodiis amplectebatur: & tamen cuſtodes profugientibus obſtare non poterant. Quamvis enim multi necarentur, plures tamen erant qui fugerent. Omnes autem ſuſcipiebantur a Romanis, quod Titus nimia lenitate priora præcepta neglexerat: ipſique milites jam ſpe lucri, & ſatietate, cædibus temperabant. Sola enim relicta plebe, aliud vulgus cum conjugibus, ac liberis, parvo quemque pretio venundabant. Cum multi autem diſtraherentur, & emptores pauci eſſent, quamquam voce præconis edixerat, ne quis ſolus transfugeret, ut eo modo familias ſuas educerent, tamen hos quoque recipiebat: appoſitis, qui ab his ſecernerent, ſi quis dignus ſupplicio videretur. Et infinita quidem multitudo veniit. Ex populo vero ſervati ſunt plus quam quadraginta millia, quos Imperator quomodo cuique gratum erat, dimiſit. Iisdem autem diebus, etiam ſacerdotum unus, filius Thebuthi, nomine Jeſus, accepta fide ſalutis a Cæſare, ut de ſacris donariis quædam traderet, egreditur, ac tradit ex fani pariete candelabra duo: his quæ in templo erant poſita, ſimilia: menſasque & crateras, & pateras, omnia ex auro ſolido & graviſſimo facta. Tradit etiam vela, & Pontificum indumenta, cum gemmis, & vaſa multa ſacrificio comparata. Quin etiam cuſtos ſacræ pecuniæ comprehenſus, Phineas nomine, veſtes & ſingula ſacerdotum oſtendit, multamque purpuram & coccum, quæ ad uſum repoſita catapetasmatis ſervabantur. Cum quibus

Ex populo 40. millia ſervati.

Jeſus ſacerdos, Thebuthi filius.

Phineas ſacræ pecuniæ cuſtos comprehenſus.

bus aliquantum cinnami erat, caſiæ, pigmentorumque aliorum multitudo, quibus commixtis Deo in dies ſingulos adolebant. Tradita autem ſunt ab eo & ex aliis opibus multa, & ſacra ornamenta non pauca: quorum gratia, licet vi capto, ut transfugæ tamen data eſt venia. A. M. 4034. P.C.N. 72.

## CAPUT XVI.

*De occupata reliqua parte Civitatis.*

JAm vero perfectis aggeribus, Septembris menſis die ſeptimo, qui erat a cœpto opere octavus & decimus dies, Romani quidem machinas admovebant. Seditioſorum autem alii, qui civitatem deſperaverant, muris relictis in Acram recedebant: alii ſe in cloacas demittebant: multi diſpoſiti prohibebant eos, qui arietes applicarent, hos autem ſuperabant multitudine ac virtute Romani: quodque maximum eſt, læti mœſtos, atque jam debiles. Cum autem pars eſſet aliqua muri ſubruta, nonnullæque turres arietibus pulſatæ ceciſſent, ſtatim quidem propugnatores earum diffugiunt: timor autem etiam tyrannos neceſſitate major invadit: nam & prius quam transgrederentur hoſtes, torpore tenebantur, & ad fugiendum ſuſpenſi erant. Videres autem paulo ante ſuperbos, & factis impiis arrogantes, ita tunc humiles eſſe ac tremere, ut miſeranda eſſet, quamquam in nequiſſimis, tanta mutatio. Conati ſunt quidem ambitu & muro, quo mœnia cingebantur, invaſo atque perrupto, cuſtodes pellere, atque egredi: cum vero, quos antea fideles habuerant, nusquam viderent, fugiebant quo quemque neceſſitas impuliſſet. Adeuntes autem alii, cum to-

Seditioſorum alii in Acram recedunt, alii ſe in cloacas demittunt.

Timor & torpor tyrannorum

A. M. 4034. P. C. N. 72. tum ab occidente murum ſubverſum eſſe nunciarent, alii ſubiiſſe Romanos, ac etiam propinquare ſe quærentes, alii etiam videre hoſtes in turribus affirmarent, metu fallente conſpectum, in ora proſtrati, pro ſua dementia querebantur: ac veluti ſucciſi nervos, qua fugerent hæſitabant. Unde & maxime quis, & virtutem Dei perſpexerit contra injuſtos, & fortunam Romanorum. Tyranni ſiquidem ſemetipſos tuitione privavere, ac ſponte de turribus deſcendere: unde vi nunquam, ſola vero fame capi poterant. Romani vero qui tantum in muris inferioribus laboraverant, eos quos inſtrumentis non potuiſſent, nunc fortuna cepere. Omnibus enim machinis tres turres validiores erant, de quibus ſupra memoravimus. Relictis itaque his, vel (quod eſt verius) Dei nutu ab his depulſi, confeſtim quidem ad vallem Siloam confugere: rurſum autem ubi a metu paululum reſpiraverunt, munitionem qua murus erat accinctus ex ea parte petiere. Uſi autem infirmiori audacia, quam neceſſitate (jam enim vires eorum labor, metus & calamitas fregerat) a cuſtodibus retruduntur: & per diverſa disjecti, in cloacis deliteſcunt. Romani vero muris potiti, ſigna in turribus poſuere: & plauſu atque lætitia victoriam & cantu celebrabant, quod principio finem belli multo ſenſerant leviorem. Denique ſine ſanguine murum nacti, noviſſimum non eſſe credebant: cumque nullum reluctantem viderent, pro incerto mirabantur. In anguſtias viarum ſtrictis gladiis fuſi, & quos cepiſſent interficiebant nullo diſcrimine: domosque totas, cum omnibus qui eo confugerant, igni

Tyranni ſemetipſos tuitione privant, ac ſponte de turri deſcendunt, unde vi nunquam, ſola vero fame capi poterant.

Romani urbe ac victoria potiuntur.

tra-

tradebant. Multas vero vaſtantes, quas prædæ cauſa penetraſſent, integras mortuorum familias, & plena mortuis tecta, quos fames confecerat, offendebant. Ipſum deinde horrentes aſpectum, vacuis manibus egrediebantur. Nec tamen eo modo peremptos miſerantes idem etiam circa vivos patiebantur: ſed unumquemque obvium transfigendo, & anguſta viarum cadaveribus obſtruendo, totam civitatem ſanguine diluere, ut pleraque incenſorum cædes extinguerent. Et occidentes quidem veſpere ceſſabant, nocte vero creſcebat incendium. Ardentibus autem Hieroſolymis, illuxit dies Septembris menſis octavus civitati, tot clades cum obſideretur expertæ, quot bonis ſi uſa eſſet ex quo fuerat condita, invidenda fuiſſet: nulla tamen alia re tantis infelicitatibus digna, niſi quod talem progeniem, qua ſubverſa eſt, edidit. Intro autem Titus ingreſſus, & alia, & civitatis munitiones, ac turrium cautes miratus eſt, quas tyranni per dementiam deſeruerant. Conſpecta quidem earum ſolida altitudine, itemque magnitudine, ſubtilique lapidum compagine ſingulorum, quantumque paterent vel quantum erigerentur, Deo, inquit, plane adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munimentis Judæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad iſtas valerent? Tunc quidem multa ejusmodi cum amicis collocutus eſt, quos vero a tyrannis vinctos in caſtellis reperit, relaxavit. Cum autem alia civitatis deleret, murosque ſubverteret, eas turres fortunæ ſuæ monumentum reliquit: qua commilitante his potitus fuiſſet, quæ capi non potuiſſent. Quia ergo milites interficiendo defatigabantur,

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Integræ mortuorum familiæ. & plena mortuis tecta

Civitatis munitiones ac turrium cautes, quas tyranni per dementiam deſeruerant, inſuperabiles.

Fortunæ monumentum

A. M. 4034. P.C.N. 72. magnaque adhuc extabat ſuperſtitum multitudo, ſolos quidem armatos Cæſar, & qui manum opponerent, jubet interfici, reliquam vero multitudinem ſalvam eſſe. Illi autem cum his, quos occidi mandatum fuerat, etiam ſenes, ac debiles trucidabant: vegetos autem atque utiliores coactos in templum, in deſtinatum mulieribus ambitum concluſerunt. Cuſtodem autem his Cæſar appoſuit unum ex libertis, & amicum ſuum Frontonem, qui fortunam, quam quisque meritus eſſet, decerneret. Ille autem latrones quidem omnes, atque ſeditioſos, cum alius ab alio indicaretur, occidit: juvenes autem lectos, qui procero atque formoſo eſſent corpore, triumpho ſervabat: ex reſidua multitudine ſeptem & decem majores annis, vinctos mittit ad Ægyptum, operibus deputandos. Plurimos autem per provincias Titus diſtribuit, in ſpectaculis ferro & beſtiis conſumendos. Qui vero infra decimum & ſeptimum annum ætatis agerent, venditi ſunt. Iisdem autem diebus, quibus ſecernebantur a Frontone, mortui ſunt fame duodecim millia, quibus partim odio cuſtodum non præbebatur cibus, partim ipſi victus faſtidio tenebantur. Erat autem præ multitudine hominum frumenti penuria.

Senes ac debiles Judæi trucidantur, utiliores ſeſervantur.

Judæos Titus diſtribuit.

## CAPUT XVII.

*De numero captivorum, & peremptorum.*

ET captivorum quidem omnium, qui toto bello comprehenſi ſunt, nonaginta & ſeptem millium comprehenſus eſt numerus: mortuorum vero per omne tempus obſidionis undecies centum millia. Horum plerique gentiles

Captivorū & per tempus obſidionis mortuorum numerus.

les fuere, ſed non indigenæ: ab omnibus enim regionibus ad azymorum diem feſtum congregati, bello ſubito circumfuſi ſunt: ubi primo quidem illis peſtifera lues ex loci anguſtia naſceretur, deinde citius fames. Quod autem caperet tantam hominum multitudinem civitas, certum erat ex his, qui ſub Ceſtio fuerant enumerati. Is enim tunc vires civitatis ac florem Neroni ſignificare cupiens, contemnenti nationem, a Pontificibus petiit, ut ſi quo modo poſſent multitudinem numerarent. Illi autem, cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hoſtias cædunt, per ſingulas vero contubernia non pauciorum quam decem virorum fiunt: ſolum enim epulari non licet, multi etiam viceni conveniunt: hoſtiarum quidem ducenta & quinquaginta ſex millia & quingentas numeravere. Fiunt autem, ut denos epulatores per ſingulas imputemus, vicies centena ac ſeptingenta millia, ſancti omnes ac puri: nec enim leproſis ſive vitiliginoſis, aut ſemine fluentibus, quos gonorrhoicos vocant, neque mulieribus menſtruo cruore pollutis, neque aliis inquinatis participare ſacrificia permittebatur: ſed nec alienigenis quidem, niſi qui religionis cauſa veniſſent. Magna vero hæc multitudo ab extraneis congregabatur. Tunc tamen velut in carcerem tota gens fato concluſa eſt, & farta hominibus civitas bello obſidebatur. Itaque ſuperat omnem humanam, & divinitus emiſſam peſtem numerus peremptorum, quos partim palam occidere, partim cepere Romani. Rimantes enim cloacas, & ſepulchra eruentes, quos offendiſſent, jugulabant. Inventi autem

A. M. 4034. P. C. N. 72.

Romani cloacas rimantes & ſepulchra eruentes, multas opes inveniunt.

ſunt

A. M. 4034. P.C.N. 72. sunt ibi quoque plus quam duo millia, quorum alii manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerant, cum alios fames corrupisset. Fœdus autem corporum odor introeuntibus occurrebat, adeo ut statim multi recederent: alii plura habendi cupidine, congesta cadavera calcantes, se immergerent: multæ namque opes in cuniculis inveniebantur, nefasque omnem viam lucri faciebat. Subducebantur autem multi, quos tyranni vinxerant: nec enim in extremis a crudelitate cessaverant. Ultus est autem Deus utrumque merito. Et Joannes quidem oppressus fame cum fratribus in cloacis, quam sæpe despexit, a Romanis dexteram sibi dari precatus est. Simon vero multa vi cum necessitate luctatus, sicut infra designabimus, semet tradidit. Servatus est autem alter triumpho. Joannes autem vinculis sempiternis. Romani vero extremas urbis partes incendunt, murosque subvertunt.

Joannes & Simon in cloacis inventi capiuntur.

## CAPUT XVIII.

### *Hierosolymæ urbis historia brevis.*

Hierosolyma quinquies prius capta, tunc iterum vastata est.

ITa quidem Hierosolyma capta est, secundo anno principatus Vespasiani, Septembris mensis octavo die. Quinquies autem prius capta, tunc iterum vastata est. Ægyptiorum quidem Rex Asochæus, & post eum Antiochus, deinde Pompejus, & post hos cum Herode Sosius captam urbem servavere. Antea vero Rex Babyloniorum ea potitus excidit: post annos ex quo ædificata est, mille trecentos sexaginta, & menses octo, & dies sex. Primus autem conditor ejus fuerat Chananæorum dynasta, qui patria

tria lingua juſtus appellatus eſt Rex. Erat quippe talis. Ideoque ſacerdotium Deo primus exhibuit, & fano primum ædificato, Hieroſolymam civitatem vocavit, cum ante Solyma vocaretur. Chananæorum quidem populo Rex Judæorum David pulſo, colendam ſuo populo tradidit: & quadringenteſimo ſexageſimo quarto anno poſt, ac menſibus tribus, a Babyloniis everſa eſt. A Rege autem Davide, qui primus Judæus in ea regnavit, usque ad id, quod Titus fecit excidium, anni mille centum ſeptuaginta novem. Ex quo primum autem condita eſt, usque ad excidium, anni duo millia centum ſeptuaginta ſeptem. Sed enim neque antiquitas, neque ingentes divitiæ, neque per totum orbem terræ diffuſa fama, nec magna religionis gloria quicquam juvit, quo minus periret. Talis quidem finis Hieroſolymorum obſidionis fuit. Poſtquam vero quos occideret, quidve raperet, non habebat exercitus, quod iratis animis omnia deerant (nec enim parcendo ſi eſſet quod agerent, abſtinuiſſent) jubet eos Cæſar totam funditus jam eruere civitatem ac templum: relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaſaelo, & Hippico, & Mariamme: murique tanto, quantum civitatem ab occidente cingebat. Id quidem, ut eſſet caſtrum illic cuſtodiæ cauſa relinquendis: turres autem, ut poſteris indicarent qualem civitatem, quamve munitiſſimam, Romanorum virtus obtinuiſſet. Alium vero totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent. Hic quidem finis eorum dementia, qui novas res movere tentaverunt, Hieroſolymis fuit: clariſ-

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Romani totam funditus, eruunt civitatem ac templum.

A. M. 4034. P.C.N. 72. simæ civitati, & apud omnes homines prædicatissimæ.

## CAPUT XIX.

### *De præmio militum.*

CÆsar autem præsidio quidem illic statuit relinquere decimam legionem, nonnullasque alas equitum, ac peditum cohortes. Omnibus autem belli partibus administratis, & laudare universum cupiebat exercitum, pro rebus fortiter gestis, & debita viris fortibus præmia persolvere. Compositio autem in medio ante castra magno tribunali, stans in eo cum procerum eminentissimis, unde ab omni milite posset audiri, magnam illis ait, habere se gratiam, quod benevolentia erga se utendo perseverassent. Laudabat autem, quod per omnia bella morigeri fuissent, quodque præliando fortitudinem in multis magnisque periculis monstrassent, patriæ per se amplificantes imperium: omnibusque planum facientes hominibus, quia neque hostium multitudo, neque munitiones regionum, neque magnitudines civitatum, vel audacia inconsulta, & immanitates efferæ adversantium, possint unquam Romanorum vires, vel manus effugere, quamvis in multis rebus aliqui fortunam opitulantem habuerint. Pulchrum quidem esse, ait, illos etiam bello finem imponere, quod multo tempore gestum sit: nec enim optasse his quicquam melius, cum id ingrederentur. Hoc autem pulchrius atque præclarius, quod duces Romani & administratores imperii, ab his declaratos ac præmissos in imperium cuncti libenter suscipiunt: & his quæ

Titus magnam militibus ait habere se gratiam, quod benevolentia erga se utendo perseverassent

ipsi

ipſi decrevere, ſtandum putant, agentes his gratias, qui legiſſent. Mirari autem ſe eos ac diligere omnes, quia nemo viribus alacritatem habuit tardiorem. Et illis tamen, qui pro majore vi clarius decertaſſent, vitamque ſuam condecoraſſent fortibus factis, & re bene geſta militiam ſuam nobiliorem feciſſent, dixit ſe honores & præmia redditurum: nec ullum eorum qui plus alio laborare voluiſſet, juſta viciſſitudine cariturum, magnamque ſibi hujus rei fore diligentiam, quod magis vellet honorare virtutes eorum, qui militiæ ſocii fuiſſent, quam punire peccata. Confeſtim ergo juſſit eos, quorum partes ſunt, judicare, quosnam ſcirent fortiter aliquid in bello feciſſe: & nominatim ſingulos appellans, præſentes collaudabat, quaſi qui domeſticis recte geſtis nimium lætaretur: & coronas eis aureas imponebat, & torques longasque haſtas, & ſigna ex argento facta donabat, & uniuscujusque ordinem mutabat in melius. Quin & ex manubiis aurum & argentum, itemque veſtes, aliamque prædam largiter diſtribuebat. Omnibus autem ita donatis, ut quisque ſe meritum præbuerat, votisque cum univerſo exercitu factis, magno favore deſcendit, vertitque ſe ad ſacra pro victoria celebranda: magnaque aſtante boum multitudine circum aras, immolatos omnes exercitui dedit ad epulas, ipſe vero cum honoratis per triduum lætatus, milites quidem alios, quo quemque conveniret, dimittit. Hieroſolymorum autem cuſtodiam decimæ legioni credit: neque ad Euphratem, ubi pridem fuerat, eam remiſit. Duodecimam vero legionem, memor quod Ceſtio Duce Judæis ceſſerat, totam Syria pepulit: erat enim

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Titus fortibus militibus præmia pollicetur.

Titus militibus prædam largiter diſtribuit.

Titus ſacra pro victoria celebrat.

Duodecima legio Ceſtio duce Judæis ceſſerat.

A. M. 4034. P.C.N. 72. enim olim apud Raphanæas: ad Meliten autem, quæ ſic vocatur, miſit. Hæc ad Euphratem in confinio Armeniæ & Cappadociæ ſita eſt: duas vero ſibi obſequi ſatis eſſe duxit, donec ad Ægyptum perveniret, quintam & quintamdecimam legiones. Deinde cum ad maritimam Cæſaream cum exercitu deſcendiſſet, in eam manubiarum multitudinem repoſuit, captivosque ibi aſſervari præcepit, quod ad Italiam navigare tempus hyemis prohibebat.

## CAPUT XX.

*De navigatione Veſpaſiani, deque comprehenſo Simone, & ſpectaculo die natalitio exhibito.*

Navigatio & iter Veſpaſiani. PEr idem vero tempus, quo Titus Cæſar obſidionis cauſa apud Hieroſolymam commorabatur, aſcenſa navi oneraria Veſpaſianus Rhodum transmittit. Hinc autem vectus triremibus, poſtquam omnes quas præternavigavit civitates inviſit, ab his cum votis exceptus, in Græciam ex Ionia tranſit. Egreſſus deinde Corcyra in Japygiam delatus eſt, unde jam terra iter agebat. Titus autem ex maritima Cæſarea reverſus, in Cæſaream quæ Philippi vocatur, advenit, diuque ibi commorabatur, celebrans omnia genera ſpectaculorum: multique in ea captivi conſumpti ſunt, alii beſtiis objecti, alii autem catervatim more hoſtium inter ſe depugnare coacti. Hic Simonem etiam Gioræ filium comperit hoc modo comprehenſum. Iſte Simon cum Hieroſolyma obſideretur in ſuperiore civitate conſtitutus, poſtquam muros ingreſſus exercitus totam vaſtare civitatem cœperat, tunc fideliſſimis amicorum aſcitis, & lapidariis

Spectacula Cæſareæ celebrata.

dariis cum ferramentis eorum neceſſitati congruis, & alimentis quæ multis diebus ſufficere poſſent, una cum illis omnibus in quandam occultiorem cloacam ſeſe demittit, & quoad foſſa patebat, illi progrediebantur: ubi vero ſoliditas obſtitiſſet, eam ſuffodiebant, ſperantes poſſe ulterius progreſſos tuto emergere, atque ita ſervari. Sed hanc expectationem veram non eſſe, rei periculum refellebat. Vix enim paululum foſſores proceſſerant, jamque alimenta, quamvis parce his uterentur, eos deficiebant: tunc igitur velut ſtupore poſſet Romanos fallere, albis tunicis, innexaque fibula, ac chlamyde purpurea indutus, illo in loco ex terra editus ubi templum antea fuerat apparuit. Ac primo quidem obſtupuere, qui eum viderunt, locisque ſuis manebant: deinde propius cum acceſſiſſent, quis eſſet, percontati ſunt, & id quidem Simon non dicebat: jubebat autem ad ſe ducem vocari, ſtatimque accerſitus ab his, qui ad eum cucurrerant, venit Terentius Rufus: namque is rector militiæ relictus erat. Omni autem ab eo veritate comperta, ipſum quidem vinctum cuſtodiebat: Cæſari vero quemadmodum eſſet comprehenſus, indicavit. Simonem quidem in ultionem crudelitatis, qua in cives ſuos amare ac tyrannice fuerat uſus, in poteſtate hoſtium, quibus maxime inviſus erat, ita Deus poſuit, non vi ſubditum eorum manibus, ſed ſua ſponte ad ſupplicium adductum: propterea quod plurimos ipſe crudeliter interemerat falſis criminationibus inſimulatos, defectionis ſcilicet ad Romanos. Nec enim poteſt iram Dei effugere nequitia, nec invalida res eſt juſtitia, ſed quandoque ſui temeratores ulciſcitur, & graviorem

A. M. 4034 P.C.N. 72.

Simon in cloacam ſeſe demittit eam ſuffodit ac tuto emergere poſſe ſperat.

Simon a Romanis capitur.

Nequitia iram Dei effugere nequit.

A. M. 4034. P.C.N. 72.

nam ingerit criminoſis, cum jam ſe liberatos eſſe crediderint, eo quod non ſtatim luere commiſſa. Id etiam Simon didicit, poſtquam in iras Romanorum incidit. Illius autem aſcenſus a terra, magnam etiam aliorum ſeditioſorum multitudinem iisdem diebus fecit in cloacis deprehendi. Cæſari autem maritimam Cæſaream reverſo, vinctus Simon oblatus eſt, & illum quidem triumpho, quem Romæ acturus erat, ſervari juſſit. Ibi autem moratus, fratris ſui natalem diem clariſſime celebrabat, multam partem damnatorum ejus honori attribuens. Numerus enim eorum, qui cum beſtiis depugnarunt, quique ignibus cremati ſunt, & inter ſe digladiatores periere, duo millia quingentos excellit. Omnia tamen Romanis videbantur hæc, licet mille modis illi conſumerentur, minus eſſe ſupplicii. Poſtea Cæſar Berytum venit (hæc autem eſt civitas Phœnices provinciæ, colonia Romanorum) & in hac quoque diutius demoratus eſt, majore uſus claritudine circa natalem patris diem, tam magnificentia ſpectaculorum, quam ſumptibus aliis excogitatis, cum etiam captivorum multitudo eodem quo antea modo periret.

Magna ſeditioſorum multitudo in cloacis deprehenſa.

In ſpectaculo Cæſaree 2500. Judæi pereunt.

Titus Veſpaſiani natalem celebrat.

## CAPUT XXI.

*De calamitate Judæorum apud Antiochenſes.*

EVenit autem per idem tempus, Judæos qui apud Antiochiam reliqui erant, acerba & exitioſa pericula perpeti, concitata in eos Antiochenſium civitate, tam propter criminationes illatas eis in præſentia, quam propter ea, quæ fuerant non multo ante commiſſa, de quibus ne-

neceſſarium mihi videtur pauca prædicere, ut etiam quæ poſtea geſta ſunt, conſequenti narratione referamus. Judæorum namque gens multum quidem totius orbis indigenis aſſeminata eſt. Plurimum autem Syris vicinitate permixta, præcipue apud Antiochiam verſabatur, propter magnitudinem civitatis, maxime vero his liberam domicilii facultatem Reges, qui poſt Antiochum fuerant, præbuerunt. Namque Antiochus quidem, qui Epiphanes dictus eſt, vaſtatis Hieroſolymis templum ſpoliavit. Qui vero poſt eum regnum aſſecuti ſunt, quicquid æneum in donariis fuit, hoc Judæis apud Antiochiam degentibus reddidere, in eorum ſynagoga dedicatum: conceſſeruntque, ut pari cum Græcis jure civitatis uterentur. A ſecutis quoque poſtea Regibus eodem modo tractati, & multitudine profecere, & exſtructione itemque magnificentia munerum templum clarius reddidere: ſemperque religione ſibi ſociantes magnam paganorum multitudinem, etiam illos quodammodo ſui partem fecere. Quo tempore autem bellum fuerat conclamatum, & recens in Syriam Veſpaſianus delatus eſt navigio, Judæorum vero odium apud omnes pullulabat, tunc unus eorum Antiochus quidam plurimum patris cauſa honorabilis (erat enim princeps apud Antiochiam Judæorum) cum Antiochenſium populus concionaretur in theatro, progreſſus in medium, patrem ſuum & cæteros deferebat, inſimulans eos, quod una nocte totam civitatem incendere ſtatuiſſent: & velut hujus conſilii participes quosdam hoſpites Judæos tradidit. His autem auditis, populus iram cohibere non poterat: ſed in eos quidem, qui traditi

A. M. 4034. P.C.N. 72.

Judæorum gens multum totius orbis indigenis aſſeminata.

Judæorum in Antiochia multitudo.

Antiochus Judæus ſeditioſus magnæ calamitatis in Antiochia autor

A. M. 4034. P.C.N. 72. diti fuerant, ignem juſſit afferri: ſtatimque omnes in theatro concremati ſunt. In multitudinem vero Judæorum properabat irruere: ſi eos celeriter ulti eſſent, patriam ſuam ſervatum iri exiſtimantes. Antiochus autem iracundiam magis accendere, mutatæ voluntatis argumentum, quodque Judæorum mores odiſſet, exhibere ſe credens, ſi paganorum ritu ſacrificaret: idemque juſſit & cæteros compelli facere: renuendo enim manifeſtos inſidiatores fore. Hujus autem rei periculo ab Antiochenſibus facto, pauci quidem conſenſerunt: alii vero qui noluerunt, perempti ſunt. Antiochus autem acceptis a Romanorum duce militibus, ſævius inſtabat ſuis civibus, nequaquam eos die ſeptimo ab opere ceſſare permittens, ſed omnia cogens facere, quæ diebus aliis agerent. Tamque validam neceſſitatem impoſuit, ut non modo apud Antiochiam ſeptimi diei feriæ ſolverentur, ſed ab hoc exordio in cæteris quoque civitatibus ad breve ſimiliter tempus fieret. Judæis autem apud Antiochiam tunc ejusmodi mala perpeſſis, altera denuo calamitas accidit: de qua narrare conati, hæc quoque perſecuti ſuimus. Namque quod quadratum forum exuri contigit, & archiva monimentorumque receptacula publicorum, itemque baſilicas, vixque ignis inhibitus eſt ſuper omnem civitatem magna nimis vi ruens, hujus facti Antiochus Judæos accuſat: & Antiochenſes, quos ſcilicet ſi his infeſti antea non fuiſſent, recenti tamen ex incendii tumultu facile calumnia perpuliſſet, multo magis ex anteactis fidem habere dictis ſuis perſuaſit, ut pene ſe vidiſſe ignem a Judæis injici arbitrarentur: & tanquam furore correpti, magno cum ardore

Antiochus ſuis civibus peſſidus.

Antiochus ſeptimi diei feriis Judæis interdixit.

Judæis apud Antiochiam altera calamitas accidit.

cun-

cuncti adversus eos, qui accusabantur, impetum facerent. Vix autem motus eorum potuit reprimere Collega adhuc juvenis legatus, postulans sibi permitti referre ad Cæsarem gesta. Rectorem namque Syriæ Cæsennium Pætum jam quidem Vespasianus ad eam miserat, nondum autem ille pervenerat. Habita vero diligenti quæstione Collega reperit veritatem, & eorum quidem Judæorum, quos Antiochus accusaverat, nemo conscius fuit: omne autem facinus admisere homines quidam nocentissimi necessitate debitorum: rati, quod si forum & scripta publica concremassent, exactione liberarentur. Judæi quidem pro suspensis criminationibus futura expectantes, magno timore fluctuabant.

A. M. 4034 P.C.N. 72.

Homines quidam nocentissimi necessitate debitorum forum & scripta publica concremant.

## CAPUT XXII.

*Quomodo Vespasianus rediens a Romanis exceptus est.*

A. M. 4035. P.C.N. 73.

TItus autem Cæsar a patre sibi allato nuntio, quod universis quidem Italiæ civitatibus desiderabilis perveniisset: maxime vero, quod urbs eum Roma summa cum alacritate & claritudine susceperit, in maximam lætitiam voluptatemque translatus est, curis de eo ita, ut sibi erat suavissimum, liberatus. Vespasianum enim etiam longe absentem, omnes homines Italiæ, voluntatibus ut præsentem colebant: expectationem suam, quod nimis eum venire cupiebant, pro ejus adventu ducentes, & omni habentes necessitate liberam erga illum benevolentiam. Nam & senatus memor calamitatum, quæ mutatione principum contigissent, optabat Imperatorem suscipere senectutis honore, belli-

Urbs Roma summa eum alacritate & claritudine Vespasianum suscepit.

A. M. 4035. P.C.N. 73. corumque geſtorum maturitate decoratum, cujus præſentiam ſciebat ſoli ſaluti ſubjectorum commodaturam: & populus malis inteſtinis ſolicitus, magis eum venire cupiebat: tunc ſe calamitatibus quidem pro certo abſolvendum eſſe confidens, antiquam vero libertatem cum opulentia recepturum. Præcipue milites ad eum reſpiciebant: hi enim maxime bellorum per illum patratorum noverant magnitudinem: imperitiam vero aliorum ducum experti atque ignaviam, magna quidem ſe optabant turpitudine liberari: eum vero qui ſe & ſervare & honeſtare ſolus poſſet, recipere precabantur. Cum vero hac benevolentia diligeretur ab omnibus, honore quidem præcipuis viris ulterius expectare intolerabile videbatur, ſed eum longiſſime ab urbe Roma convenire ante properabant. Nec tamen quisquam moras ejus conveniendi ferebat, ſed ita ſimul omnes effundebantur, & univerſis facilius & promptius ire quam manere videbatur, ut etiam civitas ipſa tunc primum inter ſe jucundam ſentiret hominum charitatem. Erant autem pauciores abeuntibus remanentes. Ubi vero eum appropinquare indicaretur, quamque manſuete ſingulos ſuſcepiſſet, qui præceſſerant, nunciatum eſt, omnis jam reliqua multitudo per vias cum conjugibus & liberis præſtolabantur: & quo tranſiens adveniſſet, videndi ejus voluntatem, vultusque lenitatem omnium generum vocibus proſequebantur, benemeritum & ſalutis datorem, ſolumque dignum Romanorum principem appellantes. Tota vero civitas veluti templum erat, ſertis atque odoribus plena. Cum vero vix per circumſtantem multitudinem in palatium venire potuiſſet, ipſe quidem

Veſpaſiano Romani obviam procedunt

Titus adventus ſui gratulatoria ſacra celebrat.

dem

dem penatibus diis adventus ſui gratulatoria ſacra celebravit. Vertunt autem ſe ad epulas turbæ, perque tribus & cognationes & vicinias convivia exercentes, Deo libabant, & ab eo precabantur ipſum Veſpaſianum quam plurimum temporis in Romano imperio perſeverare, & filium ejus, & qui ex his naſcerentur ſervari inexpugnabilem principatum. Urbs quidem Romana Veſpaſiano ita ſuſcepto, ſtatim maxima felicitate creſcebat. A. M. 4035. P. C. N. 73.

## CAPUT XXIII.

*Domitiani geſta contra Germanos & Gallos.*

ANte hæc vero tempora, quibus Veſpaſianus quidem apud Alexandriam erat, Titus vero Hieroſolymam obſidebat, magna pars Germanorum ad defectionem mota eſt: quibus etiam Gallorum proximi conſpirantes, magnam ſpem contulerant, quod etiam Romanorum dominio liberarentur. Germanos autem deficere velle, bellumque inferre, ſuſtulit primo natura bonis conſiliis vacua, parva ſpe appetens periculorum, deinde odium principum, quoniam ſolis ſciunt gentem ſuam vi coactam ſervire Romanis: nec non equidem maximam tempus eis fiduciam dedit. Nam cum viderent Romanum Imperium crebris Imperatorum mutationibus inteſtina ſeditione turbari, omnemque his ſubditam orbis terræ partem pendere ac nutare cognoſcerent, hoc ſibi optimum tempus ex illorum rebus adverſis atque diſcordiis oblatum eſſe putaverunt. Id autem conſilium dabant, & hac eos ſpe decipiebant, Claſſicus quidam & Civilis, ex eorum potentiſſimis: qui olim qui- Defectionis Germanorum & Gallorum ab Romanis cauſa.

A. M. 4035. P.C.N. 73. dem res novas cupiebant: occasione autem inducti, suam sententiam prodidere. Jamque alacriter affectæ multitudinis periculum facturi erant: verum maxima parte Germanorum defectionem pollicita, & cæteris fortasse non dissentientibus, veluti quadam divina providentia, Vespasianus ad Petilium Cerealem, qui pridem Germaniam rexerat, literas mittit, quibus eum consulem declaravit, jussitque ad Britannias administrandas proficisci. Igitur ille quo jussus erat abiens, audita rebellione Germanorum, eos jam congregatos aggressus magna clade affecit, depositaque amentia ad sobrietatem coegit. Sed etiam si ille ad ea loca non pervenisset, tamen haud multo post erant supplicia luituri. Nam ut primum defectionis eorum nuncius allatus est Romam, Domitianus Cæsar hoc audito, non sicut alter in illa ætate feciſſet (nam admodum adolescens erat) tantam rei magnitudinem suscipere non detrectavit: sed a patre habens ingenitam fortitudinem, & supra ætatem exercitatus, illico tendebat in Barbaros. Illi autem expeditionis fama perculsi, ei se permiserunt: lucrum hoc ex ea re maximum nacti, ut sine clade pristino jugo subjicerentur. Omnibus ergo circa Galliam ut oportuit ordinatis, ne facile rursus unquam turbarentur, Domitianus clarus atque insignis, ætatem superantibus factis, & patrium decus afferentibus, Romam regreditur. Cum supradicta vero Germanorum defectione, iisdem diebus etiam Scytharum convenit audacia. Nam qui appellantur Sarmatæ, maxima multitudine clam transgressi flumen Istrum, violenti atque sævissimi propter inopinatum impetum multos Romanorum, quos

Civilis Germanos ad sobrietatem cogit.

Domitianus Titi frater.

Scytharum & Sarmatarum impetus in Romanos.

in

in præſidiis offendere, interficiunt: & conſula- A. M.
rem legatum Fontejum Agrippam, qui fortiter 4035.
his obvius pugnaverat, occidunt: proximasque P.C.N.
regiones totas ferendo atque agendo, omniaque 73.
incendendo pervagabantur. Veſpaſianus autem hoc facto, & vaſtitate Mœſiæ cognita, Rubrium Gallum mittit pœnas de eis ſumpturum: a quo multi quidem in præliis trucidati ſunt: qui vero ſalvi eſſe potuere, cum timore domum refugere. Hoc autem bello magiſter militum finito, etiam futuri temporis cautioni conſuluit. Pluribus enim & majoribus præſidiis loca circumdedit, ut omnino Barbaris eſſet impoſſibilis tranſitus. In Mœſia quidem ea celeritate debellatum eſt.

## CAPUT XIV.

*De amne Sabbatico, & triumpho Veſpaſiani ac Titi celeberrimo.*

PRinceps vero Titus aliquamdiu quidem Beryti commorabatur, ita ut diximus: inde autem reverſus, & per omnes quas obiret Syriæ civitates magnificentiſſima celebrans ſpectacula, Judæorum captivis ad oſtentationem cladis eorum abutebatur. Conſpicit autem in itinere fluvium cognitione digniſſimum. Is fluit medius inter Arcas & Raphanæas Agrippæ regni civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cum ſit, quando fluit, plurimus, neque meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus a fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur: atque hunc ordinem ſemper eum obſervare pro certo com-

Titus per omnes Syriæ civitates magnificentiſſima ſpectacula celebrat.

Sabbaticus fluvius.

A. M. 4035. P.C.N. 73. pertum est. Unde etiam Sabbaticus appellatus est, a sacro Judæorum septimo die sic denominatus. Civitatis autem Antiochensium populus postquam Titum adventare cognovit, manere quidem intra mœnia præ gaudio non sustinebat: omnes autem obviam ei pergere properabant, & usque ad tricesimum vel eo amplius stadium progressi, non modo viri, sed etiam fœminæ cum pueris expectabant. Et cum appropinquantem vidissent, ex utroque viæ latere stantes dextras cum salutatione tendebant: multisque favoribus exultantes, cum ipso revertebantur. Crebro autem inter omnes alias laudes precabantur, ut Judæos expelleret civitate. Titus quidem nihil precibus istis indulsit, sed otiose quæ dicebantur audiebat. Incerti autem quid sentiret, quidve facturus esset, Judæi magno & atroci metu tenebantur. Nec enim commoratus est Antiochiæ Titus, sed continuo a Zeugma Euphratem versus iter contendit. Quo missi etiam ab Rege Parthorum Vologeso venere, auream ei ferentes coronam, quod Judæos vicisset. Eaque susceptа etiam convivium exhibuit regiis, atque ita Antiochiam remeavit. Senatu vero & populo Antiochensi multum petentibus, ut in theatrum veniret, ubi omnis eum multitudo præstolabatur, humanissime paruit. Rursus autem fortiter iisdem instantibus, & crebro postulantibus expelli civitate Judæos, ingeniose respondit, patriam eorum dicens, quo expellendi fuerant, interiisse, nullumque jam esse locum qui eos reciperet. Unde ad aliam petitionem sese convertunt Antiochenses, quod priorem impetrare non

Titi ad Antiochiam adventus.

Civium contra Judæos ad Titum preces.

non potuerunt. Æneas enim tabulas eum precabantur eximere, quibus inciſa eſſent privilegia Judæorum. Sed ne id quidem Titus annuit: verum in eodem ſtatu relictis omnibus, quæ habebant apud Antiochiam Judæi, ad Ægyptum inde diſceſſit. Iter autem agendo cum ad Hieroſolymam veniſſet, triſtemque ſolitudinem, quam videbat, antiquæ civitatis claritudini compararet, diſjectorum operum magnitudinem & veterem pulchritudinem recordatus, miſerabatur excidium civitatis, non ſicut alius feciſſet exultans, quod talem ac tantam funditus excidiſſet, verum multa imprecans ſeditionis autoribus, & qui hanc pœnam ei inferre coegere: ita certus erat, quod nunquam virtutem ſuam voluiſſet punitorum calamitate clareſcere. Ex magnis enim divitiis, non minima pars in ruinis adhuc inveniebatur. Quædam enim eruebant Romani, plura vero captivis indicantibus auferebant, aurum atque argentum, aliaque inſtrumenta pretioſiſſima, quæ domini propter incertam belli fortunam terræ condidere. Titus autem propoſitum iter ad Ægyptum tendens emenſa velociter ſolitudine, pervenit Alexandriam: decretoque ad Italiam navigare, cum ſe duæ legiones comitarentur, utramque unde venerant remiſit: quintam quidem in Mœſiam, quintam vero decimam in Pannoniam. Captivorum autem duces Simonem & Joannem, & alios numero ſeptingentos viros electos, tam magnitudine corporum, quam pulchritudine præſtantes, illico ad Italiam portari præcepit, cupiens eos in triumpho traducere. Peracta vero navigatione pro voto, ſimiliter quidem Roma in eo ſuſcipiendo erat affecta, & occurſus

A. M. 4036. P.C.N. 74.

Titus Hieroſolymæ excidium miſeratur.

Romani ex magnis divitiis non minimam partem in ruinis inveniunt.

Simonem & Joannem & alios, numero ſeptingentos viros, Titus ad Italiam portari præcipit.

ex-

A. M. 4036. P.C.N. 74. exhibuit ei, quos patri. Claritudinem vero Tito pater attulit, qui venit obviam, eumque fuscepit. Multitudini autem civium divinam quandam lætitiam fuggerebat, quod videbat in unum tres convenisse. Non multis autem diebus post, unum communem triumphum ob res gestas agere statuere, quamvis utrique senatus proprium decrevisset. Prædicto autem die, quo futura erat pompa victoriæ, nemo ex tam infinita civitatis multitudine domi remansit. Omnes autem cum exissent, loca ubi tantum stare possent occupaverant, quantus spectandis Imperatoribus modus sufficeret, concesso necessario transitu. Cuncta vero turba militari ante lucem per turmas atque ordines progressa cum rectoribus suis, & circa ostia constituta non palatii superioris, sed prope Isidis templum (ibi enim principes nocte illa quiescebant) prima jam aurora incipiente procedunt Vespasianus & Titus, lauro quidem coronati, amicti vero patria veste purpurea: & ad Octavianas ambulationes transeunt: ibi enim Senatus, & ducum proceres, & honorati equites, eorum præstolabantur adventum: tribunal autem ante porticus factum erat, sellæque eburneæ in eo præparatæ. Quo cum ascendissent, consederunt. Statimque eos militatis favor excepit, multis virtutem testimoniis prædicans. Illi autem inermes erant, in veste serica laureis coronati. Perceptis autem laudibus eorum Vespasianus, cum dicere adhuc vellent, silentii signum dedit. Magnaque omnium quiete facta, surrexit, & amictu magnam partem capitis adopertus, solennia vota celebravit: idemque Titus fecit. Perfectis autem votis, Vespasianus in commune omnes

Vestes triumphales Vespasiani & Titi.

nes breviter allocutus, milites quidem ad prandium, quod his ex more ab Imperatore parari solet, dimittit: ipse vero ad portam recedit, quæ ab eo quod per illam semper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi & cibum prius capiebant, & triumphalibus vestibus amicti, diis ad portam collocatis cæsa hostia, inter spectacula transeuntes triumphum ducebant, ut multitudini facilior præberetur aspectus. Pro merito autem narrari multitudo eorum spectaculorum & magnificentia non potest, in omnibus quæ quisque cogitaverit, vel artium factis, vel divitiarum opibus, vel naturæ novitate. Nam pene quæcunque hominibus qui usquam sunt fortunatis paulatim quæsita sunt, aliis alia mirabilia atque magnifica, hæc universa illa die Romani Imperii magnitudinem probavere. Etenim argenti aurique necnon eboris in omni specie operum multitudinem, non ut in pompa ferri cerneres, sed ut ita dixerim omnia fluere; & alias quidem vestes ex rarissimis generibus purpuræ portari, alias diligentissima pictura variatas arte Babylonia: gemmæ autem clarissimæ tam multæ, aliæ coronis aureis, aliæ aliis operibus inclusæ productæ sunt, ut appareret frustra nos earum usquam rerum esse aliquid suspicari. Ferebantur etiam simulacra, quæ illi Deos habent, & magnitudine mirabili, & arte non defunctorie facta: horumque nihil non ex pretiosa materia. Quin & animalium diversa genera producebantur, propriis ornamentis induta. Erat autem etiam, quæ singula portaret, magna hominum multitudo, purpureis vestibus atque inauratis ornata. Ipsi etiam, qui ad pompam fuerant ab alia turba discreti, præci-

A. M. 4036. P.C.N. 74.

Vota & prandium ante triumphum.

Triumphi magnificentia.

Vestes pretiosissimæ.

A. M. 4036. P.C.N. 74. pua & mirabili ornamentorum magnificentia culti erant. Insuper his, ne captivorum quidem vulgus inornatum videres, sed varietas & pulchritudo quidem vestium natam ex fatigatione corporum deformitatem oculis subtrahebat. Maxime autem stupori erat, pegmatum quæ portabantur fabricatio, pro cujus magnitudine timendum viribus portantium occurrentes putabant: multa enim in tertium nidum quartumque surgebant: & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabat: multis aurata veste circumdatis, cum aurum præterea factum atque ebur omnibus esset affixum. Multis autem imitationibus bellum aliter in alia divisum, certam sui faciem demonstrabat. Erat enim cernere vastari quidem fortunatissimam terram, totas vero interfici acies hostium: & alios fugere, alios captivos duci: murosque excellentes magnitudine machinis dirui, & castellorum excindi munimina: & populosarum civitatum mœnia disturbari, exercitumque intra muros infundi: cædisque omnia loca plena, & eorum qui manu resistere non poterant preces, ignemque templis immissum, ædiumque super dominos post multam vastationem eversiones: atque amnis tristitiam, defluentis non in arva culta, neque ad hominum vel pecorum potum, sed per terram ex omni parte flagrantem. Hæc enim Judæi bello passi sunt: ars autem & confectorum operum magnitudo, nescientibus adhuc facta tanquam præsentibus ostendebant. Erat autem per singula pegmata captæ civitatis dux, ita ut captus fuerat ordinatus. Multæ etiam naves sequebantur. Spolia vero alia quidem passim ferebantur: eminebant autem ea,

Pegmatum fabricatio.

quæ

quæ apud Hieroſolymam in templo reperta ſunt, menſa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum ſimiliter quidem auro factum, ſed opere commutato ab uſus noſtri conſuetudine: nam media quidem columna baſi hærebat, tenues autem ab ea cannulæ producebantur, formatæ ad ſimilitudinem fuſcinæ, ad ſummum quæque in lychni ſpeciem fabricatæ: erant autem numero ſeptem, ſeptimi diei, qui apud Judæos eſt, indicantes honorem. Poſt hæc autem portabatur lex Judæorum, noviſſima ſpoliorum. Deinde tranſibant plurimi victoriæ ſimulacra portantes: omnia ex auro & ex ebore facta. Poſt hæc Veſpaſianus prior ibat: & Titus deinde ſequebatur. Domitianus autem adequitabat, ipſe quoque ornatus pulchritudine, dignumque ſpectari exhibens equum. Pompæ autem finis fuit Capitolini Jovis templum: quo poſtquam ventum eſt, conſtitere. Erat autem vetus mos patrius, operiri donec ducis hoſtium mortem quiſpiam nunciaret. Is erat Simon Gioræ tunc inter captivos in pompa traductus: laqueo vero circumdatus per forum trahebatur, quo eum ſimul cæderent, qui ducebant. Lex autem Romanis eſt, ibi necare criminum reos morte damnatos. Poſtquam igitur eum finem vitæ habere nunciatum eſt, omniumque favor ſecutus eſt, tunc hoſtias inchoavere: hisque ſecundo per vota ſolennia omine peractis, in palatium receſſere. Et alios quidem epulis ipſi excepere, aliis autem omnibus domi conviviorum inſtructi erant apparatus. Hunc enim diem urbs Romana celebrabat, victoriæ quidem in hoſtes gratulatorium, finem vero malorum civilium & ipei bonæ pro felicitate principium. Poſt

A. M. 4036. P.C.N. 74.

Menſa aurea ponderis talenti magni.

Judæorum lex ſpoliorum noviſſima.

Simon Gioræ filius laqueo circumdatus per forum trahitur.

A. M. 4037. P.C.N. 75. triumphos vero, & Romani Imperii firmiſſimum ſtatum, Veſpaſianus Paci templum ædificari decrevit. Itaque mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperaret, effectum eſt. Magna enim divitiarum largitate uſus, inſuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornavit. Omnia namque in illud fanum collecta ac depoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio per totum orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur: quomodo aliud apud alios ſitum eſſet, videre cupientes. Hic autem repoſuit etiam quæ Judæorum fuerant inſtrumenta, his ſe magnifice ferens. Legem vero eorum, & penetralium vela purpurea in palatio condita ſervari præcepit.

Veſpaſianus Paci templum ædificat, de quo vide Herodianum lib. 1.

## CAPUT XXV.

*Herodium & Machærus a Baſſo capta.*

IN Judæam vero legatus miſſus Lucilius Baſſus, ſuſcepto a Cereali Vetiliano exercitu, caſtellum quidem Herodion cum præſidio deditione cepit. Poſt autem omni manu militari collecta, multi autem in partes diviſi erant, & legione decima bellum inferre Machærunti ſtatuit. Valde enim neceſſarium videbatur id excindi caſtellum, ne multos ſui munimine ad defectionem invitaret. Nam & ſalutis ſpem habitatoribus certam, & aggredientibus hæſitationem atque formidinem natura loci præſtare maxime poterat. Nam ipſum quidem quod muro cinctum eſt, ſaxoſus eſt collis, in proceram altitudinem ſurgens, & ob hoc etiam capi difficilis videtur: ſed ne vel accedi poſſet eo natura excogitarat, quæ vallibus eum ex omni parte

val-

vallaverat, quarum altitudo oculis comprehendi non poſſet: nec tranſire erat facile, nec aggeſtu ulla ratione compleri poſſibile. Nam ea, quæ ab occidente ſecat vallis, ſexaginta ſtadiis diſtenditur, unde Asphaltites lacus ei limitem facit: ex hoc vero tractu ipſe Machærus altiſſimo vertice ſupereminet. A ſeptentrione autem & meridie valles magnitudine quidem ſupradicta cingunt: ſimiliter vero ſunt inextricabiles ad oppugnationem: ejus vero vallis, quæ ab oriente eſt, altitudo non minor centum cubitis invenitur: monte vero ex adverſo Machærunti poſito terminatur. Ea loci natura perſpecta Rex Alexander, primus in eo caſtellum communivit, quod poſtea Gabinius bello cum Ariſtobulo geſto depoſuit. Herodi autem regnanti, omnibus locis dignior cura viſus eſt, & conſtructione tutiſſima, propter Arabum præcipue vicinitatem: namque opportune ſitus eſt, eorum fines proſpectans. Magno ergo locum muro amplexus ac turribus, civitatem illic fecit incolis, unde in arcem ipſam ferebat aſcenſus. Quin & circa ipſum verticem rurſus murum ædificaverat, turresque in angulis ſexagenorum cubitorum erexerat. In medio autem ambitu regiam ſtruxerat, magnitudine ſimul habitationum & pulchritudine locupletem. Multas vero ciſternas recipiendis aquis, abundeque ſuppeditandis, locis maxime idoneis fecerat: veluti cum natura certaret, ut quod illa ſitu loci expugnabile fecerat, ipſe manu ſtructis munitionibus ſuperaret. Inſuper enim ſagittarum multitudinem, machinarumque repoſuit: & omnem apparatum excogitavit, qui habitatoribus poſſet magnæ obſidionis præſtare contemptum.

A. M. 4037. P. C. N. 75.

Herodes Machæruntium magno muro ac turribus amplectitur.

Sagittarum machinarumque multitudo in arce.

A. M. 4037. P.C.N. 75. Erat autem in ipsa regia ruta mirabilis magnitudinis: a nulla enim ficu vel celsitudine vel magnitudine vincebatur. Ferebant autem eam ex Herodis temporibus perseveravisse: mansissetque ulterius profecto, sed ab Judæis, qui locum ceperant, excisa est. Vallis autem, qua civitas a parte septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur: quæ flammæ quidem assimilis est colore, circa vesperam vero veluti jubare fulgurans, accedentibus eamque evellere cupientibus facilis non est: sed tam diu refugit, nec prius manet, quam si quis urinam muliebrem vel menstruum sanguinem super eam fuderit: quinetiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo: qui talis est. Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terra sit conditum: deinde ab ea religant canem: illoque sequi eum a quo religatus est cupiente, radix quidem facile evellitur: canis vero continuo moritur, tanquam ejus vice a quo herba tollenda erat, traditus: nullus enim postea accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium est. Nam quæ vocantur dæmonia, pessimorum hominum spiritus, vivis immersa, eosque necantia quibus subventum non fuerit: hæc cito, etiam si tantummodo admoveatur ægrotantibus, abigit. Fluunt autem ex eo loco aquarum fontes etiam calidarum, multum inter se sapore diversi: Alii namque amari sunt, aliis nihil dulcedinis deest. Multi autem frigidæ aquæ ortus non solum in humilioribus locis fontes alternos habent: sed

Ruta mirabilis magnitudine.

Baaras radix quomodo evellenda.

Alius modus radicem hanc evellendi.

Aquarum calidarum fontes.

quod

quod amplius quis miretur, in proximo quæ- A. M.
dam ſpelunca cernitur, non quidem alte cava, 4037.
ſaxo autem imminente protecta: ſuper hoc ve- P.C.N.
luti duæ mammæ inter ſe paululum diſtantes 75.
eminent: & altera quidem frigidiſſimum fontem, altera calidiſſimum fundit: qui mixti lavacrum ſuaviſſimum præbent, multisque morbis ac vitiis ſalutare: maxime vero nervorum curationi conveniens: habetque idem locus metalla ſulfuris & aluminis. Baſſus autem contemplatus undique regionem, valle orientali repleta acceſſum parare ſtatuit: opusque inchoavit, properans aggerem quamplurimum extollere, facilemque per eum oppugnationem facere. Qui vero intus fuerant deprehenſi, ab externis ſegregati Judæi, illos quidem coegere, inane vulgus eſſe exiſtimantes, inferiorem obſervare civitatem, ac pericula priores excipere: ſuperius vero caſtellum ipſi occupatum tenebant, & propter munitionis firmitatem, & ut ſaluti ſuæ conſulerent. Impetraturos enim ſe veniam opinabantur, ſi locum tradidiſſent Romanis. Prius autem volebant ſpem declinandæ obſidionis experiendo convincere: ideoque alacri animo in dies ſingulos excurſus habebant, & cum his quos ſors obtuliſſet conſertis manibus, multi moriebantur, multosque Romanos interficiebant: ſemper autem utrisque ex tempore plus victoriæ captabatur: Judæis quidem, ſi incautiores aggrederentur: in aggere autem poſitis, ſi improviſum excurſum eorum bene ſepti armis exciperent. Sed non is erat finis obſidionis futurus. Res autem quædam fortuito geſta, inopinatam caſtelli tradendi neceſſitatem

Externi Judæi inferiorem civitatem occupant.

Judæorum cum Romanis conflictus.

A. M. 4037. P.C.N. 75.

tem Judæis impoſuit. Erat inter obſeſſos juvenis & audacia ferox, & manu ſtrenuus, Eleazarus nomine: is autem fuerat excurſibus nobilis, multos egredi, aggeſtumque prohibere cogitans, & in prœliis ſemper graviter Romanos afficiens: audaciaque ſua ſocios proſequens, impetum quidem facilem his, periculo autem vacuum diſceſſum efficiebat noviſſimus recedendo. Itaque diſcreta quodam die pugna, & utraque parte digreſſa: ipſe tanquam deſpiciens omnes, exiſtimans neminem tunc hoſtium prœlium exceptorum, extra portam remanſit: & in muro ſtantes alloquebatur, tota mente illos attendens. Hanc autem opportunitatem vidit quidam ex caſtris Romanorum Ægyptius, nomine Rufus: & quod nemo ſperaſſet, impetu facto cum ipſis eum armis repente correptum, cum hoc viſo, ſtantes in muro ſtupor teneret, in caſtra Romanorum traduxit. Poſtquam vero dux nudum præcepit extendi, & in aperto conſtitutum, ut ex civitate conſpiceretur, cœdi verberibus, vehementer Judæos confudit caſus juvenis, univerſaque civitas in fletu & queſtibus, unius viri clade perculſa. Id ubi Baſſus animadvertit, conſiliorum adverſus hoſtes hoc principium ſumpſit: eorumque miſerationem augere cupiens, quatenus coacti pro ejus ſalute caſtelli traditionem facerent, quod ſperavit adeptus eſt. Nam ipſe quidem, velut mox Eleazarum ſuſpenſurus, crucem defigi juſſit: ea vero conſpecta, major caſtellanos dolor invaſit, & ululando querebantur, intolerabilem eſſe calamitatem vociferantes. Tunc igitur Eleazarus eos orabat, ne vel ſe deſpicerent, mortem miſerrimam ſubiturum, ſibique ipſis ſalutem præberent, poſtquam jam

Eleazarus, Judæus audacia ferox, & manu ſtrenuus,

Eleazarus capitur, eumque dux nudum extendi, & verberibus cœdi præcipit.

Eleazari calamitas Judæos ad deditionem commovet

ſubacti omnes Romanorum viribus ac fortunæ concederent. Illi autem & ejus ſermone fracti, & quod multi intus pro eo precabantur (ex magna enim & numeroſa cognatione genus ducebat) & contra ingenium ſuum miſericordia victi ſunt: & quibusdam celeriter miſſis colloquebantur, caſtelli traditionem facere petentes, ac reddito ſibi Eleazaro, ſine metu dimitti. Cum autem his aſſenſus eſſet dux Romanorum, multitudo civitatis inferioris, inita ſeparatim cum Judæis cognita pactione, ipſi clam nocte aufugere ſtatuere. Cum vero portas aperuiſſent, ab his qui deditionem promiſerant ad Baſſum nuncius venit, ſive invidia ſalutis eorum, ſive formidine, ne eorum fugæ cauſam ipſi præſtarent. Sed fortiſſimi quidem fugientium, qui præceſſerant, evaſere: reliquorum autem viri quidem mille ſeptingenti perempti ſunt, mulierculæ vero & pueri in ſervitium ducti. Sponſiones autem cum his, qui caſtellum dedidere, habitas, Baſſus conſervandas eſſe ratus, & ipſos dimiſit, & Eleazarum reddidit. A. M. 4037. P.C.N. 75.

Judæorum 1700. ab Romanis perempti.

## CAPUT XXVI.

### *De Judæis a Baſſo interemptis, & Judæa divendita.*

HIs autem adminiſtratis, in ſaltum, qui appellatur Jardes, ducere properabat exercitum: multi enim illuc congregati eſſe nunciabantur, qui pridem tempore obſidionis, ex Hieroſolymis & Machærunte profugerant. Ergo cum ad locum veniſſet, neque falſum fuiſſe nuncium reperiſſet, primo quidem omnem locum cum equitibus cingit: ut ſi quis Judæorum co-

Jardes ſylva ab Romanis cincta.

A. M. 4037. P.C.N. 75. natus fuiſſet evadere, fugiendi per equites copiam non haberet: pedites autem ſylvam juſſit cædere, in quam confugerant. Hoc modo ad neceſſitatem adducti ſunt fortiter aliquid faciendi, velut ex audaci certamine fortaſſe fugam etiam reperirent. Itaque ſimul univerſi, & cum clamore impetu facto, in eos, a quibus cincti fuerant, irruunt. Illi autem fortiter excipiebant: multaque his audacia, illis contentione uſis, diu quidem prælium tractum eſt, non autem ſimilis evenit finis pugnæ certantibus. Nam Romanorum quidem XII. tantum contigit occumbere, neque multos ſauciari: Judæorum vero ex illo prælio nullus evaſit. Sed cum non eſſent pauciores tribus millibus, proſtrati ſunt omnes: eorumque dux Judas Iairi filius, de quo ſupra meminimus, qui ordini cuidam præpoſitus cum Hieroſolyma obſideretur, quibus demerſus fuerat cloacis, latenter effugit. Eodem vero tempore Cæſar etiam ad Liberium Maximum ſcripſit (erat autem procurator) ut omnem terram venderet Judæorum: nec enim civitatem in ea condidit, proprium ſervans ſibi eorum agrum. Solis autem octingentis militibus illic relictis locum dedit, quem incolerent, qui vocatur Ammaus: diſtat autem ab Hieroſolymis 30. ſtadiis. Stipendium vero, ubicunque degerent, Judæis indixit: binasque drachmas ſingulis annis deferre in Capitolium juſſit; ita ut antehac Hieroſolymorum templo pendebant. Et res quidem Judæorum illo tempore hunc ſtatum habebant.

Judæorum 3000. proſtrati.

Stipendium Cæſar Judæis indicit.

CA-

## CAPUT XXVII.

A. M. 4037. P.C.N. 75.

*De clade Antiochi Regis, & eruptione Alanorum in Armeniam.*

JAm vero quarto anno Veſpaſiano adminiſtrante imperium, contigit Comagenes Regem Antiochum in maximas clades cum tota domo incurrere, ex cauſa hujusmodi. Ceſennius Petus, qui tunc Syriam adminiſtrabat, ſive re vera, ſeu propter inimicitias Antiochi (certum non valde patefactum eſt) literas ad Cæſarem miſit, Antiochum dicens deficere ab Romanis cum Epiphane filio decreviſſe: pactis habitis cum Rege Parthorum: proptereaque debere illos ante capere: ne ſi priores novas res adorti eſſent, totum Romanorum Imperium bello perturbarent. Non erat autem Cæſar hujusmodi nuncium ad ſe perlatum neglecturus. Nam vicinitas Regum, majore negotium providentia dignum eſſe faciebat. Samoſata enim Comagenes maxima civitas juxta Euphratem ſita eſt, ut eſſet Parthis (eo namque id cogitavere) facillimus tranſitus, tutum autem receptaculum. Fide igitur habita, & poteſtate ſibi permiſſa, ut ageret, quod expedire videretur, negligendum non putavit. Subito tamen Antiocho ejusque ſociis nihil opinantibus, in Comagenem ingreſſus eſt, ex legionibus quidem ſextam ducens, & inſuper quasdam cohortes alasque equitum: habebat autem auxilio Reges, Chalcidicæ Ariſtobulum, Emeſæque Sohemum. Introitus autem illis erat ſine certamine, quod nemo indigenarum manus volebat opponere. Antiochus enim inſperato perculſus nuncio, bellum quidem contra Romanos nec cogitatione

Antiochum Ceſennius Petus Syriæ adminiſtrator coram Cæſare accuſat.

Ceſennius Antiochiã ſubito invadit.

A. M. 4037. P. C. N. 75. concepit. Decrevit autem toto regno in quo erat ſtatu relicto, cum conjuge ac liberis egredi, hoc ſe Romanis purum ab ea ſuſpicione, quæ ſibi ingereretur, probatum eſſe ratus: progreſſusque de civitate centum triginta propemodum ſtadiis, in campo tabernaculum ponit. Petus autem in Samoſatam, qui eam capeſſerent, mittit, & per eos civitatem tenebat: ipſe vero cum alio milite in Antiochum ire tendebat. Non tamen Rex vel ipſa neceſſitate adductus eſt adverſum Romanos aliquid bellicum gerere: ſed fortunam ſuam queſtus, quidvis pati ſuſtinebat: adoleſcentibus autem bellique peritis, viique corporis præſtantibus filiis ejus non erat facile in calamitate ſine pugna durare. Itaque ad virtutem ſe conferunt Epiphanes & Callinicus. Vehementi autem pugna per totam diem habita, inſigni fortitudine demonſtrati ſunt: nullaque parte ſuarum virium diminuta diſcedunt. Antiocho vero neque pugna hoc modo peracta manere domi tolerabile videbatur: ſed abducta conjuge cum filiabus in Ciliciam fugit, atque hoc facto militum ſuorum animos fregit: nam veluti deſperato ab eo regno defecere, & ad Romanos ſe transtulere, omniumque erat deſperatio. Ergo priusquam penitus deſtituerentur auxiliis, Epiphani cum cæteris ſervare ſe ex hoſtibus erat neceſſarium: fiuntque omnes equites decem, qui cum his una transgreſſi ſunt flumen Euphratem: hinc jam ſine metu profecti, cum ad Vologeſem Parthorum Regem veniſſent, non quaſi profugi deſpecti ſunt: ſed acſi fortunam priſtinam retinerent, omni honore dignati ſunt: Antiochum vero, ubi Tarſum Ciliciæ venit, miſſo Centurione Petus vinctum Ro-

Antiochus prius regno cum conjuge ac liberis egredi, quam cum Romanis pugnare decrevit.

Antiochus cum conjuge & filiabus in Ciliciam fugit.

Ephiphanis ad Vologeſem Parthorum Regem fuga.

Antiochus capitur.

Romam transmiſit. Veſpaſianus autem ita Regem ad ſe deduci non paſſus eſt: dignius eſſe ratus, veteris amicitiæ habere rationem, quam belli occaſione inexorabilem iracundiam ſervare. Itaque jubet ei iter agenti auferri vincula, intermiſſaque interim profectione Romam, apud Lacedæmonem degere: magnos vero ei pecuniæ reditus præbet, ut non modo copioſe, ſed etiam regie victum haberet. His Epiphanes & cæteri cognitis, qui patri ante metuebant, magna cura & inextricabili animos relaxarunt, & ipſi quoque ſpem reconciliandi cum Cæſare concepere. Cum autem etiam Vologeſes de his ſcripſiſſet ad Cæſarem (nec enim quamvis feliciter agerent, extra Romanum vivere patiebantur imperium) & cum Cæſar his manſuete facultatem dediſſet, Romam venerunt: patre autem ad eos ex Lacedæmone ſtatim advecto, cum omnis honor eis haberetur, ibi manſere. Alanorum autem natio, quod quidem Scythæ ſint, juxta flumen Tanain & Mæotides paludes ſedes habentes, jam quodam loco memoravimus. His vero temporibus inito conſilio, ut terram Mediam, & ulterius prædandi cauſa pervaderent, cum Rege Hyrcanorum colloquuntur: namque is eſt illius tranſitus dominus: quem Rex Alexander ita fecerat, ut portis ferreis clauderetur: Aditu autem ſibi præbito, univerſi nihil ſuſpicantibus Medis incumbunt: eorumque fines populoſos, omnigenumque pecorum plenos diripiebant, cum reſiſtere nullus auderet. Nam qui regnum ejus terræ obtinebat Pacorus, metu perculſus in difficiliora loca refugiens, cæteris quidem bonis omnibus ceſſerat: vix autem ab illis conjugem ac concubinas ſuas captas,

A. M. 4037. P.C.N. 75.

Antiochus cum Cæſare reconciliatur.

Alani Mediam terram prædandi cauſa pervadunt.

A. M. 4037. P.C.N. 75. Armenia vastatur.

ptas, datis centum talentis redemerat. Summa ergo facultate sine pugna prædabundi, & usque ad Armeniam vastantes omnia processere. Ejus autem Tyridates Rex erat. Qui cum his obvius bello conflixisset, non multum abfuit quin vivus in illa acie caperetur. Procul enim quidam misso eum laqueo circumdatum tracturus fuerat, nisi celeriter gladio rupisset laqueum, atque ita fugisset. Illi autem pugna multo magis efferati, terram quidem depopulati sunt: magnam vero hominum multitudinem, aliamque ducentes prædam ex utroque regno ad sua domicilia rediere.

## A. M. 4038. P.C.N. CAPUT XXVIII.

*Excidium Massadæ castelli munitissimi.*

76. APud Judæam vero mortuo Basso, Flavius Silua in administratione succedit: & aliam quidem terram bello subactam videns, unum adhuc rebelle superesse castellum, omni quæ in illis locis habebatur manu collecta, adversus id militem movit. Nomen est autem castello Massada. Princeps vero sicariorum, a quibus fuerat occupatum, erat vir præpotens Eleazarus, ex origine Judæ, qui non paucis Judæis persuaserat, ut ante diximus, ne professionem facerent, quando censor Cyrenius in Judæam missus est. Tunc enim sicarii conspiraverunt in eos, qui Romanis dicto audientes esse vellent: omnique modo his quasi hostibus utebantur, diripiendo quidem & abigendo eorum bona, ignem vero domibus injiciendo. Nihil enim illos ab alienigenis differre dicebant, qui pugna etiam petendam Judæorum libertatem tanta ignavia prodi-

dis-

dissent: magisque se optare sub Romanis servitium professi essent. Erat autem id plane causatio, & crudelitatis atque avaritiæ dicebatur obtentu: manifestum autem rebus effectum est. Nam iidem illi & defectionis socii fuerunt, & bellum cum Romanis communiter susceperе. Causa vero pejor illorum in eos facta est: & cum mentita prior eorum refelleretur occasio, pejus tractabant eos, qui nequitiæ suæ justis assertionibus exprobrarent. Fuit enim quodammodo illud tempus apud Judæos omnium generum malitiæ fœcundissimum: ut nullum opus intermitteretur infectum: nec si quis excogitando fingere voluisset, haberet quo magis novum aliquid inveniret. Ita & privatim & communiter omnes unum erant, & exsuperare alium alius tam impietate, quam iniquitate in proximos certabant: potentes quidem multitudinem male tractando, multitudo vero ad interitum potentium properando. Illis autem erat dominandi cupiditas: his autem vim faciendi, bonaque locupletum diripiendi. Primi quidem sicarii fuere iniquitatis in propinquos & crudelitatis autores, nullo neque verbo indicto ad injuriam, neque facto intentato ad exitium eorum, quibus insidiarentur, penitus prætermisso. Verum & hos Joannes moderatiores esse demonstravit. Non solum enim omnes interficiebat, qui necessaria & profutura suaderent, tanquam inimicissimos maxime cives ejusmodi impetens: sed etiam patriam malis plurimis cumulavit: qualia facturus fuerat, qui Deum quoque jam esset ausus impietate contemnere. Nam & mensa nefaria vescebatur, & legitimam patriamque exterminaverat castimoniam: ut jam sit minime

A. M. 4038. P.C.N. 76.

Tempus apud Judæos omnium generum malitiæ fœcundissimum.

Joannes Giscala.

A. M. 4038. P.C.N. 76. Simon, Gioræ filius.

me mirum, ſi manſuetudinis communionem minime ſervabat hominibus, qui Dei pietatem furore contempſerat. Rurſus Simon Gioræ, quid mali non commiſit, quave liberorum corporum injuria temperavit, qui eum creavere tyrannum? Quæ vero eos amicitia, quæve cognatio ad quotidianas cædes non ferociores effecit? namque alienos quidem male tractare, inertis nequitiæ opus eſſe arbitrabantur: clariſſimam vero gloriam parere crudelitatem in familiariſſimos exiſtimabant. Horum furoris æmuli, etiam Idumæi fuere: illi enim ſceleratiſſimi peremptis Pontificibus, ne qua pars conſervaretur pietatis in Deum, totum quod ex civitatis facie ſupererat, abſcidere, ſummamque per omnia injuſtitiam induxerunt: in qua illud hominum genus, qui Zelotæ appellati ſunt, viguit: qui nomen factis verum probaverunt. Omne enim malitiæ facinus æmulati ſunt, nullo inæmulato, quod ante commiſſum memoria tradidit, prætermiſſo; quamvis nomen ſibi ex bonorum æmulatione impoſuiſſent: qui eos quos læderent, propter efferam ſui naturam cavillando fallebant, qui malorum quæ maxima eſſent, bona ducebant. Itaque debitum vitæ finem invenere, merita illis omnibus pœna Dei voluntate decreta. Cuncta enim quæ natura hominis poſſet ferre ſupplicia, in eos usque ad extremum vitæ terminum congeſta ſunt, quæ variis perempti cruciatibus pertulere. Fortaſſe dixerit aliquis minora eos quam commiſere perpeſſos, verum qua tandem digna tantis ſceleribus pœna affici poterant? De illis autem, qui in eorum crudelitatem inciderunt, non eſt hujus temporis pro merito conqueri. Rurſum

Idumæi.

Zelotæ.

Debitus vitæ finis Judæorum

igi-

igitur ad eam narrationis partem redeo, unde digreſſus ſum. Venit enim dux Romanorum contra Eleazarum, & qui cum eo Maſſadam tenebant, ſicarios, exercitum ducens: & fines quidem ſtatim omnes obtinuit, præſidiis ubique locis opportuniſſimis collocatis: caſtellum autem muro circumdedit, ne quis obſeſſorum fugiendi facultatem haberet, utque cuſtodes perſeverarent: ipſe vero caſtris locum occupat, ad obſidionem quidem idoneum, quem delegerat, qua parte caſtelli rupes monti proximo applicabantur, cæterum difficilem ad copias utenſilium. Non ſolum enim commeatus ex longinquo, & cum labore Judæorum maximo portabantur, quibus hæc fuerat cura mandata, verumetiam potus aliunde in caſtra ducebatur: quoniam in eo loco nullus fons proximus naſcebatur. His autem diſpoſitis, Silua obſidionem aggreſſus eſt, artis ac laboris egentem, propter caſtelli munitionem, cujus natura hujusmodi eſt: Saxum gyro non exiguum, & excelſum longitudine, undique abruptis atque altis vallibus cingitur, inviſibili ſuper fundo habens ſcopulos: ipſæque omnium ſunt animalium greſſibus inacceſſæ, niſi quod duobus modis idem ſaxum in difficilem explicatur aſcenſum. Eſt autem unum iter ab lacu Asphaltite ad ſolis ortum, & alterum ab occidente facilius ambulari. Vocatur autem unum coluber, ex anguſtia crebrisque flexibus capta ſimilitudine. Quæ enim prominet rupes, frangitur, ac ſæpe in ſe revertens, paulatim rurſum producitur: vixque illo itinere gradiens promovet pedem: namque mutanti veſtigium, neceſſe eſt ab altero pede niti. Eſt autem certa pernicies, ſi

A. M. 4038. P.C.N. 76.

Silua Dux Romanorum Maſſadam obſidet.

Maſſadæ ſitus.

Iter per ſaxum coluber dictum.

A. M 4038. P. C. N. 76. quis labatur: altitudo enim rupium utrinque dehiſcit, ut quæ horrore quemvis terrere audaciſſimum poſſit. Per ejusmodi viam cum XX. ſtadiis aſcenderis, quod reſtat verticis eſt non in acutum finem coacti, ſed ut habeat in ſummo planitiem. In hac primus quidem Jonathas Pontifex caſtellum ædificavit, & appellavit Maſſadam. Poſt autem Herodi magno ſtudio fuit loci illius ſtructio. Nam & murum per omnem ejus gyrum erexit, ſtadiorum ſpatio ſeptem, e candido lapide factum, & duodecim altum, latumque octo cubitis: & viginti ſeptem turres quinquagenorum cubitorum in eo ſtabant: ex quibus aditus erant in ædes circa omnem murum intus ædificatas. Rex enim verticem, quod fœcundus omnique planitie mollior eſſet, culturæ deſtinaverat: ut ſi quando externorum alimentorum penuria contigiſſet, ne hac quidem laborarent, qui ſalutem ſuam caſtello crediſſent. Quin & regiam ſibi ædificaverat, ab occidentalis partis aſcenſu, intra mœnia quidem arcis poſitam, vergentem autem ad ſeptentrionem: regiæ vero murus erat magnus, ac firmiſſimas quatuor celſitudine ſexagenorum cubitorum in angulis turres habebat. Membrorum autem intus, & porticuum, itemque balnearum varia erat & ſumptuoſa conſtructio, columnis quidem e ſingularibus ſaxis undique ſubſtitutis, parietibus autem membrisque ſolida compage lapidum variatis. Ad ſingula vero habitacula, & in ſummo, & circa regiam, & ante turres multos magnosque puteos in ſcopulis exciderat, cuſtodes aquarum: tantam molitus abundantiam, quantam qui fontibus uterentur haberent. Foſſæ vero iter ex regia in arcem

Vertex fœcundus, omnique planitie mollior.

Regia Herodis.

ſum-

ſummam ducebant, quas foris nemo cernebat. Sed ne manifeſtæ quidem viæ facilem ſui uſum præbere hoſtibus poterant. Nam orientalis quidem via natura eſt inacceſſa, ut ſupra memoravimus. Occidentalem vero, magna in anguſtia poſita turri concluſit, quæ non minore mille cubitorum ſpatio ab arce diſtaret, quam neque tranſire poſſe, neque capi facile videbatur. Inextricabilis autem, quamvis licenter ambulantibus, fuerat fabricata. Ita quidem adverſus hoſtiles impetus natura ſimul & manu caſtellum erat communitum. Intus autem repoſiti apparatus, magis & diuturnitatem & opulentiam juvere: nam & frumentum multum erat conditum, & quod in longum tempus ſufficere poſſet: vinumque multum & oleum: inſuper autem cujusque leguminis fructus, & palmulæ coacervatæ. Cunctaque reperit Eleazarus, caſtello per dolum cum ſicariis occupato, matura, nihilque recens depoſitis deteriora: quanquam fere ex quo apparata ſunt, ad excidium a Romanis illatum, centum annorum tempus agebatur. Quinetiam Romani fructuum reliquias incorruptas offendere. Siquis autem cauſam diuturnitatis auram eſſe exiſtimet, non erraverit, quod arcis altitudine ab omni terrena ac fœculenta materia ſit remota. Inventa eſt autem omnigenum quoque armorum multitudo, ab Rege condita, quæ decem millibus virorum ſufficerent, ferrumque infectum, necnon æris & plumbi materia: quippe ut magnis de cauſis factum crederes apparatum. Ajunt enim Herodem idipſum caſtellum ſibi ad refugium paraviſſe, duplex periculum ſuſpicantem: unum quidem ab Judæorum populo, ne ſe depoſito, illos

A. M. 4038. P. C. N. 76.

Turris verſus occidentem extructa.

In caſtello magna commeatus copia.

Fructus ad centum annos incorrupti.

Herodes duplex periculum ſuſpicans, caſtellum ſibi ad refugium paravit.

A. M. 4038. P.C.N. 76. illos qui antea Reges fuerant, ad Principatum reduceret. Alterum vero majus atque atrocius, ab Regina Ægypti Cleopatra. Hæc enim ſuam ſententiam non celabat, ſed cum Antonio ſæpe verba faciebat, poſtulans Herodem interfici, ſibi autem obſecrans regnum Judæorum donari. Et magis quis miraretur, nondum ejus imperio Antonium paruiſſe, male ejus amore mancipatum, quam non donaturum ſperaſſet. Propter ejusmodi metus Herodes conditam Maſſadam, extremum belli contra Judæos Romanis opus reliquit. Nam quia foris jam locum omnem muro cinxerat dux Romanorum, ſicut ſupra diximus, ac ne quis effugeret diligentiſſime procuraverat: incipit oppugnationem, uno tantum loco reperto, qui aggerum jactum poſſet excipere. Nam poſt eam turrim, quæ iter ab occidente, quod ad regiam ſummumque montem duceret, præcludebat, erat quædam continentia ſaxi vaſtior latitudine, multumque porrecta: celſitudine autem Maſſadæ trecentis cubitis inferior, quam Leucen appellabant. Hanc igitur Silua ut aſcendit ac tenuit, aggerem apportare militibus juſſit: illis autem alacri animo & magna manu operantibus, ſolidus ad ducentos cubitos erectus eſt tumulus. Verum neque firma, neque ſufficiens machinis ferendis hæc menſura videbatur: ſed ſuper eum tribunal, conſtructis ſaxis ingentibus factum eſt, altum itemque latum cubitis L. Erat autem & aliarum machinarum fabrica illis aſſimilis, quas primo quidem Veſpaſianus ad oppugnationes, poſtea vero Titus excogitaverat: & turris ſexaginta cubitorum effecta eſt, tota ferro conſepta, unde multis baliſtarum tormentorum jaculis Romani cito

Circa Maſſadam unus tantum locus, qui aggerum jactum excipere poteſt.

eos

eos repulere, qui de muro pugnabant, & caput exerere prohibuere. Simul autem ingenti etiam ariete fabricato, Silua crebro murum pulsari jubet: ac vix quidem tamen aliquam ejus dejicit partem interruptam. Cito autem prævenere fabricarii muro intus altero constituto, qui ne machinis quidem simile aliquid pateretur: mollis enim adhuc erat, & impetus laxare violentiam poterat, hoc modo constructus. Trabes proceritate magnas, & qua sectæ sunt continentes composuere: earum autem ordines erant duo similes, tantumque distantes quanta esset muri latitudo: & inter eos ambos replebant aggere spatium: ne vero crescente cumulo terra defluueret, aliis transversis trabibus quas in longitudinem posuerant, colligabant. Erat ergo illis opus quidem ædificio simile: sed quod cedenti inferebantur machinarum ictus evanescebant, lutoque subsidente strictiorem fabricam faciebant. Hoc ubi Silua consideravit, igni magis murum captum iri putans, multas quidem ardentes faces militibus intro jaculari præcepit: murus autem, quippe ut magna ex parte lignis constructus, ignem cito comprehendit: & usque ad imum sui laxitate calefactus, ingenti flamma colluxit. Incipiente quidem adhuc incendio, spirans aquilo Romanis erat horribilis: avertens enim desuper flammam in eos abigebat, & pene machinas quasi jam conflagraturas desperaverant: deinde flatu mutato, veluti divina providentia excitatus auster, multa vi in adversum eum murum repulit: jamque totus ardebat ex alto. Romani quidem cum Dei uterentur auxilio, ad castra læti digrediebantur, decreto hostes luce aggredi, & nocte vigilias accu-

A. M. 4038. P. C. N. 76.

Ingenti ariete fabricato, Silua crebro murum pulsari jubet.

Ardentes faces in murum jaculantur

Aquilo avertens flammam in Romanos abigit.

A. M. 4038. P.C.N. 76.

ratiores facere, ne quis eorum clam ſubterfugeret. Sed neque ipſe Eleazarus de fuga cogitabat, neque alii cuiquam permiſſurus erat ut faceret. Videns autem murum igne conſumptum, alium vero nullum ſalutis modum neque virtutis excogitans: ſed his, quæ Romani in ſe liberosque ſuos & conjuges facturi eſſent, ſi viciſſent, ante oculos poſitis, de omnium morte conſilium cepit: idque ex præſentibus fortiſſimum ratus, validioris animi ſociis vesperi congregatis, talibus eos verbis ad facinus invitabat.

Eleazari ad ſocios oratio.

Cum olim vobis decretum ſit, viri fortes, neque Romanis, neque cuiquam alii ſervire, niſi Deo: is enim ſolus eſt verus & juſtus dominus hominum: ecce nunc tempus adeſt, quod factis veſtros probare animos jubeat. Ne igitur nos dehoneſtemus, ante quidem ſervitutem nec ſine periculo paſſi, nunc autem cum ſervitute intolerabiles pœnas ſubituri: ſi vivos in Romanorum poteſtatem venire contingat: primi enim omnium ab his defecimus, & noviſſimi cum his bellum gerimus. Puto autem & hanc nobis a Deo gratiam datam, ut bene ac libere poſſimus mori, quod aliis non evenit præter ſpem ſuperatis. Nobis autem certum eſt, orto die futurum excidium. Libera eſt autem ſtrenua mortis conditio cum affectibus: nec enim prohibere id hoſtes poſſunt, qui profecto nos optant vivos abducere, neque nos illos jam poſſumus ſuperare pugnando. Nam fortaſſe quidem ab initio ſtatim oportuit, quando libertatem defendere cupientibus omnia & a nobisipſis acerba, pejoraque ab hoſtibus eveniebant, de Dei voluntate conjicere, & ſcire, quod amica ei quondam Judæorum natio damnata eſſet interitu: manens enim propitius, vel ſaltem nobis leviter infenſus,

Eleazarus iram Dei in populum Judaicum fatetur.

ſus, nunquam tantorum quidem hominum perniciem neglexiſſet: ſacratiſſimam vero urbem ſuam igni hoſtium excidioque prodidiſſet. Nos autem ſoli ſcilicet ex omni genere Judæorum ſperavimus ſervata libertate ſuperare, tanquam nil in Deum deliquiſſemus, nulliusque culpæ participes fuiſſemus, qui alios quoque docuimus. Itaque videtis quemadmodum nos vana expectaſſe redarguit, fortiore nobis ſperatis rebus malorum neceſſitate illata. Nec enim quicquam nobis caſtelli natura inexpugnabilis profuit ad ſalutem: ſed & alimentorum copiam, & armorum multitudinem, aliumque habentes abundantiſſimum apparatum, ipſo Deo manifeſtiſſime auferente ſpem ſalutis perdidimus. Ignis enim qui ferebatur in hoſtes, in ædificatum a nobis murum non ſponte reverſus eſt. Sed hæc multorum ira ſunt criminum, qui furore capti contra gentiles auſi ſumus: pro quibus quæſo ne Romanis invictiſſimis pœnas, ſed per nos ipſos Deo præſtemus: iſtæ autem illis moderatiores ſunt: morientur enim conjuges injuria vacuæ, liberi ſervitutis expertes. Poſt illos autem ipſi nobis honeſtam invicem gratiam præbeamus, libertate ſervata optima ſepultura. Prius tamen & pecunias & caſtellum igne exuramus. Mœrebunt enim Romani, certe ſcio, ſi neque corpora noſtra tenuerint, compendioque caruerint. Alimenta ſola relinquamus: hæc enim nobis erunt teſtimonio mortuis, quod non penuria victi ſumus: ſed ita ut ab initio ſtatueramus, mortem ſervituti prætulimus. Hæc dicebat Eleazarus: ſed non in eundem modum præſentium ſententiæ congruebant: ſed alii quidem ei obedire properabant, & quaſi voluptate re-

A. M. 4038. P.C.N. 76.

Pœna ob. minum, quæ furore capti Judæi contra gentiles auſi fuerant.

Libertate ſervata optima ſepultura.

A. M. 4038. P.C.N. 76. replebantur, pulchram eſſe mortem exiſtimantes. Qui vero molliores erant, conjugum ac familiarum ſuarum miſericordia, vel etiam proprius quemque apertiſſimus deterrebat interitus, aliusque alium intuens, contrarium voluntatis ſuæ motum lachrymis deſignabant. Quos cum vidiſſet Eleazarus formidare, ac magnitudinem conſilii animis frangi, pertimuit, ne etiam eos, qui fortiter dicta perceperunt, effœminarent flentes ipſi ac deplorantes. Ergo exhortationem non intermiſit: ſed erectior, multoque repletus ſpiritu, clariorem de immortalitate animæ orationem incipit: magnaque uſus exclamatione lachrymantes attentius aſpectans: Plurimum, inquit, opinione deceptus ſum: qui putarem viros fortes pro libertate certantes, mori bene malle, quam vivere. Vos autem ne cuilibet quidem homini quicquam neque audacia neque virtute præſtatis, qui etiam magna mala effugituri, mortem timetis: cum oporteret vos ſuper hoc neque cunctari, neque expectare monitorem. Olim enim & a primo ſenſu nos erudire ſacræ patriæ orationes, majorum quoque noſtrorum factis & animis confirmantibus, perſeverabant: quod vivere hominis eſt, non mori, calamitas. Nam mors quidem libertatem animis præſtans, ad proprium purumque locum eas dimittit, ab omni clade futuras intactas. Donec autem mortali corpore vinctæ ſunt, unaque malis ejus implentur, quod veriſimile dicitur, mortuæ ſunt. Divino enim cum mortali ſocietas turpis eſt. Multum quidem poteſt anima juncta cum corpore: inſtrumentum enim facit ſuum, latenter id movens, & ultra mortalem naturam geſtis producens: Verum

Eleazari de immortalitate animæ oratio.

Anima mortali corpore vincta.

Vinus animæ.

tamen cum pondere, quo in terram detrahitur, quodque ab ea pendet, absoluta, proprium locum receperit, tunc beatam & undique liberam participat fortitudinem: humanis oculis, ut ipse Deus invisibilis manens: nec enim cum est in corpore, conspicitur. Nam & accedit occulta, neque rursus cum recedit videtur, unam quidem ipsa habens incorruptam naturam, corpori autem causam præbens mutationis. Nam quod anima attigerit, hoc vivit atque viget: unde vero digressa fuerit, hoc marcidum moritur: tantum immortalitatis ei superat. Et hujus orationis argumentum vobis sit somnus: in quo in se collectæ animæ, nusquam eas distrahente corpore, jucundissimam quietem agunt: cum Deo vero pro cognatione degentes, ubique adsunt, ac multa futura prædicunt. Cur igitur mortem timere conveniat, qui somni diligimus quietem? quemadmodum autem non sit dementissimum, brevitatem vitæ sequentes, sibimet invidere perpetuam? Oportebat quidem nos domestica institutione meditatos, aliis esse exemplo promptæ voluntatis ad mortem. Attamen si ab alienigenis etiam rei fides petenda est, Indorum videamus sapientiæ professores. Illi enim cum sint boni viri, vitæ quidem tempus, quasi quoddam necessarium naturæ munus, inviti sustinent: properant autem animas corporibus solvere, nulloque urgente neque exagitante malo, propter immortalis conversationis desiderium, aliis quidem prædicunt se esse abituros, nec est, qui prohibeat, quisquam, sed omnes fortunatissimos appellantes eos, ad familiares suos mandata mittunt: ita certam veramque animis esse inter se consuetudinem credide-

A. M. 4038. P.C.N. 76.

Somnus immortalitatis animæ argumentum.

Indorum sapientiæ professores seipsos concremant.

A. M. 4038. P.C.N. 76. re: ipſi autem cum mandata perceperint, igni traditis corporibus, ut immaculata puraque anima ſecernatur, laudati moriuntur. Facilius enim ad mortem illos amiciſſimi proſequuntur, quam exterorum hominum quisquam ſuos cives, in longinquam peregrinationem ituros. Et ſe quidem ipſos deflent: illos autem beatos dicunt, quod immortalitatis ordinem jam recipiant. Non ergo nos pudebit, ſi deterius Indis ſapiamus, propriaque ignavia leges patrias, quæ omnibus hominibus æmulandæ videntur, inhoneſte deſpiciamus? quamquam & ſi contraria nos a principio inſtituiſſet eruditio, quod ſummum bonum eſt hominibus vivere, mors autem calamitas: attamen tempus nos adhortatur eam bono animo & facile tolerare, Dei voluntate & neceſſario morituros. Olim enim quantum apparet, contra omne Judæorum genus hoc decretum poſuit Deus, ut vita careremus, qui ea non eramus, quemadmodum oportebat, uſuri. Non auſim enim nobismetipſis aſcribere, neque Romanis gratificari, quod nos omnes eorum bellum abſumpſerit. Non enim viribus illorum hæc accidere: ſed cauſa fortior interveniens, illis præſtitit, ut vincere viderentur. Quibus enim armis Romanorum perempti ſunt, qui Cæſaream incolebant Judæi? ac ne defecturos quidem ab illis, dum diem ſeptimum celebrarent, aggreſſa Cæſarienſium multitudo, neque repugnantes, cum conjugibus ac liberis mactaverunt: nec vel ipſos erubuere Romanos, qui nos tantummodo hoſtes, quod defeceramus, putabant. Sed dicet aliquis, Cæſarienſibus ſemper cum ſuæ civitatis Judæis fuiſſe diſcordiam, tempusque nactos vetus odium exſaturaſſe: quid

Adhortatio ad contemnendam mortem, a tempore & rei ſtatu deſumpta.

Exémplum ab Judæis Cæſaream interfectis petitum.

Calamitas Judæorum Scythopoli

ergo

ergo de Scythopolitanis dicemus? Nobiſcum enim illi propter Græcos bellum gerere auſi ſunt, ac non cum propinquis noſtris Romanos ulciſci. Multum igitur his fides illorum ac benevolentia profuit: ſiquidem ab ipſis cum totis familiis acerbiſſime trucidati ſunt, ac pro auxiliis gratias ei reddidere: nam quæ illos a nobis pati prohibuere, hæc paſſi ſunt, velut ea ipſi committere voluiſſent. Longum fiet, ſi velim nunc ſeparatim de ſingulis dicere. Noſtis enim, quod Syriæ civitatum nulla eſt, quæ non Judæos apud ſe habitantes occiderit, nobis quam Romanos plus inimicos. Ubi etiam Damaſceni, cum ne cauſam quidem probabilem confingere potuiſſent, civitatem ſuam cæde nefaria replevere, octodecim millibus Judæorum cum conjugibus ac familiis jugulatis. Eorum autem multitudinem plagis in Ægypto peremptorum 60. millium numerum audiebamus excedere. Illi quidem fortaſſe in aliena terra, cum nullum inveniſſent hoſtibus adverſarium, ita ſunt mortui. At omnibus qui domi cum Romanis bellum ſuſcepere, nihil deerat eorum, quæ ſpem totam poſſent præbere victoriæ. Arma enim & muri, & caſtellorum inexpugnabiles fabricæ, atque interriti Spiritus ad pericula pro libertate ſubeunda, cunctos ad defectionem reddunt fortiores: ſed hæc ad paucum tempus cum ſuffeciſſent, ſeque ſuſtuliſſent, majorum malorum extitere principium. Omnia enim capta ſunt, omniaque hoſtibus ſuccubuerunt, velut illorum nobilioris cauſa victoriæ, non ad eorum ſalutem, a quibus inſtructa fuerant, apparata ſint. Et in prælio quidem mortuos beatos exiſtimari oportet, repugnantes enim & libertate non perdita

A. M. 4038. P.C.N. 76.

Octodecim millia Judæorum in Syria jugulata, & 60000. in Ægypto perempta.

A. M. 4038. P.C.N. 76.

periere. Eorum vero multitudinis, qui a Romanis ſubjugati ſunt, quis non miſereatur? quisve non antequam illa patiatur, mori properet? quorum alii torti, tamque igne quam verberibus excruciati periere, alii ſemeſi a beſtiis ad ſecundum earum cibum vivi ſervati ſunt: illorum quidem miſerrimi habendi ſunt, qui adhuc vivunt, qui ſæpe mortem optantes non accipiunt. Ubi eſt autem illa magna civitas? Aut ubi eſt quæ totius gentis Judææ metropolis fuit? Tantis quidem murorum ſeptis munitiſſima, tot vero ante muros caſtellis turriumque objectis mœnibus tuta, bellique apparatum vix capiens, tot autem virorum pro ſe pugnantium multitudinem continens, quid nobis facta eſt, quæ Deum habere incolam credebatur? Radicitus ex fundamentis erepta eſt, ſolaque ejus monumenta reſtant, eorum a quibus exciſa eſt impoſita reliquiis caſtra. Senes vero infelices ad cineres templi aſſident, & paucæ mulieres ad turpiſſimam pudoris injuriam ab hoſtibus reſervatæ. Hæc ſecum reputans quisquam noſtrum, aſpicere ſolem durabit, etiam ſi vivere ſine periculo poſſit? Quis inimicus adeo patriæ, quis tam imbellis, aut parcus animæ, ut eum non pœniteat hucusque vixiſſe? Atque utinam omnes fuiſſemus mortui, prius quam illam ſacram civitatem hoſtium manibus videremus excindi, prius quam templum ſanctum tanta impietate funditus erui: ſed quoniam ſpes non inſtrenua nos illexit, quod forte poterimus pro ea hoſtes ulciſci: nunc autem evanuit, ac ſolos neceſſitati dereliquit, mori bene properemus, noſtrimet ipſi miſereamur, & conjugum liberorumque dum nobis licet a nobisipſis miſericordiam

Judæorum ab Romanis captorum calamitas.

Hieroſolyma Judææ metropolis radicitus ex fundamentis erepta.

diam capere. Ad mortem namque ipſi nati ſumus, & quos ex nobis genuimus, eamque fugere ne fortiſſimi quidem poſſunt: injuria vero & ſervitus, & videre conjuges ad turpitudinem duci cum liberis, non eſt malum hominibus ex naturæ neceſſitate profectum: ſed hæc ſua timiditate perferunt, qui ante mori cum licuit noluere. Nos autem multum freti fortitudine, a Romanis defecimus: & poſtremo nunc illis ad ſalutem hortantibus, non paruimus. Cui igitur non eſt eorum iracundia manifeſta, ſi nos vivos ſubjugare potuerint? Miſerandi quidem adoleſcentes erunt, quorum vires corporis ad multos ſufficient cruciatus: miſerandi autem provectiores, quorum ætas clades ferre non poterit. Videbit alius conjugem abduci, alius manibus revinctis vocem filii patrem implorantis exaudiet. Sed dum liberi ſunt & gladios habent, pulchrum miniſterium nobis præbeant, expertes ſervitutis hoſtium. Moriamur liberi, cum filiis & conjugibus vita decedamus. Hæc nobis leges præcipiunt, hæc nos conjuges & filii deprecantur, horum neceſſitatem Deus miſit, his contraria Romani volunt, & ne quis noſtrum ante excidium pereat, timent. Feſtinemus igitur eis, pro ſperata potiundi noſtri voluptate, ſtuporem mortis admirationemque relinquere audaciæ. A. M. 4038. P. C. N. 76.

Ad mortem nati ſumus, eamque fugere ne fortiſſimi quidem poſſunt. Eleazarus Judæis Romanorum crudelitatem exponit.

Mori liber apud Judæos honor & gloria.

Adhuc eum orare cupientem omnes interpellabant: & effrenato quodam impetu pleni, ad opus incitabant: ac veluti larvis exagitati, alius alium antecapere cupiebat: hoc ſpecimen eſſe fortitudinis, rectique conſilii exiſtimantes, ne quis extremus remanere videretur: Tantus eos & conjugum, & filiorum & propriæ cædis amor

Judæorum propriæ cædis amor.

A. M. 4038. P.C.N. 76. amor invaſit. Sed nec, id quod aliquis putaverit, cum facinus accederent obtuſi ſunt, verum eam ſervare ſententiam, quam cum dicta perciperent, habuerunt: proprium quidem charumque affectum retinentibus cunctis, rationi vero cedentibus, quia jam optime filiis conſuluiſſent. Simul enim valere uxoribus cum amplexu dicebant, ac liberos gremiis captos extremum lachrymantes oſculabantur: & ſimul tanquam manibus alienis juſſa peragentes volentes eos configebant: malorum, quæ ſubditi hoſtibus paſſuri fuerant, cogitationem habentes pro ſolatio neceſſitatis ad cædem. Denique nemo hac audacia minor inventus eſt. Cuncti autem conjunctiſſimos transfixere: miſeri, quibus id neceſſe fuit, quibusque filios atque uxores occidere, malorum omnium videbatur eſſe leviſſimum. Igitur neque horum jam factorum dolorem tolerantes, & interfectos læſos exiſtimantes, ſi vel breviſſimum tempus eis ſupervivirent, cito quidem univerſis bonis in unum congeſtis ignem injiciunt, ſorte vero ex numero ſuo decem lectis omnium percuſſoribus, univerſi etiam propter liberos ac conjuges proſtratos compoſiti, eosque complexi manibus, parato animo ſe mactandos præbebant, infeliciſſimum illud exhibentibus miniſterium. Iſti autem intrepide cunctis occiſis, eandem ſortis legem in ſua quoque morte ſtatuerunt, ut cui obtigiſſet, novem peremptis ſemet ſuper eos occideret: ita omnes ſibi confidebant, quod neque in audendo, neque in ſuſtinendo facinore, præſtaret alius alii. Et ad extremum cæteri quidem ſe neci ſuppoſuere: unus vero atque noviſſimus, circumſpecta multitudine mortuorum, ne quis forte in mul-

Judæi univerſis bonis in unum congeſtis ignem injiciunt.

Sorte decem lecti reliquos Judæos trucidant.

multa cæde ſupereſſet qui ſuæ manus egeret: ubi cognovit omnes peremptos, ignem quidem immittit regiæ: vehementi vero manu toto per ſe transacto gladio, juxta ſuos affectus occubuit. Et illi quidem perierant, nullam credentes animam ex numero ſuo Romanis ſubditam reliquiſſe. Latuit autem una mulier ſenior, & alia quædam Eleazari cognata, plurimum doctrina ſapientiaque mulieribus præſtans, & quinque pueri per cuniculos, qui aquam ſub terra potui ducebant, abditi, cum alii cædibus occupatas mentes haberent, qui erant nongenti numero & ſexaginta, cum mulieribus ſimul ac pueris. Hæc autem calamitas acta eſt Aprilis menſis quintodecimo die. Romani autem adhuc pugnam expectantes mane aggeribus ſcalarum pontibus junctis muros aggrediebantur. Cum vero hoſtium neminem viderent, ſed undique verſum acerbam ſolitudinem, ignemque intus ac ſilentium, quid factum eſſet, conjicere non poterant: & ad extremum velut impellentes ictum arietis, ululatum, ſi quem forte provocarent, dederunt. Clamorem autem ſenſere mulieres, & ex cloacis emerſæ, factum Romanis ut erat indicarunt, altera earum quemadmodum dicta vel geſta fuiſſent omnia narrante manifeſte. Non tamen Romani facile his verbis adducebantur, auſi magnitudinem veriſimilem non credentes. Ignem vero extinguere conabantur, perque hunc viam ſectantes cito in regiam pervenere: conſpectaque multitudine mortuorum, non ut in hoſtibus gaviſi ſunt: ſed conſilii fortitudinem, & obſtinatum in tanto numero rebus ipſis contemptum mortis admirabantur.

A. M. 4038. P.C.N. 76.

Romani pugnam expectant.

Romani conſilii fortitudinem & obſtinatum contemptum mortis admirantur.

CA-

A. M. 4038. P.C.N. 76.

## CAPUT XXIX.

*Interitus Sicariorum, qui in Alexandriam & Thebas profugerant.*

HUjusmodi autem peracto excidio, in caſtello quidem præſidium dux reliquit, ipſe vero cum exercitu ad Cæſarem profectus eſt. Nec enim quisquam ſupererat in illis regionibus hoſtium, ſed jam tota Judæa belli fuerat longinquitate ſubverſa: multisque ſuorum etiam procul incolentibus ſenſum perturbationis ac periculum exhibuerat. Nam & circum Alexandriam Ægypti civitatem poſtea contigit multos Judæorum perire. His enim qui ex factione ſicariorum illuc effugere potuerunt, non ſatis erat ſalvos eſſe: verum & illic novas res conabantur, ut libertatem defenderent, & Romanos quidem nihil ſe meliores putarent, Deum vero ſolum Dominum dicerent. Cum autem quidam iis Judæorum non ignobiles adverſarentur, illos quidem mactavere, aliis vero inſtabant, ad defectionem eos hortantes. Eorum autem videntes confidentiam principes ſeniorum, jam cohibere tutum ſibi non eſſe arbitrabantur: ſed congregatis omnibus in congregationem Judæis, ſicariorum temeritatem publicabant, illos omnium malorum cauſam eſſe demonſtrantes: & nunc ajebant illos, quod nec ſi fugiſſent certam ſpem ſalutis habituri viderentur: a Romanis enim cognitos ſtatim perituros eſſe, ſibi debita calamitate replere eos, qui nullius fuiſſent delicti participes: cavendum igitur ab eorum exitio multitudinem monebant, & ut pro ſe Romanis ipſorum traditione ſatisfacerent. His dictis, proſpecta periculi magnitudine

Sicarii novæ calamitatis autores.

Judæi contra ſicariorum temeritatem conveniunt.

dine paruere, multoque impetu ſicarios aggreſſi corripuere: quorum ſexcenti quidem ſtatim capti ſunt: qui vero in Ægyptum Thebasque illius tractus elapſi ſunt, non multo poſt comprehenſi reducti ſunt: quorum non eſt qui duritiam, ſive confidentia ſive pertinacia voluntatis ſit dicenda, non obſtupeſcat. Omni enim genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata, ob hoc ſolummodo ut Cæſarem dominum faterentur, nemo ceſſit, neque dicere velle viſus eſt: ſed omnes illa neceſſitate validiorem ſententiam conſervavere, tanquam brutis corporibus non animis etiam cruciatus ignemque ſuſciperent. Maxime vero puerorum ætas, miraculo ſpectantium fuit: nec enim vel eorum quisquam commotus eſt, ut dominum Cæſarem nominaret: usque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ ſuperabat. A. M. 4038. P.C.N. 76.

Varia tormentorum & vexationum genera, in eos excogitata, qui Cæſarem dominum fateri recuſant.

## CAPUT XXX.

*Onia templum clauſum apud Alexandriam.*

LUpus tunc Alexandriam rector adminiſtrabat, & de hoc ad Cæſarem motu velociter retulit. Ille autem inquietum Judæorum circa res novas ſtudium cavendum eſſe exiſtimans, ac veritus, ne rurſus in unum congregarentur, & quosdam ſibi adjungerent, præcepit Lupo, ut templum Judæorum, quod eſſet apud Onion (quæ ſic appellatur) civitatem deſtrueret: Hæc autem eſt in Ægypto: quæ ob hanc cauſam & coli cœpit, & nomen ſumpſit. Onias Simonis filius, unus ex pontificibus, ex Hieroſolymis fugatus, Antiocho Rege Syriæ cum Judæis bellum gerente, Alexandriam venit: & a Ptolemæo ſu-

Onias annuente Ptolemæo in Ægypto oppidum & templum condit.

A. M. 4038. P.C.N. 76. ſcipitur humaniſſime, propterea quod Antiocho erat inimicus: ait ſe gentem Judæorum ejus auxilio ſociaturum, ſi dictis ſuis obtemperaſſet. Cum autem Rex ea quæ poſſent fieri annuiſſet, rogavit, ut in aliqua parte Ægypti templum ſibi ædificare permitteret, & more patrio Deum colere. Ita enim & Antiochum magis odioſum Judæis, qui templum apud Hieroſolymam vaſtaviſſet, ipſique benevolentiores eos fore, eoque multos ad eum religionis diligentia colligendos. Paruit his Ptolemæus, eique locum dedit centum & octoginta ſtadiis a Memphi diſtantem: Heliopolitanus autem ille tractus dicitur: ubi caſtello fabricato, Onias templum quidem diſſimile ei, quod eſt in Hieroſolymis, turrim autem ſimilem exſtruxit, ingentibus ſaxis ſexaginta cubitis erectam. Aræ autem fabricam ſecundum patriam imitatus eſt, & donariis ſimiliter exornavit, præter candelabri confectionem. Candelabrum enim non fecit, ſed informatum aureum lychnum tanquam jubaris luce radiantem, de aurea catena ſuſpendit. Totum vero circa templum ſpatium cocto latere circumdedit, ſaxeas portas habente. Conceſſit autem Rex etiam multum agri modum, ac pecuniæ reditus: ut & Sacerdotibus eſſet copia ad multa, quæ Dei cultus deſideraret. Non tamen hæc Onias ſana voluntate faciebat, ſed erat ei contentio cum Judæis apud Hieroſolymam degentibus, propter fugæ memorem iracundiam: & hoc templo ædificato, arbitrabatur ad id ſe omnem ab Hieroſolymis multitudinem revocaturum. Fuerat autem olim prædictio quædam annis nongentis ſeptuaginta: Eſaiasque prædixerat hujus templi futuram in Ægypto

Oniæ templum in Ægypto extructum

con-

conſtructionem a quodam viro Judæo. Templum quidem ita fuerat ædificatum. Lupus autem rector Alexandriæ ſuſceptis literis Imperatoris cum ad templum adveniſſet, nonnullis ablatis donariis templum claudit. Poſtmodum Lupo mortuo Paulinus, qui ejus poteſtati ſucceſſit, neque donariorum quicquam reliquit (vehementer enim Sacerdotibus comminatus eſt, niſi omnia protuliſſent) neque ad templum religionis cauſa adire volentes admiſit: ſed clauſis foribus ita inacceſſum fecit, ut ne veſtigium quidem divini cultus in eo reſideret. Tempus autem fluxerat usque clauſum templum, ex quo fuerat conditum, anni trecenti triginta tres. A. M. 4038. P. C. N. 76.

Lupus Judæis templum claudit.

## CAPUT XXXI.

*De interfectione Judæorum apud Cyrenem.*

AUdacia vero ſicariorum, veluti morbus quidam, etiam ea quæ circum Cyrenem oppida erant, contigerat. Elapſus enim ad eam Jonathas homo nequiſſimus, arte textor, non paucis imperitorum ut ſe attenderent perſuaſit: perduxitque eos in ſolitudines, cum ſigna & umbrarum imagines ſe polliceretur oſtendere: & alios quidem hæc agendo atque fallendo latebat, dignitate vero præſtantes Cyrenenſium Judæorum apparatum ejus & profectionem Pentapolitanæ Libyæ rectori Catullo prænunciant. Ille autem equitibus ac peditibus miſſis, inermes facile comprehendit: & magna quidem pars manibus interiit, nonnulli autem vivi capti, ad Catullum perducti ſunt. Autor autem conſilii Jonathas tunc quidem potuit effugere: multum vero ac diligenter per omnes quæſitus

Jonathæ ſociorum pars manibus interit nonnulli vivi capti ad Catullum perducuntur.

A. M. 4038. P.C.N. 76. regiones captus eſt, adductusque ad Catullum, ſibi quidem moram pœnæ moliebatur, Catullo autem iniquitatis præbuit occaſionem. Nam ipſe quidem locupletiſſimos Judæorum falſo inſimulans, autores ſibi hujus conſilii fuiſſe dicebat. Catullus autem criminationes alacri animo ſuſcipiebat, remque delatam multimode cumulabat, tragicis etiam verbis exaggerans, ut & ipſe quoddam bellum Judæorum confeciſſe videretur: quodque hoc atrocius eſt, præter credendi facilitatem, etiam doctor erat calumniandi ſicariis. Denique, cum juſſiſſet Judæum quemdam Alexandrum nominare: cui jamdudum infenſus odium publicaverat, etiam uxore ejus Berenice criminationibus implicata, hos quidem priores occidit, deinde omnes ſimul pecuniarum copiis eximios, tria ſimul millia trucidavit. Et hæc ſecure facere arbitrabatur, quod eorum patrimonia reditibus Cæſaris adjungebat. Ne vero vel alibi degentium quisquam Judæorum ejus injuſtitiam confutaret, etiam longius mendacium propagavit: ac Jonathæ nonnullisque aliis qui comprehenſi fuerant perſuadet, novarum rerum accuſationem viris inferre probatiſſimis Judæorum, apud Alexandriam Romamque degentium. Horum autem qui per inſidias accuſati ſunt, unus erat Joſephus qui hæc ſcripſit. Non tamen Catullo fictio ita ut ſperaverat ceſſit. Nam Romam quidem venit, Jonathan cæterosque vinctos ducens, finemque arbitrabatur eſſe quæſtionis apud ſe ac per illum conflatam calumniam: Veſpaſianus autem rem ſuſpicatus, veritatem requirebat: cognitoque non jure hominibus accuſationem illatam

Catullus tria ſimul Judæorum millia trucidat.

Joſephus a Jonatha hortatu Catulli, falſo accuſatur.

latam, illos quidem Titi ſtudio criminibus ſolvit, merito vero pœnam in Jonatham ſtatuit: prius enim verberatus, vivus exuſtus eſt. Catullo autem tunc quidem ob lenitatem principum obtigit, ne quid amplius caſtigationis experiretur: non multo autem poſt, multiplici morbo & inſanabili correptus, acerbiſſime tortus eſt, non corporis tantum cruciatum ſuſtinens, ſed erat ei major animi morbus & gravior: terroribus enim expaveſcebat, & crebro videbat ſibi inſtantes umbras eorum quos peremerat, & clamitabat. Cumque ſe tenere non poſſet, exiliebat ſtratis, tanquam tormentis ſibi & flammis adhibitis. Hoc autem ſemper multum proficiente malo, extisque defluentibus, ac inteſtinis exhauſtis, ita eſt mortuus: nulla re alia magis divinæ providentiæ facto indicio, quam quod nequiſſimos ulciſcatur. Hic nobis eſt finis hiſtoriæ, quam promiſimus nos cum omni veritate tradituros, cognoſcere cupientibus, quemadmodum hoc bellum Romanis geſtum eſt cum Judæis, & qualiter ſit quidem expoſitum lecturis, ut dicant, relinquatur: de veritate autem confidenter dicere non pigebit: quod eam ſolam ſcopum mihi per omnia quæ ſcripſi propoſuerim.

A. M. 4038. P.C.N. 76. Jonathas prius verberatus vivus exuſtus eſt.

Septem librorum de bello Judaico, concluſio.

## FLAVII JOSERHI DE BELLO JUDAICO
Libri ſeptimi & ultimi

# F I N I S.


31
82
MAR

# ADMONITIO

## Ad Lectorem benevolum.



N hac Flavii Joſephi de Bello Judaico Hiſtoria typis hiſce excudenda uſi fuimus exemplari Francoforti ad Mœnum Anno MDLXXXVIII. edito: in quo ejusdem Authoris Antiquitatum Judaicarum Libri XX. pariter iisdem formis editi continentur. Quia vero Notæ marginis in Hiſtoria Belli Judaici, propter ejusdem argumenti tractationem, interdum remittunt Lectorem ad Libros Antiquitatum Judaicarum, hinc exiſtimavimus ejusmodi notas in hac licet ſeparati operis editione non expungere, ſed prout in propoſito exemplari reperiuntur, integre in lucem edere, idque eo potiſſimum conſilio: ut benevolus Lector, cum ei libuerit, lectionem hiſtoriæ de bello Judaico cum Libris Antiquitatum Judaicarum, ſi eas præ manibus habeat, commodius conferre poſſit.